


32
7 E
16

540

Archip.° margella

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ
ET
CONTROVERSIARUM
FORENSIUM
ECCLESIASTICARUM
CUM
PRINCIPIIS GENERALIBUS
CUILIBET ARTICULO PRÆMISSIS
ET
RESPONSIONIBUS IDONEIS
PROPOSITOS CASUS ELUCIDANTIBUS.

EX IDIOMATE GALLICO LATINE REDDITUM.

EDITIO SECUNDA
TERTIA PARTE AUCTIOR ET EMENDATIOR,

QUAM

CURAVIT, ET, RETENTIS EX PRIMA EDITIONE NOTIS
R. D. EUSEBII AMORT, QUANDOQUE SUAS
ADJECIT
M. B. C. R. P.



SUPERIORUM PERMISSU.

TOMUS TERTIUS.
P — Z.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMPTIBUS FRATRUM VEITH, BIBLIOPOLARUM.
MDCCLXXXIV.

Elenchus Articulorum

Tomi III.

P.

Parentes. Pag. 1

Parochia. 4

Parochus. 6

Pascua. 26

Paterfamilias. 28

Patrimonium Titulus ad Ordines. 29

Patrinus. 30

Patronatus. 33

Patronus. 40

Paupertas religiosa. 50

Peccator consuetudinarius. 51

Peccator publicus. 52

Peccatum. 56

Peccatum reservatum. Vid. *Casus reservati.* Tom. I. p. 205.

Pensio ecclesiastica. 68

Perjurium. 84

Permutatio Beneficiorum. 94

Persecutio. Vid. *Residentia Episcoporum.* 229. Casu 1. *Residentia Parochorum.* 231. Casu 4.

Pestis. Vid. *Absolutio.* Tom. I. pag. 19. Casu 12. *Communio sacramentalis.* Tom. I. pag. 291. Casu 18.

Pignus. 102

Pœnitentiarius. 105

Pœnitentia sacramentalis. 108

Pollutio. 119

Possessio. 120

Præcepta Ecclesiæ. 128

Præda hostilis. 129

Præfectus Collegii. 129

Præmonstratenses. 130

Præscriptio. 132

Precarium. 143

Privilegium. 144

Procurator. 148

Professio religiosa. 152

Promissio. 167

Promotor. 173

Provisio Beneficii. 175

Proxenata. 181

Puerperium. 182

Pupillares Pecuniæ. 183

Q.

Quadragesima. 184
Quietismus. 185 .

R.

Raptus. 185
Religio. 186
Religiosus. 188
Reliquiæ Sanctorum. 216
Renunciatio Beneficii. 218
Reservatio Peccatorum. 222
Residentia Canonicorum. 224
Residentia Episcoporum. 229
Residentia Parochorum. 231
Resignatio. 234
Restitutio. 243
Restitutio in integrum. 361
Retractus. 365
Reus. 368
Rogationes. 372

S.

Sacerdos. 373
Sacramentum. 375
Sacrilegium. 378

Sanctificatio Feſtorum. 380

Sartor. 381

Satisfactio ſacramentalis. 384

Scandalum. 388

Scholaſticus. 394

Scrupulus. 397

Secretarius. 404

Secretum. 405

Sepultura. 410

Servitus. 413

Sigillum ſacramentale. 415

Silva. 428

Simonia. 429

Simonia confidentialis. 470

Societas. 475

Solutio Debiti. 490

Somnium. 492

Spicilegium. 493

Sponſalia. 494

Spurius. 515

Stipendium militare. 515

Struma. 516

Suffragium capitulare. 517

Superior. 517

Superstitio. 519

Surdus & Mutus. 526

Suspensio. 527

Suspicio. 541

T.

Tactus. 543

Tentatio Dei. 544

Testamentum. 546

Testis. 561

Thesaurus. 570

Titulus clericalis. 572

Tonsura. 575

Transactio. 578

Tributum. 580

Tutor. 586

V.

Vana gloria. 596

Venatio. 297

Venditio. 599

Verberatio. 625

Vestitus laicus. 626

Vesti-

Vestitus muliebris. 627

Veteranus. 629

Viaticum. Vid. *Communio sacramentalis.* Tom. I. p. 291. *Eucharistia.* Tom. I. p. 631.

Vicarius. 629

Vidimatio. 634

Visitator. 637

Unio Beneficiorum. 639.

Votum. 646


Usura. 673

Ususfructus. 705.

Uxor. 714



DICTIO-



DICTIONARIUM CASUUM CONSCIENTIÆ.

P.

PARENTES.

Liberi tenentur obedire suis *parentibus*, patri nempe & matri; & obligatio hæc ad omnia extenditur, excepto casu, ubi pater imperaret quidpiam legi Dei vel summi Principis territorialis contrarium. Filiusfamilias in persona patris sui debet respicere & venerari ipsum Deum. Interim si ageretur de amplectendo Religioso statu sæculo relicto, cum solus Deus author sit vocationis, liberi non tenentur obedire parentibus a proposito ipsos abstrahere volentibus.

CASUS I. Diodorus Religiosus professus parentes habet in maxima necessitate ac indigentia constitutos. Poteſtne ex suo monasterio ad tempus discedere alendi patris vel matris suæ gratia? Et supposito quod id liceat, num & habitum Religionis suæ deponere poterit, saltem ex dispensatione?

℟. 1. Peccat filius, qui Religionem ingreditur, dum pater aut mater ipsius in sæculo gravi indigentia premuntur, nec alia ratione ipsis consuli potest, quam si filius maneat in sæculo, necessariaque indigentibus vitæ subsidia ministret, quæ in Religione vi status suppeditare haud poterit: agit enim contra jus naturale & divinum, quæ obligant filium, ut subveniat parentibus *in aliqua necessitate constitutis*, ut docet S. Thomas Quodl. 3. art. 16. & 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. *Si vero*, subdit S. Doctor, *non sint in tali necessitate*, *ut filiorum obsequio multum indigeant*, *possunt prætermisso parentum obsequio filii religionem intrare*. 2. Communis est sententia, Religiosum professum posse, imo debere ad tempus relinquere suum monasterium, ut succurrat parenti *in extrema* necessitate constituto, si aliud eundem juvandi medium non supersit; idque *licentia quidem petita*, *licet non obtenta a Superiore*: votum quippe non debet impedire executionem præcepti, quod est juris naturalis & divini. Huc quadrat illud Matth. 9. v. 13. *Misericordiam volo*, *& non sacrificium*. 3. Filius non tenetur monasterio suo egredi, si in eo

existens possit de licentia Superioris sui, quantum necesse est, juvare parentes in magna necessitate constitutos, aut ipsum monasterium necessarium eis præstet subsidium. 4. Denique, si exeundum sit monasterio, poterit ejusmodi Religiosus deponere habitum, quando ipsi ad sustentationem parentum aliquod officium suscipiendum, quod in habitu religioso convenienter ac cum decoro sui status obire haud posset: necessaria tamen ipsi ad hoc erit licentia Papæ; si non, ut plures alii existimant, sufficiat urgente negotio licentia ab Episcopo vel Superiore obtenta. *Fromageau.*

CASUS II. Puella quædam, invita matre, imo repugnante, aspirat ad communitatem religiosam. Licitene poterit ingredi Religionem?

℞. Potest pergere in concepto semel proposito. Quando enim agitur de eligendo statu ad consecrandum se Deo, filiæ & filii non tenentur obedire parentibus; sed liberi sunt. *Fromageau.*

CASUS III. Vidua quædam a parentibus domi suæ detinetur quasi in custodia, & interdum etiam verberibus affligitur; ut sic abstrahatur a proposito nubendi juveni helluoni, pauperi ac infami. Potestne excusari modus hic agendi parentum?

℞. Non certe est reprehendendus: si enim ex una parte filiafamilias non potest absque crimine contrahere matrimonium, quod vergeret in opprobrium & dedecus totius suæ familiæ, essetque fons ac origo mille turbarum, quibus consanguinei per mutua odia inter se dividerentur; poterunt quoque ex altera parte parentes impedire tale matrimonium; & sic impediendo nihil faciunt, quod præjudicet libertati filiis ac filiabus ad eligendum certum vitæ statum concessæ; quia juxta *Laymannum de spons. tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. hæc libertas non plus nec aliter subsistit, quam in quantum liberi eadem sine crimine utuntur. Cæterum viduitas filiæ non aufert parentibus potestatem ipsam verberibus castigandi: si enim potestas hæc adeo est ampla, ut se extendat ad filios actu jam emancipatos, uti advertit Bossius, nixus auctoritate plurium imo plerorumque Doctorum; quanto magis debebit se extendere ad filiam, tametsi viduam, quæ supponitur subjecta suis parentibus. Melius tamen agerent parentes, si judicis authoritatem implorent; quia difficile est in ejusmodi castigatione debitam servare moderationem, tum attenta qualitate sexus, tum attenta parentum indignatione. C. B.

CA-

CASUS IV. Bertha invitis parentibus matrimonium contrahit cum quodam milite. Hi ob rei indignitatem & filiæ inobedientiam nec visu nec alloquio ipsam dignantur amplius; etiam postquam inobedientiæ veniam petiit. An non peccant?

℞. Si parentes, qui supponuntur esse homines plebeji, in perpetuum vel ad tempus valde notabile a conspectu suo filiam arceant, peccant graviter; quia contra ipsam animo fovent odium, quod nimium quantum excedit culpam puellæ haud supra vulgarem conditionem eminentis; præsertim postquam delicti sui veniam petiit. Si vero ad modicum duntaxat tempus ipsi colloqui recusent, nec eam in conspectum admittant, nullum peccatum committunt, debetque sibimet imputare filia severitatem hanc parentum suorum, tanquam justam punitionem suæ inobedientiæ. C. B.

CASUS V. Petronius vir alioquin bonus filium habet lusui ac ebrietati penitus addictum, Timens autem, ne uxorem suam offendat & ferocem filii indolem magis exasperet, excessus hos omnes ignaviter dissimulat. An a peccato excusari potest?

℞. Nimia hæc patris indulgentia omnino inexcusabilis est: si enim quilibet juxta Apostolum 1. Cor. 5. curam habere debet domesticorum suorum, quanto magis pater vigilare tenetur, ut liberi a peccatis avertantur, in pietate educentur, bonis moribus imbuantur, ac in virtute roborentur, adhibitis in hunc finem objurgationibus, ac paternis in delinquentes punitionibus. Hinc, nisi Petronius justissimas rationes habeat timendi, ne increpationes ac correctiones ipsius futuræ sint inutiles, vel alium non sortiantur effectum, nisi quod pejor fiat filius & in furias agatur, gravissime peccat, perversam vitæ ipsius ac morum licentiam dissimulando. C. B.

CASUS VI. Sempronius debitis supra modum oneratus non potest satisfacere suis creditoribus, quin ex convenienti dote filiarum suarum, quam illis destinasset, portionem subtrahat. Estne obligandus ad talem diminutionem?

℞. Vel agitur tantum de aliquali diminutione; & dico cum majori Doctorum numero, Sempronium teneri ad talem diminutionem, sicuti etiam in tali casu obligatur ad minuendas suas expensas pro victu & vestitu &c. Aut vero quæstio est de diminutione valde notabili; & tunc ulterius quæro, an per ejusmodi diminutionem dotis mutaretur notabiliter in pejus conditio seu status harum filiarum ju-

ste aquisitus, & tunc sentio, Sempronium non esse obligandum ad diminutionem dotis; nemo enim tenetur decidere a proprio statu juste aquisito, ut satisfaciat creditoribus. Idem dicendum, si diminuta dote filiæ sponsum non invenirent cum periculo pudicitiæ suæ. Si autem dotis diminutio non multum immutet statum filiarum, aut hic status fuisset injuste aquisitus, absque dubio Sempronius tenetur diminuere dotem. C. B.

Nota. Responsio hæc non ubivis locorum acceptari posset vi legum particularium: videmus enim quotidie integras familias ære alieno oppressas, domibus ac bonis suis cum liberis ejectas, ac ad statum mendicitatis redactas in favorem creditorum. Vide *Liberi*.

PAROCHIA.

1. *Parochia* est Beneficium habens annexam curam animarum. Omnes parochiæ subjectæ sunt jurisdictioni Episcopi, etsi sint parochiæ Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, aut aliorum Religiosorum Ordinum. Collatio parochiarum, ad quas nominat Episcopus, pertinet ad Capitulum Sede vacante. Parochiæ Abbatiis, Prioratibus, ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis unitæ loco ac titulo Vicariatus perpetui habendæ sunt.

CASUS I. Poteftne Clericus Beneficium curatum possidere ante annum ætatis vigesimum quintum?

℟. Non potest absque dispensatione; neque tali Clerico absque dispensatione ab Episcopo concedenda est approbatio, seu *Visa*. *De Lamet*.

CASUS II. Clericus quidam provisus de parochia per integrum annum eam retinuit; sed non administravit.

℟. Non potest resignare hoc Beneficium, reservata sibi pensione; dumque permittitur talis reservatio, gravem subesse causam oportet: hæc ni subsit, datur obligatio omnia restituendi, quæ ex injuste reservata pensione percepta sunt. *Fromageau*.

CASUS III. Religiosus quidam ex Ordine reformato petit parochiam.

℟. Religiosus Ordinis reformati ad parochiam nominari non potest ex solo consensu Episcopi ac Superiorum suorum; sed opus est insuper expressa dispensatione Pontificis, & quidem antequam nominetur ad parochiam. *Fromageau*.

Nota.

NOTA. Benedictus XIV. in sua Constitutione, *Apostolici*, edita 1757. excipit Canonicos Regulares.

CASUS IV. Possuntne parochiani idem retinentes domicilium adscribi in aliam parochiam?

℞. Non possunt, etiamsi Dominus loci mutet domicilium suum, relictis in eodem domicilio domesticis suis: limites enim parochiarum ab Authoritate superiori constituti sunt, *ne Ordo Ecclesiæ confundatur*; & hinc nemo privatus potest limites mutare. *Fromageau.*

CASUS V. Danturne parochiæ, in quibus constitui debent vicarii perpetui?

℞. Capitula in patochiis, in quibus Primitivorum parochorum titulo gaudent, constituere debent vicarios perpetuos, & non Sacerdotes amovibiles. Hinc Sacerdos quispiam legitime potest obtinere in Curia Romana provisionem, & ab Episcopo suo approbationem ad talem parochiam, quæ ab amovibili tantum vicario administratur. *Fromageau.*

CASUS VI. Quid agendum parocho, qui parochiæ suæ per quadraginta jam annos administratæ renunciare vult, & Romæ pensionem ex ea obtinere non potest?

℞. Pure & simpliciter resignandum est ipsi Beneficium suum in manus Episcopi, a quo noviter provisus obligandus est ad solvendam quotannis certam summam parocho resignanti, si aliunde non habeat, unde vivat. *Fromageau.*

CASUS VII. Parochia quædam reditus habet nimium tenues.

℞. Episcopus potest cum ea unire Canonicatum; servatis tamen debitis formalitatibus. *Fromageau.*

CASUS VIII. Capitulum quoddam est in possessione parochiam suæ mensæ incorporatam administrandi per vicarios amovibiles.

℞. Capitulum potest continuare hanc possessionem, quamdiu turbatum non fuerit. Imo citra simoniam potest locare his vicariis proventus parochiæ fortuitos, ac incertos: fatendum tamen, hanc consuetudinem valde esse indecentem, & gravibus inconvenientiis obnoxiam. *De Lamet.*.

CASUS IX. Clericus quidam, qui passim habetur pro homine contentioso, & tanquam calumniator damnatus est, obtinuit parochiam.

℞. Indignus est, qui parochiam possideat; & Episcopus ei provisiones denegare debet, sicut cuivis alteri indigno. *Fromageau.*

CASUS X. Parochus quidam, cum ecclesiæ suæ parochiali aliam ecclesiam haberet annexam, diebus festis bis celebrat Missam.

℟. Episcopus non debet huic parocho permittere, ut feria sexta Majoris hebdomadæ bis Officium celebret. *De Lamet.*

CASUS XI. Ampla quædam parochia pro functionibus parochialibus tantum habet Sacellum in ecclesia Cathedrali, & non nisi duos vicarios amovibiles.

℟. Episcopus pro hac parochia constituere debet vicarium perpetuum. Id ut consequatur, in Romana Curia Titulum impetrandum curet alicui administrandæ parochiæ idoneo. Verum alias ibi celebrari Vesperas non est opus præter Vesperas Ecclesiæ Cathedralis. *De Lamet.*.

CASUS XII. Cur conformiter ad mentem Concilii Tridentini parochiæ non sunt uniendæ Monasteriis?

℟. Quia oblationes in parochiis fieri solitæ sunt destinatæ pro pauperibus ac indigentibus, & non pro sustentatione Religiosorum. *De Lamet.*

Nota. Ut obtineatur intentio Tridentini, expediret; ut nulli parocho concedatur facultas testandi vel resignandi, nisi sub actuali dispositione mortis causa, dimidium residuorum relinquendi pauperibus parochiæ &c.

PAROCHUS.

1. *Parochi* a Christo instituti sunt tanquam septuaginta duorum discipulorum successores ad spiritualem fidelium sibi subditorum gubernationem sub inspectione & authoritate Episcoporum. Præditi esse debent magna animi fortitudine, constantia, ac veritatis zelo. Cum parochi, & cæteri, quibus animarum cura incumbit, aut qui sunt quibusdam addicti ministeriis, quorum partes implere debent, suis non possint obligationibus satisfacere, nisi resideant in locis, ad quæ eos vocat ratio Officii, in iis necessario personaliter residere tenentur. Parochi tenentur callere linguam parochianorum suorum; alias enim forent ipsis inutiles, & provisiones eorum eo ipso essent nullæ. Præterea indispensabiliter tenentur instruere populum concionibus, & parvulos catechesibus, pro parochianis suis Sacrificium Missæ offerre, ipsis debito tempore necessaria Sacramenta administrare; diligenter ægros invisere, ipsisque, pauperibus æque ac divitibus, usque ad mortem assistere, præscripta in Rituali diœcesa

cesano exacte servare ; ac denique fundationibus ecclesiarum suarum rite satisfacere.

2. In Gallia specialibus Edictis cautum est, ne quis Sacerdos admittatur ad ullam parochiam, nisi sit origine Gallus. Parochi in districtu parochiæ suæ habent jus recipiendi testamenta parochianorum suorum ; modo in iis non contineatur legatum in privatam parochorum utilitatem, simulque observetur præscriptum Articuli 63. Edicti Blessensis. Tenentur penes se habere libros, in quibus diligenter annotandi sunt baptizati, nubentes, ac sepulti.

3. Parochus non sit simul Officialis aut Promotor. Vicarii perpetui habentur pro veris parochis. Parochus jure curandum sibi petit habitationem sumptibus parochianorum suorum ; maxime si reditus non sufficiant, ut & ipse quidpiam cum iis possit contribuere. Non potest impedire, quo, minus corpus defuncti parochiani tumuletur in loco, quem ipse sibi pro sepultura elegit. Jus habet concionandi, posthabito omni Concionatore extero. Tenetur publicare, ac populo denunciare omnes literas monitorias ab Officiali diœcesano ad ipsum missas, nec sub ullo prætextu ab istiusmodi publicatione privata authoritate se eximere potest.

4. Quando construitur domus in territorio duarum parochiarum, censetur pertinere ad eam parochiam, in qua est porta principalis.

5. Parochus habet jus colligendi decimas fructuum intra limites suæ parochiæ. Verum cum alii frequenter existant Beneficiati Decimatores, dantur plures parochi, qui tantum habent congruam, quæ fixa est ad 300. libras pro parochis nullum habentibus vicarium, & ad 400. libras pro iis, qui habent vicarium. Præterea parochus habet jus levandi decimas minores, & Novalium, non obstantibus privilegiis Ordinum Melitensis & Præmonstratensis.

6. Quando præter parochum actu administrantem parochiam habetur adhuc alius parochus, quem Primitivum vocant, hic habet jus in quatuor solemnioribus anni Festis, ac in Festo Patroni ecclesiæ in parochia divinum celebrandi Officium, si tamen possessio hujus juris sublata non est ; & parochus ordinarius quoad hoc eum impedire non potest : nullum tamen habet jus exercendi alias functiones parochiales, hasque exercendi potestas specialiter reservata est parocho ordinario aut vicario perpetuo, ita, ut si hic etiam permitteret parocho Primitivo excipere confessiones, hæc permissio & consensus ipsi foret inutilis, si ad excipiendas confessiones non sit approbatus ab Episcopo diœcesano.

CASUS I. Riguerius parochus, cum nec talentum possideat publice concionandi, nec felicis sit memoriæ, quinque aut sex tantum habet conciones per annum; & in his consistit tota instructio parochianorum suorum.

℟. Videtur dubitari non posse, quin parochus iste peccet & quidem mortaliter 1. quia agit contra rigorosam legem divinam: *væ pastoribus Israel, qui pascebant semet ipsos. - - gregem autem meum non pascebatis* Ezech. 34. 2. Concilium Tridentinum præcipit Episcopis, ut censuris animadvertant in parochos, qui prævie moniti perseverant in negligentia satisfaciendi huic obligationi, aut per se ipsos, aut per alios, si legitime impediti fuerint *Sess.* 5. *c.* 2. *de Reform.* Censuris autem non feriuntur nisi peccata mortalia; 3. Casuistæ etiam laxiores peccati mortalis arguunt parochum, qui integro mense aut tribus mensibus per decursum totius anni salutarem doctrinam populo subtrahit. Ad hæc merito contremiscant plurimi parochi, qui vix semel per annum plebi suæ sacræ doctrinæ pabulum propinant. *Pontas.*

CASUS II. Pamelius parochus habet vicarium multo se aptiorem; & hinc illi committit fere omnes functiones parochiales, præsertim exhortationes publicas.

℟. Peccat Pamelius, si absque justa causa non personaliter instruat parochianos suos, aliasque functiones parochiales exerceat: vel enim est capax digne obeundi munus suum, vel non? si est capax, & tamen illud non obeat per semetipsum, ejus negligentia est graviter peccaminosa: si vero non est capax, tenetur renunciare Beneficio suo. Hanc in rem observandum 1. parochianos plerumque libentius audire proprium parochum, etsi minus doctum, quam alium Sacerdotem etiam doctiorem, dummodo alias moribus sit irreprehensibilis, ut ratione status ac vocationis suæ esse debet. 2. Functiones pastorales, maxime instructionem populi spectantes sunt gravioris momenti ac magis necessariæ fidelibus, quam canonicales; & tamen Concilium Tridentinum præcipit, ut canonici ipsimet personaliter obeant functiones suas, etsi habeant vicarios aut cantores pro salario. Multo magis ergo ad id tenentur parochi. Adverte autem, de parocho, qui expletis semper cum fervore functionibus suis in ministerio sacro consenuit, & jam præ infirmitate ad populum dicendo impar evasit, non tam rigide sentiendum, ac de illo, qui absque talento, absque capacitate concionandi munus parochiale rapuit. Prior omni honore dignus meretur veniam ac commiserationem; posterior vero a cura pastorali arcendus, saltem nisi aliæ dotes, authoritas, pru-

prudens angendi ratio &c. eum assumendum suadeant. *Pontas.*

CASUS III. Meletius parochus audiens, hostes brevi irrupturos in parochiam suam, eam deserit animo salvandi vitam suam.

℟. Si hostes sunt ex numero hæreticorum posterioris temporis, crudeliter persequentium Catholicos, prudenter faceret parochus, si se reciperet in locum tutum, unde suos fideles consolari posset per epistolas, & post persecutionem denuo rediret ad Ecclesiam suam. Sed hoc tunc solum liceret, si daretur Minister alius, qui posset ac vellet supplere absentiam parochi. In omni alio casu graviter peccaret parochus derelinquendo gregem suum. *Pontas.*

CASUS IV. Theodulus parochus, cum pestis ingentem jam stragem edidisset in parochia sua, aufugit, relictis ac substitutis loco sui duobus aliis presbyteris, qui succurrerent pestiferis.

℟. Non potest tuta conscientia in his circumstantiis relinquere parochiam suam, sicut nec Episcopus in simili casu diœcesin. Nihilominus potest sibi tempore contagionis jungere alium bresbyterum approbatum ab Episcopo, qui inserviat pestiferis, si potior pars parochianorum nondum est infecta; ut sic ipse inserviat sanis, alloquin eum non admissuris, si & ipse ad pestiferos accederet. Observandum hic, quod in aliquibus diœcesibus Galliæ praxis administrandi pestiferis Eucharistiam & extremam unctionem sit hæc: Sacra Hostia involvitur papyro vel linteo, & in aliquo loco deponitur, ubi ab ipsomet infirmo commode sumi possit: quoad extremam unctionem, sumitur longior baculus, cujus extremitati infigitur gossipium intinctum sacro oleo infirmorum, & sic bresbyter in aliqua ab infirmo distantia adhibitis adhuc aliis cautelis inungit infirmum. *Pontas.*

CASUS V. Hugo parochus, cum haberet in sua ecclesia hebdomadatim quatuor fundatas Missas, nempe diebus lunæ, Martis, Mercurii & Veneris, nec iis posset semper satisfacere ob incidentes qnandoque Sepulturas, Nuptias, ob infirmitatem, iter, aut aliud impedimentum, omnes fere has Missas in dies Dominicos ac festos differt; & consequenter iis diebus non applicat pro parochianis suis. Putat quidem id esse licitum, eoquod plures Casuistæ id permittant; quia tamen scit, alios sentire contrarium, & ipse sentit scrupulum.

℟. Merito sentit scrupulum: in primis enim non potest absque injustitia privare parochianos fructu Sacrificii. Deinde peccat Missas fundatas ad certum diem differendo in Dominicas & Festa. Solus Episcopus potest ex causa legitima quidpiam immutare in ejusmodi fundationibus. Sacra Congregatio jam sæpius stabilivit non solum obligationem parochorum singulis diebus Dominicis & festis applicandi Missam pro parochianis; sed insuper declaravit, parochum, qui ex ipso Beneficio suo percipit reditus plusquam sufficientes ad honestam sustentationem, obligari ad celebrationem Missæ singulis diebus pro plebe sua, nisi circumstantiæ particulares, v. g. antiquæ fundationes, id impediant. *Pontas.*

CASUS VI. Apronius parochus diœcesis Tolosanæ peregrinatur in diœcesin Montis Pessulani, ibique reperit duos suorum parochianorum, quorum, cum confiteri vellent, ibi confessiones excipit.

℟. Potuit eorum confessiones excipere; absolutioque est valida, etsi extra suam diœcesin collata. *Pontas.*

CASUS VII. Episcopus Abulensus in Synodo sanxit, ut parochi diœcesani deinceps confiteri non possint, nisi illis parochis, quos ipse pro confessariis parochorum designaverat. Plures eorum huic ordinationi non parentes confessi sunt, sicut prius, parochis non designatis ab Episcopo, aut aliis presbyteris per diœcesin approbatis.

℟. Videtur dici posse, eorum confessiones esse validas. 1. Quia id erui videtur ex Decretali Gregorii IX. ubi *cap. fin. de pœnit. Pontifex sic ait*: *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere confessorem.* Jam autem parochi sunt & Superiores & Prælati minores. *Prælati secundi ordinis* dicuntur a Gersone*, & *Ecclesiarum minores Principes* a D. Thoma part. 3. q. 67. art. 2. ad 2. Ad hæc, cum parochi frequenter teneantur administrare Sacramenta, optime illis quadrat illud: *ne periculum immineat animarum.* Cum igitur *privilegia Sacerdotum inviolata debeant manere*, non est censendum, Episcopum iis præjudicare potuisse. 2. Parochis patrocinatur immemorialis, legitime præscripta ac solidis rationibus innixa consuetudo eligendi confessarium inter approbatos, quem libuerit. Motivum insuper præfatæ Decretalis: *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, magis ac propius respicit parochos quam Episcopos, qui non ita frequenter baptizant, confessiones excipiunt, aliaque Sacramenta administrant, ut parochi. *Pontas.*

NOTA,

NOTA. Adductæ rationes satis quidem movere possunt Episcopos, ne statuant quidpiam adversus antiquas consuetudines; non ita tamen certum est, ex iis securitatem præstari parochis in hoc casu comprehensis. 1. Quia plurimi eximii interpretes per hæc verba, *aliis Superioribus*, intelligunt eos, qui sunt supra Episcopos simplices, iisque honore ac dignitate præeminent. 2. Quia parochi ne semel quidem in universo jure Canonico veniunt simpliciter sub nomine *Prælatorum*; multo minus dici possunt *Prælati exempti*, de quibus solis Gregorius IX. loquitur. Consuetudo non habet majorem firmitatem quam lex: lex autem potest revocari aut suspendi, quamprimum incipit vergere in malum communitatis; id quod in præsente casu ex dicta consuetudine quandoque evenire fors novit Episcopus. Et hinc, cum aliud sit approbatio, & aliud jurisdictio, si Episcopus non obstante generali approbatione jurisdictionem aliis parochis non designatis limitasset ad alios pœnitentes non parochos, sicut Superiores Regularium solent limitare & denegare jurisdictionem in suos religiosos omnibus confessariis non designatis a se, confessiones in casu posito forent invalidæ.

CASUS VIII. Aurelius cum nollet confiteri suo parocho, ab eo tempore Paschali petiit licentiam confitendi alteri parocho vicino.

℟. Parochus Aurelii non potest absque peccato hanc illi denegare licentiam, dummodo parochus vicinus sit talis, qualis esse debet. *Peccaret Sacerdos*, inquit S. Thomas, *si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri. Unde qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Ex eadem ratione, si Superior regularis denegaret confessario pro Communitate designato licentiam absolvendi Religiosum a casu reservato, quem incurrit, ille nihilominus etiam non obtenta facultate pro hac vice posset eum absolvere juxta Decretum Clementis VIII. de 26. May 1593.

CASUS IX. Tertullus parochus secreto scit, quemdam suorum parochianorum promisisse cuidam puellæ pariter parochianæ Matrimonium. Puella dein rogat Tertullum suum parochum, ut coram Judice hujus veritatis testem ageret.

℟. Tertullus debet veritatem testari; quia agitur de gravi damno, quod puella pateretur. Si tamen Tertullus novisset rem qua parochus, id est, ratione confidentiæ, quam parochianus in eo tanquam pastore suo posuit, haud absque ratione dici posset, eum teneri ad servandum secretum, non minus ac advocatus, chirurgus aut obstetrix tenentur quoad secreta sibi concredita. Cum parochus sit pater spiritualis suorum parochianorum, gaudet privilegio legis, qua pater non admittitur ad ferendum testimonium contra liberos suos. *Pontas.*

CA-

CASUS X. Valdradus obtinuit parochiam, in qua parochiani utuntur idiomate sibi prorsus incognito; constituit tamen sibi vicarium, & alium presbyterum, quorum uterque linguæ hujus peritissimus est.

℟. Nisi Valdradus adeo felicis sit memoriæ, ut intra breve tempus addiscere possit linguam parochianorum suorum, non potest retinere parochiam: imo ad hoc ipsum requiritur consensus Episcopi sui, sine quo nec hoc tempore functiones parochiales committere potest vicario suo. Regula generalis est, parochum inter & parochianos necessarium esse idioma, quo mutuo uti possint; alias pastor vix non penitus inutilis foret ovibus suis. Hinc & juxta regulam vigesimam Cancellariæ Romanæ provisiones in simili casu obtentæ nullius sunt roboris. *Pontas.*

CASUS XI. Cassius parochus incurrit irregularitatem, eoquod in actuali suspensione Missam celebrasset; hoc tamen non obstante benedixit nuptiis duorum parochianorum suorum.

℟. Potuit simpliciter assistere huic matrimonio, illudque sua præsentia reddere validum; non tamen potuit illi benedicere; potuisset tamen alteri Sacerdoti eam benedictionem committere; sicut parochus etiam notorie irregularis ex delicto potest alteri Sacerdoti approbato potestatem delegare in ecclesia parochiali confessiones excipiendi, licet ipsemet non possit excipere: delegatio enim non est actus Ordinis, sed solum jurisdictionis. *Pontas.*

Nota. Author supponit, Sacerdotem non esse ministrum matrimonii, contra plurimos insignes Theologos oppositum sentientes. Et posito etiam, quod non sit minister, data responsio adhuc patitur difficultatem; quia, ut existimat *Gibert*, vel simplex assistentia Sacerdotis ad celebrationem matrimonii foret actus parochialis & ecclesiasticus, quem exercere irregulari denunciato non videtur licitum. Si autem juxta valde probabilem sententiam parochus matrimonio non assistat tanquam merus testis, sed tanquam minister Sacramenti, non licet irregulari assistere matrimonio ob periculum irreverentiæ committendæ per collationem Sacramenti.

CASUS XII. Didacus obtinuit parochiam per simoniam confidentialem occultam, ac consequenter incurrit suspensionem & excommunicationem. Nihilominus cepit possessionem parochiæ, & non obstante nullitate tituli sui, plurium parochianorum suorum confessiones excepit, aliasque functiones parochiales exercuit.

℟. Absolutiones ab eo collatæ sunt validæ; 1. quia habet titulum coloratum, cum provisiones suas obtinuerit a Supe-

Superiore legitimo, vel ſaltem reputato ut tali. 2. Quia intervenit error publicus, cum a tota parochia habeatur pro parocho legitimo. 3. Quia in eo non reperitur impedimentum juris naturalis aut divini, ſed ſolum juris Eccleſiaſtici. Concurrentibus hiſce conditionibus Eccleſia ſupplet juriſdictionem. *Pontas.*

CASUS XIII. Arnaldus parochus publice agnitus pro hæretico & ſchiſmatico, imo etiam per ſententiam excommunicationis aut degradationis abſciſſus a communione fidelium, ſecreto excepit confeſſiones quorumdam parochianorum ſuorum.

℞. Hæ abſolutiones ſunt nullæ; quia ad validam abſolutionem requiritur juriſdictio in pœnitentes: hæreticus autem aut ſchiſmaticus, qualis eſſe ſupponitur Arnaldus, omni juriſdictione caret. *Pontas.*

NOTA. Hæretici, etiam notorii non privantur juriſdictione ante ſententiam judicis.

CASUS XIV. Volnſianus parochus rogatur a parochianis ſuis, ut contribuat cum iis ad reparationem tecti eccleſiæ totaliter deſtructi per aliquam tempeſtatem. Id vero recuſat, dicens; cum parochiani teneantur parocho providere de habitatione convenienſe, eos etiam teneri ſibi providere de eccleſia, in qua poſſit celebrare divina; ſicque, ſi reditus pertinentes ad fabricam eccleſiæ non ſufficerent, parochianos teneri ad ſupplendum defectum.

℞. Hæc ratio parochi juſta non eſt: ſi enim reditus pertinentes ad fabricam non ſufficiant, parochus ex ſuis proportionaliter contribuere tenetur una cum parochianis. Ita ſtatutum in pluribus Conciliis, quod amplius dein firmatum fuit per Edictum Bleſenſe art. 52. ubi Henricus III. etiam per invaſionem bonorum temporalium adſtringendos jubet parochos, ut ad reparationes eccleſiarum pro ratione redituum ſuorum & ad arbitrium Prælatorum conferant. Notandum hic venit 1. communem in Gallia conſuetudinem eſſe, ut parochus, vel decimator major, ſiquis eſt, ferat expenſas pro reparatione Chori, parochiani autem pro reparatione navis eccleſiæ. 2. Excipiendi tamen ſunt parochi aut vicarii amovibiles, & illi, quorum reditus neceſſariam ſuſtentationem non excedunt. *Pontas.*

NOTA. In hac re attendendæ ſunt leges, conſuetudines, vel obſervantiæ particulares locorum legitime præſcriptæ,

CA-

CASUS XV. Germundus parochus ruralis sæpe negligit interesse Conferentiis ecclesiasticis in sua diœcesi ab Episcopo institutis.

℟. Hæc ipsius inobedientia erga Episcopum suum in materia tanti momenti a peccato excusari non potest. *Pontas.*

CASUS XVI. Parochus quidam gerit negotia Domini territorialis parochiæ suæ.

℟. Si exinde ingentia commoda retrahat pro pauperibus, ac pro bono Religionis, tuta conscientia poterit operam suam impendere pro re temporali Domini territorialis parochiæ, tamen scientibus ac probantibus id Episcopo suo, Vicario Generali, ac confessario. *Fromageau.*

CASUS XVII. Teneturne parochus docere parochianos suos per semetipsum?

℟. Tenetur personaliter docere parochianos per conciones ac catecheses publicas diebus dominicis ac Festis solemnibus: non tamen teneretur singulis Dominicis ipse personaliter concionari, si pro digna præparatione ad concionem non sufficeret ipsi una hebdomada, & si aliæ functiones parochiales, quas obit, non æque utiliter exercentur a vicario suo. *Fromageau.*

Nota. Tenetur singulis Dominicis vel per se, vel per vicarium habere concionem, saltem Homileticam, prælegendo, & exponendo caput Scripturæ, qui modus homileticus minori indiget studio, & minori intensione memoriæ, nec gaudet minori fructu, si more Patrum fiat.

CASUS XVIII. Parochus quidam, cum propter infirmitatem Beneficio suo deservire non amplius posset, illud resignat amico cuidam, certa spe fretus, fore, ut semper cum eo vivere possit in parochia, nec unquam deseratur,

℟. Parochus minime peccat per hanc resignationem; & reiterata promissa, quibus ei amicus se obstrinxit, se semper ejus rationem habiturum, nec unquam eum relicturum, nullam prorsus simoniam continent; neque obstant, quo minus parochiæ possessionem capere possit. *Fromageau.*

CASUS XIX. Potestne parochus interdicere presbyterum sua in Parochia commorantem & delinquentem, aut num tantum desuper monere Episcopum? An Concilium Provinciale Rothomagense de anno 1581. concedit parochis potestatem omnibus functionibus clericalibus interdicendi presbyterum non assistentem Officio parochiali, maxime diebus Dominicis & Festis? Potuitne hoc Concilium parochorum potestatem limitare in quibusdam casibus? Possuntne parochi

chi proprie ac privata authoritate statuere, quidquid pro bono statu Ecclesiarum suarum opportunum judicaverint? An mens ac propositum Concilii Rhothomagensis fuit novam potestatem parochis concedendi in eorum parochiis? Suntne parochi suis in parochiis quasi Episcopi, excepto quod non possint conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis? Habentne potestatem quamdam jurisdictionis?

℟. Parochus non habet potestatem nisi gubernandi parochianos suos in consuetis ac ordinariis. Clericos interdicendi potestas est penes solum Episcopum, qui potest agere in parochia tanquam immediatus Superior, independenter a consensu parochi, qui tantum est Episcopi vicarius. Parochi prohibere possunt, ne Clerici sibi subditi in propria parochia functiones obeant, nisi Episcopus sibi reservaverit eam potestatem, quæ est Jurisdictionis Episcopalis, cui Clerici simul & Laici de jure subjecti sunt. Concilium Rothomagense nunquam supposuit, parochos ratione Officii ac vi tituli sui habere aut habuisse potestatem interdicendi & suspendendi Clericos parochiarum suarum, si moniti non resipuerint. Concilium potuit limitare potestatem parochorum in quibusdam casibus: idem potest Episcopus aut Officialis nomine Episcopi. Parochus non habet potestatem provisionaliter statuendi, quidquid ipsi libuerit, non consulto prius ea de re Episcopo. Concilium Rothomagense non concedit novam potestatem parochis interdicendi presbyteros; falsumque est, mentem hujus Concilii fuisse, quod solus parochus possit provisionaliter judicare ac punire parochianos suos laicos & ecclesiasticos. Pariter falsum est, parochos in suis parochiis eandem habere potestatem, quam habent Episcopi, excepta potestate administrandi Sacramenta Confirmationis & Ordinis. Denique juxta declarationem Concilii Tridentini ad plura alia se extendit potestas Episcoporum, ad quæ se non extendit potestas Ministrorum inferiorum. *Fromageau.*

CASUS XX. Parochus quidam fuit condemnatus ad exilium.

℟. Talis condemnatio parochum reddit infamem, ac consequenter irregularem. Sublata per gratiam Principis infamia tollitur etiam irregularitas, parochusque ad suum ministerium redire posset. Papa potest quidem cum tali dispensare in irregularitate, eumque ad celebrationem Missæ admittere: verum cum in Gallia per hoc non tolleretur infamia, talis non posset celebrare, nisi in locis, ubi nota non est ejus condemnatio ad exilium. Finito exilio hic parochus

rochus ad Datariam se convertere debet, ut liberetur ab irregularitate, in quam propter infamiam delapsus est. *Fromageau.*

Nota. Hæc procedunt in sola Gallia. Non relegatio Principis sæcularis, sed causa, cui a jure annexa est infamia, reddit infamem.

CASUS XXI. Capucinus quidam extrahitur ex suo Conventu & constituitur in parochum, ut subveniat pauperibus suis parentibus & propinquis.

℟. Non potest relinquere Conventum suum, ac deponere habitum, nisi obtenta prius a Superioribus suis licentia. Casu, quo ipsi denegaretur a Superioribus licentia, eam concedere posset Episcopus. Nihilominus tamen, quantum per munus ac labores parochiales licuerit, Regulam servare debet, quam in Ordine suo professus est. *Fromageau.*

CASUS XXII. Potestne parochus, cujus parochia sex leucis Gallicis ab ecclesia Cathedrali dissita est, in ea possidere Capellaniam, Missarum obligationes annexas habentem, & vi fundationis addictam iis, qui ecclesiæ Cathedrali incorporati ad perpetuam residentiam obligantur, & *perpetui Servitores Ecclesiæ* vocantur?

℟. Parochus iste nequit ejusmodi Capellaniam possidere. *De Lamet.*

CASUS XXIII. Episcopus quidam parochum a sua avocat parochia, ejus opera usurus pro alio bono diœcesis.

℟. Residentia parochorum suis in parochiis est juris Divini. Et hinc, si opera ac ministerium, quod exigit Episcopus ab hoc parocho, sit incompatibile cum residentia, Episcopus parochiam debet conferre alteri; & tunc primum poterit uti illo parocho, prout opportunum judicaverit. *Fromageau.*

CASUS XXIV. Parochia quædam Regularis a ducentis jam annis unita fuit cuidam Abbatiæ Canonicorum Regularium, sub hac clausula, ut præsentatio sit penes Abbatem. Abbatia postmodum in Commendam mutata parochiam semper administrabat vicarius amovibilis, Religiosus ex eadem Congregatione, & a Generali ad nutum revocabilis. Cum autem Rex voluisset, ut hæc parochia conferatur in titulum, Generalis voluit obligare sub juramento Religiosum, qui de ea fuit provisus, ut reditus parochiæ relinquat Monasterio.

℟. Generalis non potest tale juramentum exigere: esset enim simoniacum, & consequenter nullatenus obligaret. Nihilo-

hilominus qui tale emisisset juramentum, tenetur adire Papam, ut ab eo liberetur. *Fromageau.*

Nota. Galli recte supponunt, Canonicos Regulares esse Capaces beneficiorum sæcularium Juris patronatus proprii, quin redditus parochiæ teneantur expendere in bonum monasterii vel ordinis.

CASUS XXV. Parochus quidam absque ulla sua culpa ingentium turbarum ac scandali in sua parochia causa exstitit. Quid illi agendum ?

℟. Si nullum aliud sedandæ procellæ remedium superest, debet dimittere parochiam suam; nisi Ordinarius, cui præsentem difficultatem tenetur exponere, spectatis quibusdam peculiaribus circumstantiis aliter judicaverit. *Fromageau.*

Nota. Hoc verum est, si innocens parochiam relinquere possit sine macula infamiæ sibi & corpori Clericali inhæsuræ ex discessu, quem plebs respicit, tanquam tacitam confessionem criminis, nisi præcedat declaratio publica innocentiæ per Episcopum.

CASUS XXVI. Parochus quidam cum frequenter in sua parochia gravi dolore capitis affligeretur, singulis annis per bimestre abit in locum vicinum ad captandum aerem saniorem. Interea tamen semper per id temporis sua in parochia sibi substituit alium presbyterum ad obeundas functiones parochiales summe idoneum.

℟. Parochus iste non est securus in conscientia; quia dolor capitis ex aeris intemperie proveniens non est causa legitima, quæ excusare possit parochum a residentia. Imo etiamsi hæc ratio esset sufficiens, parochus tamen non posset abesse per duos menses a sua parochia sine expressa licentia sui Episcopi, non obstante, quod loco sui substituat alium presbyterum idoneum (*Trid. Sess.* 23. *c.* 1.) Cum autem in casu posito non petierit hanc licentiam, concludendum est, eum non esse securum in conscientia. C. B.

CASUS XXVII. Parochus quidam baptizat infantem invito patre, utpote Judæo, sed cum consensu avi Catholici.

℟. Licite eum baptizat; quia avus est caput totius familiæ, & hinc authoritas ipsius præponderat authoritati reliquorum consanguineorum, ac etiam parentum, maxime in materia Religionis. Hoc solummodo curandum, ut infans baptizatus educetur inter Christianos, ne vivendo cum suis parentibus exponatur periculo Judaismi. C. B.

CASUS XXVIII. Parochus quidam Titium de casu reservato se accusantem remittit ad Superiorem, qui Titio concedit facultatem, ut possit absolvi a parocho. Teneturne parochus credere Titio id afferenti, eumque absolvere.

℟. Tenetur. *Homob. Girib.* C. B.

CASUS XXIX. Parochus quidam extra tempus Paschale nunquam accedit confessionale pro excipiendis confessionibus suorum parochianorum, nisi prima cujuslibet mensis Dominica.

℟. Regulariter loquendo ad plus non tenetur; quia regulariter loquendo parochiani rationabiliter non possunt petere; ut sibi administretur Sacramentum Pœnitentiæ, nisi semel in mense. Nihilominus, si per decursum mensis incideret Festum solemne, aut Indulgentiæ plenariæ, aut si quis sæpius velit confiteri, in his omnibus, aliisque similibus casibus parochus non posset parochianis suis denegare administratinonem Sacramentorum, quin suæ desit obligationi. *Bonac.* C. B.

NOTA. Parocho non potest esse fixa hora pro administratione Sacramentorum: non enim parochiani sunt propter ipsum, sed ipse propter parochianos; & hinc adeo ipsis frequens confessio aggravanda non est, ut vix possit nimium facilitari. Unde contra fr g dam, aut saltem languido tepore vacillantem responsionem sequitur, parochum vix unquam esse nimis assiduum in confessionali 1. quia plurimis frequentior confessio, quam unica in mense, potest esse vere necessaria, aut saltem evidenter utilis. 2. Quia parochus potius decet gaudere, ac pie in Domino gloriari, si parochiani sæpius ad sacrum pabulum accedant, idque nunquam sine prævia reconciliatione, 3. Quia tempus audiendis confessionibus destinatum a parocho fors non est opportunum majori parti parochianorum, qui sic longo tempore privabuntur bono pœnitentiæ ex defectu occasionis confitendi. Absit ejusmodi socordia a bono pastore animarum, qui non se ventremque suum, sed oviculas quærit, salutemque earum, qui ex solo motivo amoris agit, ac conformiter ad leges, spiritum, mentemque Christi & Ecclesiæ, ac ad exemplum praxinque timoratorum, quotiescumque ac quandocumque necessitas aut animarum utilitas postulaverit, sive commodum sive incommodum fuerit, fidelem ac fervidum Jesu Christi ministrum se se exhibet.

CASUS XXX. Parochus dum actu accedebat ad Aram pro celebrando Sacro in die Festo, monetur in præsentia totius populi Titium esse in articulo mortis, & quidem in domo rurali vix non uno milliari Gallico distante ab Ecclesia.

℟. Parochus tenetur differre, aut etiam omittere Sacrum; quia ex una parte præceptum confessionis in articulo mortis magis

magis urget quam præceptum audiendi Sacrum die Festo ; & ex altera parte non peccat, qui sine omni propria culpa omittit Sacrum. Nihilominus ne parochiani variis præoccupentur præjudiciis, monere eos debet de gravi ac urgente necessitate, qua urgetur ad excipiendam confessionem infirmi. *La Croix l. 6. part. 2. num. 223. aliique.* C. B.

Nota. Videtur mihi consultius, si populum hortaretur ad fervidam, comprecationem pro moribundo, & peractis substantialibus Missæ, pergeret ad infirmum, populo interea in comprecatione, vel in auscultatione piæ prælectionis, v. g. Epistolarum D. Pauli &c. relicto.

CASUS XXXI. Parochus quidam cum audiendo confessionem Caji in eo deprehenderet ignorantiam primorum principiorum fidei, denegat ipsi Benedictionem nuptialem, usque dum sufficienter instructus fuerit.

℟. Non potest ipsi denegari in hoc casu Benedictio nuptialis ; quia Decreta Pontificum, quibus parochi prohibentur ad Sacramentum matrimonii admittere non sufficienter instructos circa principia Religionis, tunc tantum urgent, quando parochus per aliam viam talem ignorantiam detexerit in contrahente matrimonium, & non, dum eam solum scit ex confessione. Cum ergo in casu proposito parochus non habeat aliam rationem Cajo differendi Benedictionem nuptialem, quam ignorantiam ipsius, eamque solum noverit ex confessione, dicendum, per dilationem Benedictionis nuptialis a parocho & Sacramento irrogari injuriam per violationem sigilli, & pœnitenti. *Sanchez de Matr. Barbosa de Offic. Paroch.* C. B.

CASUS XXXII. Caja vult nubere Titio, surdo & muto a nativitate. Parochus autem ipsis recusat Benedictionem nuptialem.

℟. Si Titius nunquam edidit aliquod signum, ex quo potuisset colligi, eum sufficienter esse instructum circa ea, quæ spectant ad substantiam matrimonii, prudenter agit parochus. Verum si ex signis & motibus Titii parocho moraliter certum fiat, eum scire, quid faciat contrahendo matrimonium, non potest obsistere huic matrimonio, si non aliunde aliquod impedimentum interveniat. *Boss. de Mat. Rosig. de Sponf. Sanchez de Sponf.* C. B.

Nota. Est impossibile, surdum & mutum a nativitate esse sufficienter instructum de obligationibus mariti Christiani; nisi per alphabeti literas fabre factas & ordine dispositas improbo labore didicerit intelligere libros vel scripturas.

CASUS XXXIII. Parochus quidam negat Titio Benedictionem nuptialem; eoquod nesciat orationem Dominicam, & præcepta Decalogi.

℟. Male agit parochus: licet enim melius foret, si differatur per aliquot dies celebratio matrimonii, ut Titius interea possit addiscere orationem Dominicam; non licet tamen absolute eum excludere a Sacramento, si sciat principia essentialia fidei, etiamsi ignoraret, aut memoria retinere non posset id, quod fideles communiter sciunt. *Bossius Diana.* C. B.

Nota. Qui ex culpa ac negligentia sua ignorat orationem Dominicam, actu non est capax absolutionis aut alterius Sacramenti. Insigniora Ritualia a matrimonio excludunt eos, qui nesciunt Symbolum. S. Augustinus eos nequidem admittit ad munus patrini. Si quis est adeo stupidus, ut ista necessario scienda non possit memoriæ imprimere, conandum saltem, ut apprehendat ea quoad substantiam. Hinc, sive ea ignorantia proveniat ex hebetudine innata, sive ex negligentia, non potest parochus contra decreta Synodorum, & sensum generalem Doctorum probatiorum sine peccato mortali ad matrimonium admittere eos, qui memoriter recitare vel legere nequeunt Orationem Dominicam & Symbolum Apostolorum.

CASUS XXXIV. Parochus quidam non habet sufficientes redditus pro honesta sustentatione; & hinc diebus fest.s non applicat Missam pro parochianis suis.

℟. Non est securus in conscientia. *Decret. Sac. Cong.* C. B.

Nota. Benedictus XIV. in Decreto de 19. Aug. 1744. sic ait: *Statuimus, quod iis etiam festis diebus, quibus populus Missæ interesse debet, & servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare & applicare teneantur.* Posito tamen, quod parochus hæc festando absolute congruam sustentationem non obtineret, censeo, cum Sacrificium Christi in Missa sit infiniti valoris, & primis duodecim sæculis potuerint recipi oblationes a mille personis, parochum in suo dyptico posse oblative meminisse. 1. Benefactoris. 2. Parochianorum; idque ex horum consensu rationabiliter præsumpto.

CASUS XXXV. Parochus quidam habens redditus plusquam sufficientes pro honesta sustentatione nunquam applicat Missam pro parochianis suis, nisi diebus festis.

℟. Non tenetur aliis diebus applicare: pinguiores enim redditus non fundant majorem obligationem circa hoc, quam tenues; sicuti non obligant ad prolixius aut bis dicendum quotidie Breviarium; id quod declaratum legitur a S. Congregatione 8. febr. 1716. C. B.

Nota,

Nota. Si parochus talis etiam intra hebdomadam tenetur femel vel bis ex ipfa conditione fui muneris celebrare, eo ipfo tenetur etiam applicare. Sic enim intelligendum eft Decretum de parocho habente pingues redditus.

CASUS XXXVI. Parochus quidam pingues habens redditus quandoque diebus Dominicis non applicat pro parochianis; femper autem id fupplet diebus feritatis.

℟. Probabilius id poteft: quia obligatio parochorum pingues redd tus poffidentium non eft diverfa ab obligatione aliorum parochorum. Jam autem ex Refponfo a Sacra Congregatione ad dubium propofitum dato 29. Januarii 1724. apparet, parochos tenues redditus poffidentes eligere poffe diem feriatum ad applicandam Miffam pro parochianis fuis; eodem confequenter privilegio gaudent etiam parochi ampliores redditus poffidentes. Dixi tamen probabile effe; quia Sacra Congregatio tantum loquitur de parochis pauperibus. C. B.

Nota. Cenfeo, hanc explicationem effe prorfus contrariam menti S. Congregationis, ac proin improbabilem. Ratio eft, quia populus ampliorem refert fructum ex Miffa pro fe dicta, cui ipfemet præfens affiftit, quam ex alia, cui non affiftit. Dein parochianis fit injuria, dum Miffa folemnis diebus Dominicis pro fe applicanda commutatur cum Miffa privata, quales intra feptimanam leguntur. Denique, etfi confentiat populus in hoc, eoquod parochus adeo fit pauper, ut non habeat honeftam fuftentationem, nifi primo oblato ftipendio fatisfaciat, non tamen cenfetur confentire, fi parochus habet abundantes redditus. Aliud dici poffet in cafu urgente ac extraordinario ex confenfu populi rationabiliter præfumpto, ut fi v. g. applicandum foret pro moribundo, & alius Sacerdos non adeffet.

CASUS XXXVII. Parochus quidam prohibet celebrari Miffam diebus feftis in Sacellis exiftentibus in diftrictu parochiæ fuæ ante Miffam parochialem; quod tamen parochiani ægre ferunt.

℟. Si hæc prohibitio parochi fundatur in quodam Decreto Epifcopi, aut Conftitutione Synodali, parochiani non poffunt jufte conqueri. Si vero parochus proprio tantum ac privato inftinctu id prohibet, hæc prohibitio nulla eft; quia Sacra Congregatio pluries declaravit, a parochis fimilem prohibitionem propria authoritate fieri non poffe. C. B.

CASUS XXXVIII. Paterfamilias quidam non mittit liberos fuos ad inftructionem catecheticam, nec parochus eos venire jubet. Cuinam horum imputanda eft eorum ignorantia in doctrina fidei?

℟. Utrique, & Patri & parocho: utriusque enim auribus olim occinetur illud Jeremiæ: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* C. B.

CASUS XXXIX. Parochus quidam, cujus parochia sita est prope Ecclesiam Archipresbyteralem, diebus festis omittit concionem, suosque parochianos numero paucos invitat, ut iis diebus accedant conciones Archipresbyteri fervidas admodum ac solidas.

℟. Peccat parochus; quia Concilium Tridentinum expresse vult, ut parochi saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus concionem habeant. C. B.

CASUS LX. Parochus quidam obligationi suæ se satisfacere existimat, si publice catechesin instituat, etsi sciat, plures parochianorum suorum præ cæteris rudes non sufficienter exinde instrui circa mysteria Religionis.

℟. Non satisfacit; quia supposito, quod parochus sciat, quosdam parochianorum suorum haud sufficienter edoceri per catecheses publicas, tenetur defectum supplere per instructiones particulares ac privatas: cum enim parochorum obligatio sit disponere parochianos ad digne recipienda Sacramenta, ut eruitur ex quadam propositione damnata ab Innocentio XI., etiam obligantur eousque illos instruere, donec removeatur ignorantia, qua inhabiles redduntur ad valide ac licite recipienda Sacramenta. Consequenter si catechesis publica quibusdam non sufficiat, eos tenetur privatim instruere. C. B.

CASUS XLI. Parochus quidam per integrum mensem concionem non habet.

℟. Peccat mortaliter. *Leand.* C. B.

NOTA. Aliter forte sentiendum circa parochias alternativas, si intra mensem incidat vacantia divini officii. Peccant tamen graviter Episcopi & Visitatores non regulando in singulis parochiis vacantias nimias, & modos Sermonum vel Discursuum ad populum.

CASUS XLII. Parochus quidam sciens, pueros ac puellas parochiæ suæ perbene catechismum domi a suis parentibus discere, eos non convocat diebus festis ad ecclesiam.

℟. Saltem non peccat mortaliter; quia parochi non obligantur parvulos instruere in catechismo, nisi ad supplendam negligentiam parentum. Si ergo in parochia quadam parentes ipsemet universim omnem industriam adhiberent ad informandos in doctrina Christiana liberos suos, parochi non peccarent graviter omittendo catecheses. DIXI. *non peccaret graviter*; quia nihilominus esset culpabilis negligentia, si parochi non convocarent infantes diebus festis, ut sic magis con-

confirmentur, ac roborentur in principiis fidei, ac mutuo ſeſe exemplo provocent. C. B.

NOTA. O miſerum ſane parochum, qui alienis tantum, & non ſuismet videt oculis, aut eorum, quos ad obeundas vices ſuas talentis ac virtute præditos ſubſtitutos ſibi habet! Quantumcumque induſtrii ſint parentes in cultura liberorum, quam facile tamen inſtructiones circa principia fidei ac morum omittuntur, maxime ruri ubi major cura temporalium quam ſpiritualium! quam leviter ejusmodi inſtructiones excipiuntur a juventute! quam celeriter memoria evaneſcunt! Et quis parochorum neſcit, quam leviter plerumque tincti ſint ipſimet parentes in doctrina fidei, maxime cum adultiores vanitatibus ſæculi præpediti catecheſes frequentare neglexerunt. Abſit, ut laxiſſimæ huic reſponſioni ego aſſentiar, qui & me & alios quoscumque demum publicas catecheſes per notabile tempus intermittentes peccati graviſſimi condemnarem: catecheſis enim inter præcipuas vocationis parochialis partes numeranda.

CASUS XLIII. Parochus quidam in duodecim Feſtis per annum non habet concionem.

℞. Peccat graviter. *Leander*. C. B.

CASUS XLIV. Parochus quidam putat, ſe eſſe exemptum ab obligatione concionandi; quia ante Veſperas catecheſin habet.

℞. Non eſt exemptus, ut colligitur ex pluribus locis Concilii Tridentini, ubi obligationem concionandi diſtinguit ab obligatione habendi catecheſes. C. B.

CASUS XLV. Parochus quidam committit alteri Sacerdoti munus catechizandi.

℞. Non poteſt alteri committere absque cauſa legitima; quia non cuicumque alteri Sacerdoti, ſed parocho dicta ſunt hæc Chriſti verba: *Paſce oves meas. Conc. Trid.* C. B.

CASUS XLVI. Parochus quidam ut tranquille magis, magisque ſolitarie poſſit vivere, curam parochiæ ſuæ committit alteri Sacerdoti, quem ſcit piiſſimum ac doctiſſimum.

℞. Parochus iſte non eſt ſecurus in conſcientia: nam ſi juxta Concilium Tridentinum parochus non poteſt absque ratione legitima munus concionandi deferre alteri, multo minus ipſi licet alterius miniſterio uti ad omnes functiones, quæ parocho ratione muneris ſui incumbunt. C. B.

CASUS XLVII. Parochus quidam non curat lampadem accendi coram SS. Sacramento.

℞. Peccat mortaliter, ſi ex negligentia ipſius contingat, lampadem per integram diem ac noctem non eſſe accenſam. *Rit. Rom. Diana. Gobat. Bortunus & alii.* C. B.

Nota. Circa tales recentioris ævi leges ceremoniales adiaphoras non facile ſtatuenda ſunt peccata mortalia. Obſervo, Probabiliſtas circa leges ceremoniales adiaphoras eſſe ad ſuperſtitionem usque rigoroſos; econtra in animarum, Religionis, & regnorum perniciem faciles circa leges naturales & divinas.

CASUS XLVIII. Parochus quidam ſtudiorum inimicus, & hinc neſciens tranſigere tempus pomeridianum, inviſit quempiam ex parochianis ſuis, ibique in præſentia plurium diſcurſus miſcet admodum liberos.

℟. Si averſio, quam habet erga ſtudia, & fovere pergit per ejusmodi diſcurſus, eum inhabilem reddit ad digne explendas obligationes ſtatus ſui, peccat mortaliter. Addo, hunc parochum etiam committere peccatum ſcandali, ac peccatum contra virtutem oppoſitam diſcurſibus his liberioribus. Ultra peccatum ſcandali peccaret contra votum caſtitatis, ſi diſcurſus iſti in animo excitarent aut provocarent motus inordinatos; hocque peccatum ſemper eſſet mortale. Denique peccaret parochus contra juſtitiam, ſi per hos diſcurſus læderetur fama proximi; peccatumque eſſet aut leve aut grave, ſcilicet pro levitate aut gravitate materiæ. C. B.

CASUS XLIX. Parochus quidam, cum ipſi deficerent ſtipendia pro Miſſis, perſuaſit parochianis ſuis, medium conſequendi ſalutem æternam ſecuriſſimum eſſe, ſi multas Miſſas legi curarent pro ſolatio animarum purgatorii.

℟. Dupliciter culpabilis eſt parochus iſte. Primo, quia proponit parochianis ſuis doctrinam falſam. Secundo quia in hiſce circumſtantiis præbet anſam ſuſpicandi, ſe ſtimulante potius avaritia, quam deſiderio ſubveniendi animabus purgatorii hanc populo doctrinam propoſuiſſe. C. B.

Nota. Etiam hoc pertinet ad gravia peccata Epiſcoporum ac Viſitatorum, concionibus & aliis modis quæſtuariis remedium efficax in radice non opponentium

CASUS L. Parochus quidam ſciens, quemdam parochianorum ſuorum largiſſimas facere eleemoſynas ad Sacellum B. Virginis, & vix ullas ad eccleſiam parochialem, eum ſevere reprehendit, dicens, quoad hoc rationem habendam eſſe eccleſiæ parochialis, & non alterius.

℟. Loquendo in genere, ac præſcindendo a circumſtantiis particularibus, ut fit in caſu propoſito, quo agitur de eleemoſyna prorſus gratuita, certum eſt, parochum peccare: cum enim parochianus plenam libertatem habeat in diſpenſatione eleemoſynarum ſuarum, nemini facit injuriam, ſi ſequatur ſtimulum devotionis ſuæ, & largiores eroget eleemo-

ſynas

ſynas in Sacellum B. Virginis, quam in eccleſiam parochialem. Conſequenter parochus peccat, eum propterea reprehendendo. C. B.

Nota. Si parochiali eccleſiæ deeſſet honeſtas in ædificiis, altaribus, paramentis, miniſtris &c. parochus recte urgeret meliorem ordinem charitatis.

CASUS LI. Parochus quidam, qui unicam tantum habet ancillam parum aptam ad pulſandas campanas, non curat ſignum dari ad *Angelus Domini.*

℟. Hæc omiſſio eſt tantum venialiter peccaminoſa, etiam poſt indulgentias a Benedicto XIII. conceſſas; quia ex nulla parte reperitur, hoc præceptum obligare ſub pœna peccati mortalis. Parochus nihilominus ex zelo, quo imbutus eſſe debet ad promovendum bonum ſpirituale ſuorum parochianorum, curare debet, ut exacte detur ſignum iſtud. C. B.

Nota. Si ea negligentia duraret longo tempore, v. g. per aliquot menſes, non poſſet excuſari a gravi peccato; quia induceret contemptum conſuetudinis valde laudabilis, recolligendi animum ad Deum ter in die, & recolendi myſterium Incarnationis.

CASUS LII. Parochus quidam non habet regiſtrum eorum, qui Sacramentum Confirmationis receperunt, ſub prætextu, quod plures parochianorum ſuorum adducti fuerint a conſanguineis ſuis ad Confirmationem ſe inſcio adminiſtratam.

℟. Peccat graviter; quia, ut ait Poſſevinus *de Offic. Par. c.* 12., eadem ratio eſt libri Confirmationis, & librorum baptiſmalis ac nuptialis. Concilium Tridentinum autem *Seſſ.* 24. declarat, parochum peccare graviter, qui non habeat librum baptiſmalem. Conſequenter etiam graviter peccat, ſi non curet habere librum, cui inſcribat nomina eorum, qui Sacramentum Confirmationis receperunt. C. B.

CASUS LIII. Presbyter quidam recens nominatus ad parochiam comperit, Prædeceſſores ſuos a tempore immemoriali concionem non habuiſſe, ex eoque ſemet ipſum excuſandum putat, ſi nullam habeat.

℟. Fallitur hic parochus; quia Concilium Tridentinum *Seſſ.* 5. *c.* 2. & recentius adhuc Innocentius XIII. & Benedictus XIII. in Bullis hac ſuper re emanatis mandant omnibus parochis, ut ſaltem diebus Dominicis, ac Feſtis ſolemnibus concionem habeant, non obſtante conſuetudine contraria, temporis etiam immemorialis; quam conſuetudinem, ſiqua vigeret, abuſum ac corruptelam vocant. C. B.

CASUS LIV. Parochus monetur, infirmum quempiam paulo ante confessum, esse in articulo mortis constitutum. Hinc ocyus sumit Ciborium, & currit ad infirmum. Quaeritur 1. An in simili casu parocho Sacrum Viaticum manu gestanti liceat currere. 2. Si parochus actu consisteret ad aram, an deberet interrumpere Missam.

℞. *Ad* 1. Non licet currere in tali casu: licet enim agatur de Sacramento summe utili infirmo moriturienti; hoc tamen Sacramentum non est absolute necessarium. Hinc nulla datur ratio excusans formalem indecentiam, imo & scandalum, quod praeberet Sacerdos, si manu tenens Sanctissimum Christi Corpus curreret per plateas. *Ad* 2. Si infirmus actu est in ecclesia, aut prope ecclesiam, parochus debet interrumpere Sacrificium Missae, etiam post Consecrationem; quia ex una parte interruptio est levis, & ex altera parte utilitas in infirmum redundatura sufficientem rationem suppeditat, qua excusari possit interruptio. Si autem infirmus existat in loco admodum remoto ab ecclesia, Sacrificium Missae non est interrumpendum; quia, cum nessitas infirmi, qui supponitur jam fuisse confessus, non sit admodum urgens, reverentia Sacrificio Missae debita exigit, ut non fiat talis interruptio. Nihilominus in hoc secundo casu possent intercurrere circumstantiae, ubi aliud agendum foret parocho; prout nempe prudens ipsi judicium suggesserit.

Vide *Absolutio.* Cas. 2. 4. 5. 6. 12. 16. 22. 25. 32. *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Confessarius. Permutatio. Provisio. Residentia parochorum. Resignatio. Sigillum sacramentale Simonia.*

PASCUA.

1. *Pascua* vocamus loca illa, in quibus pecora & armenta pascuntur. Dicitur habere jus pascendi, cui licet per armenta sua depascere loca, quae jure proprietatis ad ipsum non pertinent.

2 Praecipuae regulae ad jus pascuale pertinentes sunt: Si jumenta, armenta vel pecora praesentibus vel absentibus pastoribus depascant prata tali tempore vel in iis locis, in quibus pascuorum usus prohibitus est, Dominus, cujus sunt pecora, tenetur de damno ab iisdem causato. Idem quoque dicendum de loco, in quo pascuorum usus permissus est, si ibidem tenellis arboribus qualiscunque noxa a gregibus inferatur.

3. Vi-

3. Vigent consuetudines Juri Civili Romano contrariæ, vi quarum proprietario loci, si forte in suo fundo deprehenderit pecora, eadem secum abducendi, & tamdiu domi suæ, donec illata damna resarciantur, detinendi potestas conceditur.

4. Jus pascendi potest aquiri vel ex titulo, vel per præscriptionem temporis immemorialis, ad quam probandam incolæ loci simile jus prætendentes non possunt admitti pro testibus.

5. Non licet ante primam falcem, id est primis graminibus nondum demessis ad pastum etiam in proprium agrum pecus educere.

6. Quælibet ruricolarum communitas jure pascendi gaudens debet habere pastorem pro custodia gregum, ne cuipiam aliqua noxa aut pauperies ab armentis inferatur.

7. Circa hanc materiam observandæ sunt constitutiones Principum & jus provinciale, quod pro varietate locorum est varium.

CASUS I. Cælestinus cujusdam olim parochiæ Dominus territorialis spatium campestre quinquaginta vel sexaginta jugera complectens pagi illius incolis ad pascendos ibi greges suos concessit. Hos inter erant tres agricolæ reliquis opulentiores, qui singuli gregem quadringentorum ovium educebant in hoc arvo pascendarum. Conqueruntur cæteri duas non nisi vaccas habentes, vaccis suis a tanto ovium grege nullum amplius relinqui pabulum; quin etiam prætendunt, non licere agricolis greges suos ad hujusmodi pascua communia emittere, vel saltem numerum ovium ibidem pascendarum minuendum esse. Licetne præfatis agricolis reliquorum querelis insuperhabitis posthac, uti hucusque, frequentare hæc communia pascua? & supposito, quod hoc non possint salva conscientia, nec tamen abstineant, daturne obligatio ex parte Domini, ut agricolas, non obstante quod sint ipsius coloni vel conductores, cogat ad relinquenda hæc pascua?

R. Jus pascendi debet comparari cum aquis fluminum irrigandis agris aut pratis destinatis. Jam vero, moraliter loquendo, cuilibet debet concedi æqualis portio aquæ, nisi aliquis possit probare, majorem sibi quam aliis portionem deberi. *Fluminum publicorum communis est usus, sicuti viarum publicarum & littorum.* inquit L. *Fluminum.* 24. ff. Lib. 39. Tit. 2. *In his igitur publice licet cuilibet ædificare; & destruere; dum tamen hoc sine incommodo cujusquam fiat. Leg. Fluminum ff. Damno infecto* 2. *&c. lib.* 3. *tit.* 2. Adeoque quan-

quantum concernit pafcua publica ac communia, horum ufus debet diftribui *ex æquo & bono*; ex quo proin fequitur, præfatis agricolis non licere falva juftitia per fuos greges depafcere totum arvum pafcuis communibus deftinatum, vel certe debere eos imminuere numerum ovium fuarum. Quodfi pertinaciter renuant, a Domino territoriali cogendi funt. *Pontas.*

CASUS II. Bertinus prædives agricola plurimos poffidet equos, boves & vaccas, & immodicum arietum gregem. Ex his partem aliquam mittit ad depafcendum pratum, quod ad ipfummet proprietatis jure pertinet. Poffuntne tum dominus territorialis tum reliqui incolæ fefe opponere ex eo capite, quod prima gramina nondum fint demeffa?

℟. Intereffe boni publici exigit, ut privati propria fua confervent, nec deftruant, antequam ad maturitatem pervenerint. Adeoque jufte reliqui pagani fefe opponunt Bertino, eoquod jubeat depafci primas herbas fui prati; nifi pratum hoc muro vel fepibus circumquaque claufum fit. Idem dicendum de agro jam feminato. *Pontas.*

PATERFAMILIAS.

1. Quod Epifcopus eft in fua diœcefi, id ipfum eft paterfamilias in domo fua; & ficut Epifcoporum eft omni follicitudine animarum fibi concreditarum faluti invigilare, fic & patrumfamilias eft bonum tam fpirituale quam corporale domefticorum fuorum omni ftudio promovere: hinc in fcriptis Patrum nil ufitatius, nihilque occurrit frequentius, quam comparatio Epifcopum inter & patremfamilias. Ut igitur patresfamilias, rectorefque familiarum etiam exiguarum ea, quæ muneris fui funt, exacte impleant, in id potiffimum incumbere debent, ut inftruant vel ipfi per fe vel per alios, corrigant, & ad Chriftianarum virtutum praxin ac juge exercitium exemplo fuo pertrahant omnes domefticos fuos ea prorfus ratione ac obligatione, qua parentes tenentur refpectu liberorum fuorum. *Hortamini*, ait S. Auguftinus Lib. un. de falutar. docum. *imperate, & quantum in vobis eft, iis perfuadete, ut evitent fuperbiam, detractionem, ebrietatem, fornicationem, & impudicitiæ genus omne, indignationem, perjuria, denique cupiditatem, quæ omnium malorum radix eft.*

2. S. Carolus Conc. Mediol. III. ubi obligationes omnes Patrumfamilias paucis enumerat, ponit & hanc, ut domeftici miffæ parochiali, Officiis divinis, concionibus, catechefibus,

ſibus, publicis pietatis exercitiis, proceſſionibus &c. diligenter interſint, ut ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequenter accedant, ut a converſationibus periculoſis abſtineant, & diebus Dominicis ac feſtis de præcepto opera ſervilia non exerceant. Denique tenentur patresfamilias domeſticis ſuis ſtatuto tempore conventam mercedem ſolvere, &, ſi fors eos ægrotare contigerit, Chriſtiana cum charitate curare, ne quid ſubſidiorum tam ſpiritualium quam corporalium eis deſit.

CASUS Timotheus paterfamilias famulum habet domeſticum, qui antiquum & inveteratum erga alium famulum fovet odium, ita ut omnino eidem reconciliari renuat. Quid agendum?

℟. Si adhibitis omnibus charitatis ac monitionum rationibus famulus hic cum altero in amicitiam redire nolit, ac insuper ad inimicitiam hanc fovendam domini ſui authoritate abutatur, paterfamilias tenetur eum domo ſua dimittere; quia alias ipſi anſam præberet in peccato perſiſtendi. *Fromageau.*

Vide *Domeſtici. Liberi. Parentes.*

PATRIMONIUM, TITULUS AD ORDINES.

CASUS I. Clericus quidam, qui docendo grammaticam ſingulis annis lucratur plusquam centum florenos, quærit, an non hoc ſolo titulo poſſit recipere ſacros Ordines.

℟. Non ſufficit hic titulus; quia Tridentinum vel titulum Beneficii exigit, vel patrimonii, & quidem in bonis ſtabilibus ac ſolidis fundati. Sacra Congregatio Concilii interpres olim ad quæſtionem: *An ex lucris per artem muſicam, per magiſterium grammatices, per gradum Theologiæ, & hujusmodi aquiſitis ad ſacros Ordines promoveri aliquis queat;* reſpondit: *non poſſe, ſed requiri omnino vel Beneficium, vel patrimonium ad vitam promovendi honeſte ſuſtendandam ſufficiens.* C. B.

CASUS II. Titius filio ſuo Clerico ad ſacros Ordines recipiendos in patrimonium aſſignat omnia bona ſua, quorum annui proventus 200. francorum ſummam excedunt; attamen cum hoc onere, ut ad dies vitæ victum ac veſtitum ipſi præbeat.

℟. Patrimonium hoc non eſt legitimum; ad hoc enim, ut patrimonium ſit legitimum, requiritur, ut ſit fundatum

in

in bonis ftabilibus liberis, absque onere, quorum annui proventus 200. francos æquant. Sed conditiones hæ defunt patrimonio fupradicto; quia enim exceffus fupra 200. francos non conftituit fummam fufficientem pro fuftentatione patris, evidens eft, quod deductis ad illius alimentationem neceffariis, filio non remaneret integrum patrimonium ducentorum francorum. Et fic patrimonium iftud non debet haberi pro legitimo. C. B.

CASUS III. Sempronius duos habet filios, & horum alterutri ad ftatum clericalem afpiranti in patrimonium affignat caftellum cum omnibus redditibus; & id folum totam familiæ fubftantiam conftituit. Poteftne hoc patrimonium ut legitimum admitti?

℟. Per fe loquendo patrimonii hujus defignatio, facta a patre in unius filii favorem, effet in præjudicium alterius fratris, qui portione legitimæ fibi debitæ privaretur; imo vergeret in damnum totius familiæ, quæ, fi filius omnes redditus in fuum ufum converteret, non haberet, unde fuftentari poffet. Dicitur: *per fe loquendo*; nam fi pater haberet pleniffimam poteftatem difponendi de caftello, & alter filius fratri fuo jus fibi competens ceffiffet, defignatum patrimonium deberet haberi pro legitimo. C. B.

CASUS IV. Chremes, licet opulentiffimus, adduci tamen non potuit, ut filio fuo ardenter ad facros Ordines afpiranti, nec alium titulum habenti patrimonium affignaret. An non peccat?

℟. Peccat graviter, nifi vocatio filii appareat ipfi valde incerta, vel filium judicet parum idoneum minifterio altaris ob ignorantiam, aut depravatos mores. Veritas hujus refponfionis fundatur in jure naturali, vi cujus parentes tenentur providere liberis fuis de honefta fuftentatione in eo ftatu, ad quem a providentia vocati prudenter creduntur. C. B.

Vide *Ordo*, *Sacramentum*.

PATRINUS.

1. Patrinus vocatur, qui infantem ex facro baptifmatis fonte fufcipit, eidemque nomen imponit; unde patrinus fit quafi pater fecundus infantis, fpiritualis fcilicet, dum nomine ejusdem fidem catholicam profitetur, fidemque pro illo fuam Ecclefiæ obligat: hinc oritur obligatio patrini, curandi ac vigilandi pro bona educatione ac inftructione infantis,

faltem

saltem in defectu parentum naturalium ; & quia Religiosi ac moniales, utpote viventes sub obedientia, non possunt satisfacere huic obligationi, etiam non possunt esse patrini & matrinæ : nec ad hoc munus admittendi sunt, nisi qui profitentur fidem Romano - catholicam, sufficienterque in præcipuis Religionis nostræ mysteriis instructi sunt.

2. Patrinus & matrina contrahunt cognationem spiritualem non solum cum patre & matre suscepti infantis, sed etiam cum ipso infante, ut declaravit Bonifacius IV. anno 607. Papa electus ; cumque cognatio ista inducat impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, ne nimium multiplicentur ejusmodi impedimenta, Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 2. de reform. matrim. *statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant.* In Ecclesia orientali puellis non conceditur patrinus, sed solum matrina.

3. Ceremonia hæc ecclesiastica infantes ad baptismum præsentandi per patrinos & matrinas est antiquissima. Tertullianus in libro, quem ad finem sæculi secundi inscripsit, *de baptismo*, testatur, hunc usum jam ante sua tempora viguisse in omnibus locis, in quibus Religio florebat Christiana.

4. Ecclesia autem hunc ritum instituit 1. Ut patrini nomine Ecclesiæ offerant infantem Jesu Christo ad recipiendum per manus sacerdotis ejusdem ministri baptismum ab eo institutum, ut nos efficiat filios Dei : *hic est, qui baptizat.* 2. Ut, cum infans usum loquelæ necdum habeat, patrini nomine ipsius eidem profiteantur, ac loco ipsius promittant Deo & Ecclesiæ, ac fidejubeant, eum fideliter ac religiose adimpleturum omnes obligationes in receptione Sacramenti contractas. *In Ecclesia Salvatoris*, inquit S. Augustinus Can. *In Ecclesia.* 130. de consecr. dist. 4. *per alios parvuli credent, sicut ex aliis ea, quæ illis in baptismo remittuntur, peccata traxerunt.* Et Can. *Vos ante.* 105. ibid. *Vos ante omnia tam mulieres quam viros, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere.*

CASUS I. Natalis ex sacro baptismate suscepit infantem, qui octavo ætatis suæ anno utroque parente orbatur. Natalis, qui omnem pupilli curam abjecit, nec ab aliis instruendum curavit, estne gravis peccati reus ?

R. Si parvulus iste adeo fuit neglectus, ut nemo prorsus curam habuerit pro ipsius institutione in rebus ad animæ salutem pertinentibus, Natalis absolute obligatur providere de ejus instructione. Doctrina hæc est complurium

Conci-

Conciliorum: prætermiſſis antiquoribus Remenſe de anno 1583. ait: *Parœcus moneat ſuſceptores, fidei pro ſuſcepto ſponſores eſſe, atque eos obligari, cum infans ad adultam ætatem pervenit, eum docere fidei rudimenta, ſeu ſymbolum... niſi id a parentibus præſtari poſſit*: hoc enim onus ſimul cum munere patrini in ſe ſuſcepit Natalis. *Pontas.*

CASUS II. Apollonius vicarius ad baptiſmum infantis admiſit tres patrinos & tres matrinas. Fierine id potuit absque peccato?

℞. Non potuit absque peccato tot admittere: egit enim contra expreſſam prohibitionem Tridentini loco ſupra citatò ſic decernentis; *Sancta Synodus... ſtatuit, ut unus tantum, ſive vir ſive mulier, juxta ſacrorum canonum inſtituta; vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant... Si parochi culpa, vel negligentia, ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur.* Nec a peccato excuſare ſeſe poterit Apollonius prætextu ignorantiæ; cum ex ipſa ratione ſtatus ac vocationis ſuæ teneretur ſcire, quæ Eccleſia hac ſuper re ſtatuit. *Pontas.*

CASUS III. Nazarius parochus vocatus ad baptizandos ſimul duos infantes, ad unius baptiſmum pro patrino admiſit Religioſum, & Beneficiatum ad alterius. An bene?

℞. Religioſus neutiquam eſt admittendus, qui, cum ſæculo renunciaverit, defunctis infantis parentibus non poteſt ejusdem curam gerere, utpote votis obedientiæ & paupertatis ligatus. *Placuit communi noſtro Concilio*, ait Eugenius Papa Can. Placuit. 8. 16. q. 1. *ut nullus monachorum præſumat neque filium de baptiſmo accipere... neque aliis quibuscumque negotiis ſeſe implicare. Sit clauſtro ſuo contentus; quia, ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio monachus. Sedeat itaque ſolitarius & taceat; quià mundo mortuus eſt, Deo autem vivit.* Et Concilium Antiſſiodorenſe Can. *Non licet.* 103. de Conſecr. diſt. 4. *Non licet Abbati vel monacho de baptiſmo ſuſcipere filios, nec commatres habere.* Diſciplinæ hujus vix non ab omnibus Conciliis firmatæ ratio eſt, ne perſonis vitæ religioſæ conſecratis præbeatur occaſio contrahendi familiaritatem cum fœminis, quod hac ratione titulo compatrum ac commatrum facile fieri poſſet. Quædam Concilia, ut Aquenſe anno 1585. celebratum, hanc prohibitionem extendunt ad omnes Clericos etiam ſæculares in Sacris conſtitutos, & Beneficiatos. Concilium Remenſe id interdicit Clericis in locis reſidentiæ ſuæ. S. Carolus autem ſine ulla limitatione ac univerſim Clericos a munere patrini arcendos præcipit. *Pontas.*

CASUS IV. Eusebius nullibi inveniens patrinum catholicum pro infante mox baptizando, cum jam ultra baptismus differri non possit, admittit hominem hæreticum. An non casus urgentis necessitatis eum excusat a peccato?

℟. Peccavit mortaliter, infideles enim, hæretici, imo etiam solum suspecti de hæresi, schismatici, excommunicati, peccatores publici, iique, qui necessaria ad salutem ignorant, nunquam acceptandi sunt pro patrinis, qui sunt patres spirituales infantis, & consequenter in conscientia tenentur in casu necessitatis eum instituere in omnibus, quæ fidem ac bonos mores concernunt, qua de re sese sponsores sistunt Ecclesiæ; id autem a memoratis personis expectari non potest. *Pontas.*

Vide *Baptismus. Impedimentum Cognitionis spiritualis.*

PATRONATUS.

1. Patronatus res erat primis Ecclesiæ sæculis prorsus incognita: eo enim tempore fundatores ecclesiarum nec jus habebant nominandi ministros ad ecclesiam a se fundatam deservientes, nec ullam aliam præeminentiam, ut expressis terminis declarat Papa Gelasius I. in duobus canonibus in Decreto Gratiani relatis, scilicet Can. *Piæ mentis.* 26. & Can. *Frigentius.* 27. 16. q. 7. Imo Ecclesia semper sese opposuit consiliis fundatorum laicorum presbyteros ad ministerium ecclesiæ nominare volentium; & nihil ipsis concedebatur, nisi simplex libertas comparendi in conventibus publicis fidelium, & processionibus eorum. Haud inutile erit advertere hic lectorem, quod quidam Authores cum Glossa male intellexerint verba Gelasii Papæ, *processionis aditum*, ac pro eo sumpserint, ac si fundatoribus deberetur quædam dignitas aut præeminentia, eo quod vox, *Processus*, in quibusdum legibus ac authoribus profanis in ea significatione occurrat: sed ipsemet Gelasius Papa præfata verba sumit evidenter in eo sensu, qui hic ipsis tribuitur; quod patet ex duobus aliis ejusdem canonibus, nempe Can. *Presbyteri.* 3. dist. 24. & Can. *Præcepta.* 5. de Consecr. dist. 1. Quod autem successu temporis fundatoribus concessum est, consistit in hoc: 1. Suppeditabantur ipsis ab Ecclesiis necessaria vitæ subsidia, dum, postquam bona sua donarunt ecclesiæ, forte in statum indigentiæ relapsi sunt. 2. Ad excitandam pietatem eorum senium refrigescentem permittebatur ipsis præsentatio ministrorum idoneorum ad servitium ecclesiæ; quem usum postea Imperator Justinianus sua authori-

thoritate firmavit duabus desuper editis constitutionibus, & Concilium Toletanum anno 655. habitum confirmavit. Praerogativa haec primitus soli personae fundatoris conveniebat; postmodum autem extensa est etiam ad successores ac haeredes eorum.

2. Patronatus igitur est jus fundatoribus Beneficiorum, eorumque descendentibus concessum praesentandi collatoribus ordinariis personas habiles ad administranda Beneficia?

3. Patronatus vel est *ecclesiasticus*, vel *laicus*. Ecclesiasticus est *Potestas Clerico competens praesentandi instituendum ad vacans Beneficium*: & hoc jus potest Patrono ecclesiastico competere ratione rectoratus ecclesiae aut dignitatis, vel fundationis ex bonis ecclesiasticis, aedificationis ecclesiae, vel dotationis Beneficii. Patronatus laicus est *Potestas competens Laico praesentandi ad Beneficium*, dum nempe ex bonis patrimonialibus & saecularibus eccesiam fundavit vel aedificavit, Beneficium erexit, vel dotavit.

4. Jus Patronatus quamvis ex natura sua sit indivisibile, potest tamen possideri a pluribus conjunctim; & quando tum agitur de actuali ejusdem exercitio, quilibet pro se habet vocem suam; pluralitas autem suffragiorum praevalet.

5. Cum jus Patronatus tam realis quam personalis pertineat ad res spirituales, absque simonia seorsim vendi non potest; vendito tamen fundo, cui jus hoc annexum est, transit & ipsum in emptorem, sine peculiari tamen aestimatione.

CASUS I. Marculfus pro aedificanda ecclesia parochiali praebuit fundum: Melonius sumptus atque expensas in fabricam suppeditavit: & Geremarus eidem constituit dotem quadringentos florenos annuatim persolvendos. Omne id factum est cum consensu Episcopi dioecesani. Cuinam ex his tribus competit jus Patronatus?

℟. Ex quo Episcopus consensit in aedificationem hujus ecclesiae, ejusdem dotationem, & donationem fundi, singuli eorum gaudent imposterum jure Patronatus. Et quoties quis fundat, exstruit, & dotat ecclesiam cum assensu Episcopi, eo ipso aquirit jus Patronatus, licet nulla interveniat stipulatio, qua illi hoc jus adscriberetur, nisi Patronus expresse declaraverit, se illud penes ecclesiam relictum velle. *Pontas.*

CASUS II. Veturius habet jus Patronatus in quadam ecclesia ob factam eidem donationem fundi. Contendit jam, non posse se privari praerogativa Patroni, nec juribus honorificis eidem annexis; quamvis fundus ille cum assensu

omni-

omnium loci incolarum a parocho & ecclesiæ curatoribus fuerit venditus Ferdinando, qui jus hoc, utpote fundo annexum, cum fundo empto ad se transiisse prætendit; atque ex hac ratione actionem in judicio adversus Veturium instituit. Poteftne citra injustitiam litem hanc intentare, ac prosequi?

℟. Si ecclesia vendendo fundum Ferdinando expresse sibi reservavit jus Patronatus, hoc nullatenus transiit ad emptorem Ferdinandum, sed salvum ac integrum manet Veturio; qui proin frui debet omnibus prærogativis ac honoribus juri huic annexis. Si autem fundum vendidit absque expressa reservatione Patronatus, jus hoc, utique fundo inhærens transit *cum universitate* ad illum, qui fundi proprietarius, & novus possessor titulo emptionis factus est. Ita in simili causa decidit Alexander III. Cap. *Ex litteris*. 7. Lib. 3 Tit. 38. *Pontas.*

CASUS III. Menelaus aquisivit jus Patronatus ex dote sex domorum, quas cuidam ecclesiæ, cum ædificaretur, donaverat; sed has domos haud multo post penitus ignis absumpsit. Amisitne Menelaus ex fortuito hoc casu jus Patronatus? Et si Paschasius novam sufficientem dotem huic assignet ecclesiæ, num jus Patronatus inde aquireret?

℟. Excidit jure Patronatus Menelaus; sicut eodem jure privaretur ille, qui solum Patronus foret titulo constructionis, casu quo ecclesia funditus destrueretur. Paschasius autem, si novam ecclesiæ dotem assignet, inde jus Patronatus aquirit. Ita Fagnanus in C. *Quoniam*. 3. de jur. Patr. n. 59. Observandum tamen cum eodem Fagnano ibidem n. 60. quod ille, qui dotasset ecclesiam, ejusdem semper maneret Patronus, si ecclesia ex toto destrueretur; & is, qui eandem reædificaret, ipse quoque illius fieret Patronus conjunctim cum dotatore. *Pontas.*

CAftUS IV. Cynthius vir perillustris, sed nominatim publice excommunicatus, fundavit, construxit, & dotavit consentiente Episcopo ecclesiam parochialem suæ dynastiæ, ut hoc modo viam sibi facilitaret redeundi ad communionem Ecclesiæ. Aquisivitne per hoc jus Patronatus illius ecclesiæ?

℟. Non obstante censura competit ipsi jus Patronatus juxta Joannem Andream in C. *Nobis*. 25. de jure Patron. n.3. Illud autem exercere non potest ante obtentam absolutionem. Licet utique excommunicato bonum opus facere, quale est fundatio, constructio, ac dotatio alicujus ecclesiæ, quibus titulis sacri Canones absque ulla restrictione jus Patronatus attribuunt. *Pontas.*

CASUS V. Galerius Patronus ecclesiæ parochialis jus suum vendere, vel in feudum dare cogitat. Potestne hoc fieri absque peccato?

℞. Distinguendum duplex genus Patronatus, scilicet personalis & realis. *Personalis*, cum sit res mere spiritualis, nunquam vendi aut in feudum concedi potest; imo nec *realis*, si consideretur ut separatus a fundo, cui est annexus. Licite autem vendi, in feudum dari, aut quovis modo alienari potest fundus, cui jus Patronatus annexum est, quod dein ut inseparabile a fundo transit ad aquisitorem fundi, juxta requlam juris 24. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Hinc peccat gravissime Galerius jus Patronatus separatim vel vendendo, vel in feudum concedendo. *Pontas.*

CASUS VI. Florentius fundos suos annexum habentes jus Patronatus in hypothecam dedit Joanni pro assecuratione mille florenorum ab eodem mutuo acceptorum. Potestne Joannes exercere jus Patronatus?

℞. Variæ circa hoc sunt Authorum sententiæ: attamen verior juxta S. Antoninum 3. part. tit. 12. c. 12. §. 2. opinio est, quod jus Patronatus *nec simpliciter, nec cum universitate possit pignori obligari.* Joannes ergo, cum solum sit creditor hypothecarius, & non dominus rei sibi oppignoratæ, nec aliud jus habeat, quam percipiendi usque ad pactum tempus fructus utiles fundorum, nec potest exercere jus Patronatus; sed illud Florentio remanet tanquam vero fundorum oppignoratorum domino, una cum aliis honorificis Patronorum juribus. *Pontas.*

CASUS VII. Diodorus Patronus laicus ecclesiæ parochialis cessit & donavit per modum eleemosynæ Patronatum hunc cuidam abbatiæ, pauloque post mortuus est. Desiderius filius ipsius natu maximus jus hoc retraxit pro summa quadringentorum florenorum abbatiæ persolutorum; mox autem ex viro docto percipit, emptionem hanc esse veram ac realem simoniam, seque proin non posse retinere hoc jus Patronatus; & hinc illud abbatiæ restituturum se promittit. Cum autem promissum exequi non posset nisi post menses aliquot, simulque eo ipso tempore vacaret parochia, quæritur, an non saltem pro hac vice quempiam idoneum præsentare possit ad parochiam.

℞. Jus Patronatus, ut ex dictis patet, est quidem transferibile, si fundus vendatur, cui inhæret; at vero, quia Patronatus, hujus parochiæ, ut in casu ponitur, fuit translatus in abbatiam titulo prorsus gratuito, scilicet donationis,

nis, naturam induit Patronatus pure ecclesiastici, juxta Bonifacium VIII. Cap. *Si laicus*. un. §. 1. L. 3. Tit. 19. in 6. & absolute non potest vendi. *Nec dictum jus Patronatus*, ait Concilium Tridentinum Sess. 25. de reform. c. 9. *venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant. Si secus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subiiciantur, & dicto jure Patronatus ipso jure privati existant.* Desiderius igitur in præsenti casu non potest exercere jus Patroni præsentando ad parochiam, quod per venditionem expiravit, provisione parochiæ ad solum collatorem ordinarium devoluta. *Pontas.*

Nota. Tam venditor quam emptor ipso facto privati existunt tali jure Patronatus. Venditor non potest retinere pretium acceptum, ne videatur de sua malitia commodum reportare; sed tenetur illud restituere, non quidem emptori, utpote qui mala fide contra sacros canones emit, sed ecclesiæ, cui per simoniam injuria fuit illata.

CASUS VIII. Geduinus Patronus cujusdam parochiæ in Hungariam profectus est, bello contra Turcas interfuturus. Quindecim diebus post ipsius abitum vacat parochia, quam mox post biduum Episcopus pleno jure contulit Eustachio. Geduini filii vi procurationis a patre ante discessum sibi traditæ Reinardum patris nomine præsentant. Estne valida & canonica collatio Episcopi?

℟. Quando Patronus vel in captivitate vel in regione valde dissita detinetur, potest Episcopus conferre Beneficia ab ejus præsentatione dependentia, & quidem mox ut vacaverint, non exspectatis quatuor mensibus Patronis laicis a jure pro præsentatione concessis; & hoc in favorem ecclesiæ, & salutem parochianorum. Procuratio a Geduino filiis relicta nulla est ac irrita, utpote facta ante mortem parochi, necdum vacante parochia; juxta Brillon v. *Patronatus*. n. 35. Et hoc rationi apprime conforme est; quia sic aspirantibus ad Beneficia omnis adimitur occasio vivis Titularibus necem machinandi, aut eorum mortem exoptandi: quapropter etiam non licet cuiquam promittere, aut a collatore vel Patrono petere Beneficium Beneficiato adhuc superstite. Eustachius igitur legitime ab Episcopo fuit provisus de vacante parochia. *Pontas.*

CASUS IX. Bertharius post mortem suam duobus filiis Philemoni & Paulo duo reliquit prædia, quibus erat annexum jus Patronatus ad quamdam parochiam 1000. florenorum annuorum redituum, & ad simplicem capellaniam red-

 ditus

ditus annuos 25. florenos proferentem. Philemon proponit Paulo consilium jungendi Patronatui capellaniæ jus conferendi stipendium 150. florenorum pro sustentatione pauperis studiosi a protaparentibus suis fundatum; ut tali modo major foret æqualitas inter ambo jura Patronatus: Paulus probat consilium. An non intervenit simonia?

℟. Sylvius, cui hoc dubium fuit propositum, Resol. var. V. *Jus Patronatus.* V. *Labes simoniæ.* Tom. 5. sic respondet. Si Patronatus amborum Beneficiorum, vel saltem pinguioris, pertineat ad filium natu majorem, nullum intervenit simoniæ vitium; cum hic possit sibi reservare jus vere sibi competens, alterum vero jus fratri juniori cedere, & consentire in unionem juris conferendi stipendium cum jure præsentandi ad capellaniam; hæcque conventio foret pure gratuita. Quodsi vero hæc jura ambobus fratribus sunt communia, ita ut uterque sit Patronus ad utrumque Beneficium & stipendium, conventio hæc foret simoniaca, & saltem tacite interveniret contractus, vi cujus temporale daretur pro spirituali, scilicet jus conferendi stipendium pro jure præsentandi ad Beneficium. Et hæc responsio eo verior est, quo evidentius patet, in secundo casu jus temporale conferendi stipendium uniri cum jure præsentandi ad capellaniam tenuem non alium in finem, nisi ut major sit æqualitas inter hoc jus, & jus præsentandi ad pinguem parochiam; & consequenter hæc compensatio fit mediante re temporali, quod est simoniacum. *Pontas.*

CASUS X. Alfredus Patronus cujusdam Beneficii simplicis hoc jus Patronatus donat alteri privato ea conditione, ut, quamdiu superstes sit Clericus ex determinata familia, hic semper præ aliis ad Beneficium præsentetur. Quid censendum de hac donatione?

℟. Alfredus non potuit facere hanc donationem absque consensu Episcopi. Dein non potest juri Patronatus imponi novum onus, quale est obligatio præsentandi quempiam ex certa familia. Donatio ergo hæc est nulla ac irrita. *Fromageau.*

Nota. Si fundator aut dotator cum consensu Episcopi sibi & suis hæredibus reservarunt jus præsentandi quempiam ex sua familia ad Beneficium, maxime simplex, quamdiu idoneus haberi possit, id improbandum non est; nec improbatur in Germania, ut exempla haud adeo rara demonstrant.

CASUS XI. Julianus jus Patronatus, quod habuit, cessit Bucherio consobrino suo intuitu multorum officiorum & obse-

obſequiorum ab eodem ſibi exhibitorum, aliisque juſtis de cauſis ſibi notis. An non eſt ſimoniaca hæc ceſſio?

℟. Non deſunt Authores, qui ex principiis theoreticis quæſtionem hanc expendentes opinantur, poſſe cedi aut donari alteri jus Patronatus in compenſationem præſtitorum beneficiorum; in praxi tamen, ſpectatis circumſtantiis ac intentione, quæ plerumque ejusmodi compenſationes comitantur, id merito de ſimonia ſuſpectum eſſe debet. Sic in hoc caſu beneficia præſtita ſunt aliquid temporale & pretio æſtimabile; jus autem Patronatus, quo illa compenſantur, eſt aliquid ſpirituale. Et hinc, ſi hæc ceſſio non in ſe ipſa eſt ſimoniaca, ad ſimoniam tamen proxime accedit, bonis moribus adverſatur, ac proinde nulla eſt; quoniam principiis nititur, quæ ſimoniæ januam ac viam aperiunt. *Fromageau.*

Nota. Si cedens aut donans alteri jus Patronatus ex motivo intentionali remunerationis reticeat hoc motivum, quod re ipſa prodere non tenetur; ac ſolummodo conſtet, donationem aut ceſſionem ex alio capite non eſſe vitioſam, poterit & debebit ea admitti ab Epiſcopo ut valida ac licita; cur ergo ſit ſuſpecta, ſi motivum illud in actu publico inter vivos vel mortis cauſa manifeſtetur? Aliud foret, ſi ex parte exhibentis beneficia ac obſequia interveniſſet confidentia obtinendæ ſuo tempore id genus remunerationis, aut ex parte accipientis facta fuiſſet ſpes aut promiſſio ejusmodi compenſationis.

CASUS XII. Cariſius nobilis laicus, cujus filius unicus in exercitu objerat, fundavit monaſterium puellarum, ſibique ac ſucceſſoribus ſuis reſervavit jus in perpetuum nominandi Abbatiſſam, prout a prima vice nominavit filiam ſuam per aliquod jam annos ſacro Ordini adſcriptam. Hærede maſculo jam deſtitutus offert hoc jus Epiſcopo loci & ſucceſſoribus ejus, ea tamen conditione, ut Abbatiſſa ſemper nominetur ex determinata quadam familia. An conventio hæc non eſt ſimoniaca?

℟. Eſt ſimoniaca, & adverſatur ſacris canonibus, vi quorum ſemper dignior, aut ſaltem manifeſte digna religioſis communitatibus præficienda eſt. Epiſcopus ergo non poteſt ſub hoc onere, quod in bonum temporale cederet prædictæ familiæ, ceſſionem Patronatus acceptare. Si tamen ex circumſtantiis res hæc dubia fieri poſſet, petenda foret approbatio ſummi Pontificis, ut hujus authoritate ſimoniæ vitium vel præcaveatur vel tollatur. *Fromageau.*

CASUS XIII. Schelburnius nobilis Anglus religioni catholicæ addictus habet jus Patronatus laicale ad quamdam parochiam. Proſcripta jam ex illo regno Religione Romanos

catholica jus hoc illi quidem servabatur illæsum, sed per leges jubebatur Episcopo hæretico præsentare ministrum hæreticum. Poteſtne salva conscientia talem præsentare? Num licite a præsentato pro introducta jam consuetudine recipere remunerationem poterit?

R. Absque gravissimo peccato in hisce circumstantiis non potest uti jure suo: præsentando enim ministrum hæreticum cooperaretur ad hæresin & animarum perniciem, quod evidenter adversaretur intentioni Ecclesiæ non minus, quam fundatoris ac dotatoris catholici. Dormit interea hoc jus, quod Patronus quidem, ejusque familia semper retinet, eo tamen uti haud poterit, nisi dum regnum volente Deo in finum Ecclesiæ catholicæ denuo sese receperit, aut catholicum præsentare permissum fuerit. Dein etiamsi ipsi in conscientia liceret præsentare ad parochiam ministrum hæreticum, non tamen liceret a præsentato pro præsentatione exigere aut recipere pecunias vel aliud emolumentum: ejusmodi enim turpis ac sordida negotiatio vere foret simoniaca, & a mente fundatorum prorsus aliena. *De Lamet.* Vide *Patronus* caf. 9.

Vide *Beneficium. Collatio Beneficii. Patronus, Simonia.*

PATRONUS.

1. *Patronus* dicitur, qui habet jus Patronatus, seu jus præsentandi ad aliquod Beneficium. Patrono competit subsellium in choro ecclesiæ, & præcedentia in processionibus; ipse primus nominandus ac populo commendandus in precibus publicis; ipsi ante omnes reliquos Laicos offerenda est aqua benedicta, incensum ac panis benedictus, etiam præsente dynasta loci.

2. Patrono ecclesiastico ad præsentandum pro Beneficio conceduntur sex menses; laico autem non nisi quatuor. Intra quadrimestre hoc nec Episcopus, imo in Gallia nec ipse Papa potest conferre Beneficium *spreto Patrono laico.*

3. Patronus ecclesiasticus scienter præsentans ad Beneficium personam indignam, amittit jus præsentandi pro illa tantummodo vice, & devolvitur tunc jus istud ad collatorem ordinarium. Secus se res habet circa Patronum laicum: hic enim, cum requiri haud possit in ipso tam exacta notitia de capacitate præsentati, præsentat etiam secunda vice.

4. Indignus censetur non ille tantum, qui est ineptus ad exercendas vel implendas obligationes Beneficii, sed etiam qui oneribus Beneficii haud satisfacturus esse scitur. *Ad Beneficium indignus est*, inquit Polmannus, *qui ineptus est ad præstandum officium incumbens, aut non est illud præstiturus.*

5. In Casu, quo quis vendito suo fundo etiam jus Patronatus in emptorem transtulit, & emptor præsentet ad Beneficium, firma manet præsentatio; licet postmodum emptor ex possessione dejiciatur a consanguineo venditoris, jure retractus venditum fundum repetente.

CASUS I. Tichonius Patronus laicus parochiæ ad S. Ivonem aliquot diebus post elapsum quadrimestre laicis ad nominationem concessum præsentavit Petrum. Sciens id Episcopus parochiam contulit Jacobo, qui absque mora ejusdem possessionem adiit. Petrus autem ab Episcopo rejectus convertit se ad Metropolitanum, ab eoque provisionis litteras obtinuit, ac Jacobum possessione sua dejecturus, actionem illi movet. Quis amborum legitimus est parochus?

℟. Jacobus est solus & legitimus parochus: Tichonio enim utpote Patrono laico quatuor tantum menses ad præsentandum concessi sunt, quibus præterlapsis jus ipsius plene devolvebatur ad Episcopum diœcesanum, ut constat ex Decretalibus Cap. *Quoniam.* 3. Lib. 3. Tit. 38. & Cap. *Si laicus*, unic. Lib. 3. Tit. 19. in 6. Ipse actus præsentationis necessario debet Episcopo exhiberi ante lapsum horum quatuor mensium, qui currere incipiunt a die, quo Patronus habuit, aut verosimiliter habere potuit notitiam de vacatura Beneficii. *Pontas.*

CASUS II. Rambertus parochiam habet, ad quam nominandi jus est penes Dominum loci. Parochus hic Venetias quondam profectus octavo ab adventu suo die ibi vita functus est. Episcopus diœcesanus post quatuor menses & dies aliquot certior factus de Ramberti morte, parochiam confert Juliano; & ex hac collatione Dominus loci primum intelligit mortem Ramberti. Ocyus ergo præsentat Hieronymum, qui non admissus ab Episcopo litteras institutionis a Metropolitano obtinet. Uternam ex his duobus legitimus est parochus?

℟. Hieronymus pro legitimo parocho habendus est: licet enim a morte Ramberti quatuor jam menses & ultra elapsi fuerint, dum a Domino loci Hieronymus nominatus fuit; quatuor tamen hi menses nona die vacaturæ, sed ab illo die, quo ad Patronum pervenit notitia de obitu Beneficiati, numerandi sunt, ut de-

declarat Innocentius III. Cap. *Quia* 5. Lib. 3. Tit. 8. ubi ait: *Semestre autem tempus non a tempore vacationis Præbendarum, sed notitiæ ipsius potius volumus computari.* Cum jam Patronus in hoc casu ob loci distantiam ac defectum omnis cum Veneris consuetudinis ac commercii inculpabiliter ignoraverit mortem parochi, jus nominandi nullatenus competit Episcopo, sed novum quadrimestre pro præsentatione concedendum est Patrono. *Sine culpa*, ait regula juris, *nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. Pontas.*

CASUS III. Sophocles Patronus laicus cujusdam Capellæ redituum 200. florenorum, ad eam nominavit filium suum secundogenitum. Estne legalis hæc nominatio? Potestne Episcopus juxta leges canonicas præsentato conferre hoc Beneficium?

℟. Præsentatio hæc est legitima; dummodo pater Patronus principaliter non attenderit sanguinem, aut ex alio motivo mere humano fuerit inductus. Sic Glossa in Cap. *Consuluit.* V. *propria authoritate.* & V. *Concedant.* Licet Patronus non possit præsentare se ipsum, potest tamen juxta Cabassutium L. 2. c. 8. n. 2. præsentare suum filium. *Pontas.*

CASUS IV. Sylverius & Possidius Patroni cujusdam parochiæ non conveniebant circa personam præsentandam, dum unus nominavit Joannem, & alter Jacobum. Quis horum censendus est legitime præsentatus, & habere jus ad parochiam?

2. ALEXANDER III. in Concilio generali Lateranensi tertio Cap. *Quoniam.* 3. Lib. 3. Tit. 38. decidit hanc quæstionem. Quando Patroni plures dissentiunt circa nominationem cujusdam ad Beneficium, ad quod præsentandi jus cumulativum habent, ille ab Episcopo præferendus est, pro quo plura stant suffragia, quique meritis altero potior est. Si vero id fieri nequeat absque scandalo, Episcopus Beneficium conferre poterit illi, quem præ cæteris digniorem ac magis idoneum judicaverit. Et hinc in casu præsente, quo quilibet ex duobus unum pro se habet suffragium, provisio ad Episcopum pertinet. Verum si præter hos duos Patronos adhuc superesset tertius, & Joannes fuisset præsentatus a duobus, Jacobus autem solum a tertio, Joannes solus habendus foret pro legitime nominato. *Pontas.*

CASUS V. Appius gaudens jure Patronatus ad certam parochiam, nominavit Vincentium usque adeo ad curam animarum inhabilem, ut deprehensa in examine ipsius incapacitate fuerit rejectus ab Episcopo, qui pro ipso instituit Theo-

Theodulum. Estne canonica hæc Episcopi collatio? Potestne in eadem se tueri Theodulus, & ut parochum se gerere?

℞. Si Appius est Patronus ecclesiasticus, legitima est collatio Episcopi: ecclesiastici enim erat nosse inhabilitatem præsentati; atque pro hac vice Appius excidit jure Patronatus sui. Si autem Appius est Patronus laicus, conceditur ipsi variatio, & Episcopi collatio est nulla, vel potius anullanda, id est, non est ipso jure nulla, imo subsisteret adhuc, licet intra quatuor menses Papa provisiones alteri contulisset, casu quo Patronus laicus ad gravamen per collationem Episcopi sibi illatum tacuerit, nec alium primo recusato nominaverit. Verum si Patronus variationis privilegio usus etiam secunda vice præsentasset inhabilem, Episcopus pleno jure posset conferre Beneficium pro suo arbitrio. Notandum est, Patronum laicum, qui præsentavit personam incapacem ad Beneficium, posse secunda vice præsentare eandem, si interea sese reddiderit capacem, & terminus ad præsentandum concessus necdum fuerit elapsus. *Pontas.*

CASUS VI. Eunapius Clericus extraneus a Patrono laico præsentatur intra quadrimestre ad quemdam Prioratum. Elapso autem quadrimestri eundem Prioratum Episcopus diœcesanus jure devolutionis confert Petro sub prætextu, quod Eunapius non sit indigena. Interim vero Eunapius, antequam præsentationem exhiberet Episcopo pro impetranda collatione, petiit ac obtinuit litteras naturalisationis. Poteritne hac via salvare ac tueri Eunapius præsentationem suam?

℞. Ubicumque extranei sive per leges sive per consuetudinem privati existunt privilegiis ac juribus indigenarum, etiam inhabiles censentur ad Beneficia. Obtentis autem a Principe litteris naturalisationis, eo ipso habiles redduntur ad quævis Beneficia; imo poterunt ad illa promoveri ante obtentas illas litteras, dummodo iisdem instructi sint ante suam institutionem, ne ratione alienigenatus possessione sua exturbari possint. Si autem tempore intermedio, id est, currente inter præsentationem vel collationem & obtentionem litterarum naturalisationis alius fuisset nominatus ad idem Beneficium, hic verum ad hujusmodi Beneficium consequeretur titulum, & dispensatio Principis quoad hoc extraneo foret inutilis; cum Princeps non possit concedere ejusmodi privilegium in præjudicium juris a tertio aquisiti. Petro ergo facta ab Episcopo collatio Prioratus canonica est ac

ac legitima; quia primum post ipsius institutionem Eunapius jure civitatis donatus fuit. *Pontas.*

CASUS VII. Athenogenes Patronus ac Dominus territorialis parochiæ promisit Paulo villici sui filio nominationem ad hanc parochiam post obitum moderni parochi, decrepitam jam ætatem agentis. An non peccaminosa est hæc promissio? Num Athenogenes post mortem parochi potest eam exequi?

℟. Cum hujusmodi promissiones reprobentur a sacris canonibus, id absque peccato Athenogenes nec promittere potuit, nec promissum poterit adimplere. *Nulla ecclesiastica ministeria*, inquit Concilium Lateranense sub Alexandro III. Cap. *Nulla*. 2. Lib. 3. Tit. 8. *seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui seu promittantur, antequam vacent; ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum.* Concilium quoque Tridentinum Sess. 24. c. 19. de reform. abolevit omnes gratias exspectativas, nec iis exceptis, quæ jam ante celebratum hoc Concilium concessæ fuerant. *Pontas.* Vide *Collator.* cas. 5.

CASUS VIII. Remigius Patronus ad instantiam cujusdam consanguinei sui præsentat ad vacantem parochiam Lucianum, quem non nisi de facie noverat, & utrum sit dignus nec ne, prorsus non sciebat, utpote ex commendatione consanguinei solum intelligens, quod esset vir perquam honestus. An non temere ac peccaminose egit?

℟. Certe peccavit graviter Remigius ad Beneficium curatum nominans quemquam, de cujus idoneitate moralem non habebat certitudinem. Verum quidem est, Episcopum posse denegare collationem ac institutionem, si deprehenderit, præsentatum non esse dignum; verum non minor est obligatio etiam Patroni virum præsentandi idoneum. Et sane, cum Collator Beneficii ac Patronus sit dispensator bonorum Ecclesiæ, non minus fidelitatis in hac dispensatione exhibere, nec minorem ad procurandos Ecclesiæ bonos ministros sollicitudinem gerere tenetur, quam ad bonam administrationem bonorum suorum propriorum ac negotiorum temporalium: jam vero quis sanæ mentis bonorum suorum, & negotiorum temporalium gubernationem vellet committere homini, de cujus habilitate ac fidelitate nullam haberet certitudinem? *Pontas.*

CASUS IX. Framburgus Toparcha Anglus religionem Romano-catholicam professus habet jus Patronatus ad parochiam in diœcesi Rocestriensi sitam. Verum juxta leges Anglicanas Patroni adhuc quidem gaudent jure suo, quod ante

te introductam hæresin ipsis competebat; attamen non licet iisdem præsentare catholicum. Framburgus igitur Episcopo hæretico præsentavit subjectum pariter hæreticum unice ex hoc motivo, ut conservet jus suum eo usque, donec fors Religio catholica in Anglia restituatur. Licitene sic usus est jure suo?

℟. Juxta S. Beuve Tom. 3. Cas. 60. nulla prorsus ratione a peccato excusari potest hæc Framburgi præsentatio. Vel enim præsentavit hæreticum vi potestatis sibi aut antecessoribus suis ab Ecclesia catholica collatæ, an vero in virtute concessionis a Rege vel supremo Angliæ Senatu sibi factæ? Neutrum dici potest: nam in primo casu ab Ecclesia catholica non obtinuit potestatem nisi nominandi ministrum catholicum; in altero autem casu Rex Angliæ aut supremus Regni Senatus nec potuit ipsi dare, nec ipse ab iis acceptare jus præsentandi Episcopo hæretico ministrum pariter hæreticum: acceptando enim tale jus ab hæreticis communicaret cum iis in re spirituali. Adeoque Framburgus graviter peccavit præsentando hæreticum, quod fieri haud potuit sine maxima injuria in Religionem & Ecclesiam. *Pontas.*

Nota. Videtur & oppositum defendi posse ex praxi Germaniæ; ubi non nunquam Protestantes præsentant ad ecclesias Catholicorum; & Catholici ad ecclesias Protestantium ex jure eorum familiis aquisito, dum adhuc una eademque vigebat Religio. Imo & in Anglia inter Patronos catholicos ab eversione Religionis usus erat nominandi ministros acatholicos, legibus recentioribus ita exigentibus. Neque ejusmodi præsentatio arguit in æstimatione morali communicationem in Divinis cum hæreticis, aut cooperationem ad eorum Sacra, & exercitium Religionis; alioquin & Princeps permittens hoc exercitium, vel reducens hæreticos ad suas ecclesias cooperaretur: cooperari enim dicit actionem libere & sponte positam, non metu majorum malorum extortam, nisi indecentia ejusmodi extortæ actionis tanta sit, ut in animis hominum nulla ratione purgari, & contemptus Religionis vitari non possit. Adde, id etiam veræ Ecclesiæ videri exoptabilius, dum Catholici sic occasionem nanciscuntur constituendi ministros præ aliis honestiores, magis discretos, moderatiores ac sapientiores, de quibus spes est, quod in recognitionem gratiæ concesso Beneficio sibi factæ in omni pace ac quiete cum Catholicis conversaturi sint. His tamen non obstantibus sententiæ Pontasii videtur inhærendum. Vide *Patronatus.* cas. 13.

CASUS X. Eleonorus Patronus laicus cujusdam ecclesiæ parochialis urgente præsentandi necessitate constrictus, ne alioquin amittat jus suum, si diutius differendo sineret effluere quadrimestre, de quo pauci tantum dies supererant, nomi-

nominavit Euftachium amicum fuum hac conditione, ut eo usque tantum retineret titulum, parochumque fe gereret, donec perfonam dignam reperiffet ipfi fubrogandam. Confenfit in conditionem hanc Euftachius, reddiditque paulo poft parochiam Eleonoro, qui ad eandem præfentavit Dionyfium virum & fcientia & pietate confpicuum. Latetne quid vitii in hoc agendi modo?

℟. Refpectu Eleonori reprehenfione dignum eft, quod egerit in præjudicium collatoris ordinarii, ad quem poft lapfum quatuor menfium integrum jus conferendi parochiam tranfierat, & per fraudem id effecerit, ut elapfo jam quadrimeftri fibi adhuc jus fupereffet præfentandi. Dein modus hic agendi eft *confidentialis*; cum Euftachius non nifi eo pacto fuerit præfentatus, ut mox iterum Eleonoro occafio daretur exercendi jus Patronatus fui. Ejusdem, mi pejoris, furfuris Euftachius effe deprehenditur: reddidit enim fe complicem injuriæ collatori ordinario illatæ. Ad hæc acceptavit parochiam cum formali intentione & promiffo eam folum ad tempus retinendi, & mox iterum cedendi alteri eligendo ab Eleonoro. Denique fuppofito etiam, quod non commiferit fimoniam confidentialem, non potuit tamen acceptare parochiam absque feria voluntate curæ parochialis onera implendi; *cum* juxta Cap. *Super.* 35. Lib. 3. Tit. 5. *illi fint in Ecclefiis idonei reputandi, qui fervire poffunt & volunt in ipfis. Pontas.*

CASUS XI. Petilianus pupillus feptem aut octo annorum, habens jus Patronatus ad quamdam Capellam fimplicem, præfentavit aliquem ex fuis confanguineis, tutore ipfius nominante alium. Eftne nulla pupilli præfentatio?

℟. Juxta Fagnanum in C. *Indecorum* 3. *de ætat. & qualit. & ord. præficiend.* pupillus feptimum ætatis annum egreffus valide poteft præfentare. *Pupillus*, ait, *major feptennio poteft præfentare & nominare. Et quod amplius eft, fi concurrat cum ejus tutore, præfertur præfentatus a pupillo.* In Gallia autem tutores jus præfentandi habent, & non pupilli. *Pontas.*

Nota. Re ipfa rationi haud videtur fatis confonum, ut pupillus, qui fe ipfum, res fuas privatas ac bona temporalia regere haud poteft, idoneus habeatur ad conftituendos rectores Beneficiorum ecclefiafticorum.

CASUS XII. Fiacrius Patronus ecclefiafticus cujusdam parochiæ jus præfentandi ad eam exercuit actuali irregularitate innodatus. Valetne hæc præfentatio?

℟. Irregularitas Patroni non obstat valori præsentationis: præsentare enim ad Beneficium non est actus Ordinis, cum & laicus præsentare possit. Quemadmodum Ecclesiasticus ob irregularitatem non privatur potestate ferendi censuram excommunicationis, eligendi ad Beneficium, assistendi ut testis publicus matrimonio juxta magis probatam opinionem, & tandem exercendi quosvis actus jurisdictionis, in quibus nullum intervenit exercitium Ordinis; ita etiam nullatenus potest censeri privatus jure præsentandi ad Beneficium suæ nominationis. *Pontas.*

CASUS XIII. Fabius presbyter Patronus cujusdam ecclesiæ parochialis, ea vacante nominat semet ipsum, sistitque se Episcopo instituendum. Estne canonica hæc nominatio? Potestne Episcopus ipsi concedere provisionem hujus Beneficii?

℟. Nominatio hæc nec canonica nec valida est; nec etiam Episcopus Patrono semet ipsum præsentanti potest conferre Beneficium. *Cum igitur nullus se ingerere debeat ecclesiasticæ Prælationis officiis, respondemus*, inquit Innocentius III. Cap. *Per nostras* 26. Lib. 3. Tit. 38. *quod nullus se potest ad personatum alicujus ecclesiæ præsentare, quantumcumque idoneus sit, & quibuscunque studiis & meritis adjuvetur. Cum*, ut idem Pontifex ait Cap. *Cum ad nostram.* fin. Lib 3. Tit. 7. *inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personalis.* Notandum tamen, quod, si plures sint Patroni ejusdem Beneficii, unus possit valide præsentare suum conpatronum. *Pontas.*

CASUS XIV. Honorius Abbas habens jus præsentandi ad quamdam parochiam, per instrumentum publicum nominavit Rogerium, qui & acceptavit præsentationem. At vero instrumentum illud fuit secreto habitum, nec ad cujuspiam notitiam pervenit durante toto semestri, quod Patronis ecclesiasticis ad præsentandum conceditur. Episcopus ergo, cui pariter ignotum erat instrumentum, parochiam contulit Juliano. Estne legitima hæc collatio?

℟. Est legitima & canonica: non enim sufficit, quod Patronus præsentaverit, ut communis Canonistarum fert opinio; sed insuper necesse est, ut præsentationis instrumentum intra præscriptum tempus Episcopo exhibeatur. *Pontas.*

CASUS XV. Iphigenia virgo perillustris jure hæreditario obtinuit prædium, cui annexum est jus Patronatus ad parochiam. Potestne Episcopo valide præsentare Clericum idoneum, & a probitate morum commendatum?

℟.

℟. Fœminæ æque ac mares possunt exercere jus Patronatus : cum enim jus non excludat eas, eo ipso comprehensæ censentur sub numero Patronorum juxta regulam juris 15. in 6. *Ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Hinc Iphigenia valide & canonice præsentat ad parochiam. Dantur re ipsa ubivis plurimæ Abbatissæ, quæ absque ulla controversia gaudent hoc jure. *Pontas.*

CASUS XVI. Hannibal dominus ac simul Patronus honorarius cujusdam parochiæ prætendit sibi honores Patronis in ecclesiis sui Patronatus alias exhiberi solitos, & quidem ex ea ratione, quod protoparentes ipsius fuerint veri Patroni, nec ob aliam causam jus suum Episcopo cesserint, nisi ut in nominatione parochorum conscientias suas non læderent. Parochus autem petitos ipsi honores ac prærogativas constanter denegat; eo quod Beneficium suum ex libera collatione Episcopi teneat. Cujusnam jus prævalet?

℟. Parochus injuste denegat honores ac prærogativas, quas sibi in ecclesia deferendos merito postulat Hannibal: redditus quippe suos, saltem ex parte, habet ex liberalitate protoparentum Hannibalis, qui cedentes Episcopo jus suum, aliunde sibi reservasse honores censentur. *Pontas.*

CASUS XVII. Heraldus vitiosæ emptionis titulo ditionem quamdam possidet, & vi juris huic ditioni annexi ad parochiam eo ipso tempore vacantem præsentat idoneum Clericum. Paulo post evincitur hæc ditio, & rescisso priori contractu novus possessor etiam factam ab Heraldo præsentationem fuisse nullam contendit. Num jure?

℟. Juxta principia juris actus interdum censetur validus & legitimus, licet exercitus ab eo, qui eundem exercendi potestate carebat, ut patet ex Lege *Barbarius.* 3. ff. Lib. 1. Tit. 14. & aliunde notum ac communiter receptum illud est: *Circa factum error communis facit jus.* Cum igitur Heraldus communiter fuerit habitus pro possessore fundi & juris Patronatus eidem annexi, præsentatio quoque ab ipso facta pro valida & legitima habenda est. Id ipsum decidit Alexander III. in Cap. *Consultationibus.* 19. Lib. 3. Tit. 38. ubi ait: *Si aliquis Clericus ab ordinario judice in ecclesia fuerit institutus ad præsentationem illius, qui ejusdem ecclesiæ videbatur esse Patronus, & postea jus Patronatus alius evicerit in judicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri, si tempore præsentationis suæ, ille qui eum præsentavit, jus Patronatus ecclesiæ possidebat; cum ex hoc ei, qui de jure debet habere, nullum in posterum præjudicium generetur. Pontas.*

NOTA.

Nota. Si lis jam cœpta fuisset ante præsentationem, præsentatus interim admitti posset titulo provisorio.

CASUS XVIII. Majolus & Malerius hæredes Pauli Patroni cujusdam Capellæ 300. florenorum annuorum proventuum cum diu altercarentur quoad jus Patronatus, tandem convenerunt, ut unus post alterum, id est, alternatim ambo illud exercerent. Estne hæc conventio conformis legibus canonicis?

℟. Quamvis jus Patronatus in se sit indivisibile, ita ut non ambo hæredes possint præsentare duos Capellanos divisuros inter se Capellæ redditus, hoc tamen jure gaudere possunt duæ vel plures personæ, alternative illud exercituræ; & in hoc casu integrum jus penes illum tantum erit, quem conventus ordo ad præsentandum vocat. Memorata igitur conventio legibus canonicis non refragatur. *Pontas.*

CASUS XIX. Thisias pagi ad S. Avitum dominus cum consensu Episcopi exstruendam curavit ecclesiam parochialem, eidemque satis ampiam dotem assignavit, ea tamen conditione, ut in casu vacaturæ jus haberet præsentandi ad parochiam, ac post obitum suum in idem jus conjunctim exercendum succederent liberi. Post lapsum annorum duodecim moritur Thisias decem post se relictis liberis, & vacat parochia. Liberi autem in causa præsentationis non conveniunt: quinque enim eorum præsentant Joannem, tres Petrum, & duo reliqui Paulum. Quisnam ex hiice tribus est legitime præsentatus?

℟. Si quinque illi, qui nominarunt Joannem, egerunt collegialiter, in præsentia scilicet quinque reliquorum, aut iis saltem debito modo vocatis, etsi absentibus, sola nominatio Joannis est legitima: ingens enim discrimen est inter electionem & præsentationem, in electione, ut sit canonica, major electorum pars ad unum eundemque eligendum debet concurrere; quod jura in præsentatione non requirunt. Quod si vero præsentatio Joannis facta & signata fuisset privatim, nulla foret; sicut etiam si quinque illi, a quibus fuit præsentatus, noluissent comparere in loco ad actum præsentationis ex communi consensu destinato, ibi autem cæteri quinque convenissent, nominatio Petri a tribus facta foret legitima. *Pontas.*

CASUS XX. Polyhistor Patronus laicus & Diomedes Patronus ecclesiasticus cujusdam parochiæ habent jus præsentandi ad eam per turnum. Vacabat hoc Beneficium, quo tempore ad Diomedem pertinebat nominatio; verum necdum facta a Diomede præsentatione, Papa eum prævenit

& confert Beneficium. Eſtne valida collatio Papæ ? Et ſuppoſito, quod valida ſit, exciditne ob hanc præventionem Papæ taliter jure ſuo Diomedes, ut proxime vacante parochia præſentandi jus ſtatim devolvatur ad Polyhiſtorem?

℞. Collatio Papæ certo eſt valida & canonica; cum Papa absque ulla controverſia habeat jus præventionis contra omnes Patronos eccleſiaſticos. Diomedes pro hac vice amiſit jus ſuum, quod, ſi iterum contingat poſt tempus vacare Beneficium, immediate tranſit ad Polyhiſtorem. *Privilegia Patronatus laici*, ut ait Fevretus L. 2. c. 6, n. 13. *non amittuntur per adjunctum Clericum. Pontas.*

CASUS XXI. Gerulus & Gildas cognati germani ſimul Patroni ad quamdam parœciam, cum ea vacante convenire non poſſent in cauſa præſentationis, Gerulus ad conſervandam pacem cedit jus ſuum Gildæ. Potuitne id fieri absque conſenſu Epiſcopi diœceſani?

℞. Cum Gildas ſit compatronus cum Gerulo, nil prohibet, quo minus hic ipſi poſſit cedere jus ſuum: non enim hac ceſſione inſtituitur novus Patronus, ſed jus diviſum inter duos transfertur in unum. Idem patet ex Cap. *Ex inſinuatione.* 14. Lib. 3. Tit. 38. Si tamen Gildas non fuiſſet conpatronus, Gerulus non potuiſſet in eum transferre jus ſuum ſine authoritate Epiſcopi; ut eruitur ex Cap. *Nullus.* 17. ibid. *Pontas.*

Vide *Beneficium. Collatio Beneficii. Patronatus. Proviſio. Simonia.*

PAUPERTAS RELIGIOSA.

1. Viri ſancti ſemper deprædicarunt paupertatem tanquam religioſi ſtatus opulentiam. Certe S. Benedictus vult, ut Religioſi nil proprii poſſideant, & rebus omnibus absque ulla exceptione ſe abdicent.

2. Proprietas nunquam non fuit habita pro deteſtabili vitio in viris religioſis. Canones expreſſe prohibent, ne Religioſi habeant proprium, contra votum ſolemne paupertatis ab iis emiſſum.

3. Concilium Tridentinum renovavit antiquos canones, quibus Regularibus omnibus interdicitur occulta retentio vel poſſeſſio cujuscumque rei mobilis vel immobilis, ſub pœna amiſſionis ſeu privationis vocis activæ & paſſivæ in Capitulo juxta conſtitutiones cuilibet Ordini religioſo proprias.

CA-

CASUS I. Kunegundes proxime nuncupatura Deo vota solemnia in Ordine S. Benedicti sollicitavit patrem suum, ut sibi crearet pensionem 100. florenorum, de qua cum consensu Superiorissæ ad personales suas necessitates posit pro libitu disponere; simulque clausulam adderet contractui, ut, si forte transiret ad aliud monasterium, pensio ut antea continuaretur, eamque sequeretur. Consensit pater. Num vitiosum quid in hac pensione?

℞. Certum est, Kunegundem absque peccato non potuisse hoc modo petere pensionem a patre, ut pro suo arbitrio de ea disponere posset: id enim evidenter sapit spiritum proprietatis contra votum solemne paupertatis. Nec pater potuit consentire in hanc pensionem; sed eam relinquere debuisset monasterio pro veris filiæ suæ necessitatibus. *Pontas.*

CASUS II. Moniales tertii Ordinis S. Francisci possuntne disponere de fructibus laborum suorum manualium?

℞. Si constitutiones Ordinis, quæ ejusmodi dispositionem permittunt, sunt approbatæ a Sede Apostolica, possunt disponere; si vero tantum sint approbatæ a Superioribus Ordinis, reducendæ sunt ad ea, quæ a Concilio Tridentino desuper decreta fuerunt. *Fromageau.*

Nota. Canonici Regulares ante Tridentinum passim habuerunt dominium bonorum *ligatum*, hoc est, absque usu & dispositione libera in commodum proprium, ut olim Jesuitæ necdum admissi ad secundam professionem.

Vide *Monialis. Professio religiosa. Religiosus. Votum.*

PECCATOR CONSUETUDINARIUS.

Sermo hic est de actibus peccaminosis frequentatis, ex quibus pravus habitus, seu consuetudo peccandi contrahitur, unde *peccator* dicitur *consuetudinarius.*

CASUS I. Petrus habitualiter omittit Sacrum diebus Dominicis ac festis; eo quod domus illius dimidia circiter leuca distet ab ecclesia parochiali. Peccatne graviter?

℞. Potest quandoque intervenire circumstantia excusans ab obligatione hic & nunc audiendi missam; sed habitualis omissio non solum missæ parochialis, sed & verbi divini, certe est peccatum grave. Dicta distantia seorsim spectata non adeo grave involvit incommodum, ut generatim ab obliga-

ligatione fervandi præceptum ecclefiafticum eximere poffit. Hinc fi alia legitima caufa non obverfetur, Petrus fingulis Dominicis ac feftis de præcepto tenetur intereffe Sacro. C.B.

Nota. Idem dicendum de iis, qui fub prætextu cuftodiendæ domus ceffante periculo ordinarie abfunt a Divinis parochialibus.

CASUS II. Rodericus juvenis habens confuetudinem in peccato mollitiei confitetur in pafchate pollutiones admiffas; interrogatus autem a confeffario de confuetudine eandem reticet, timens, ne ultra tempus pafchale abfolutio fibi differatur: habet tamen efficax propofitum non amplius peccandi. Eftne confeffio valida?

℟. Eft invalida. Ratio deducitur ex propofitione 58. damnata ab Innocentio XI. vi cujus pœnitens tenetur interroganti confeffario fateri confuetudinem. Unde confeffio hæc eft facrilega; nifi fors juvenem excufet ignorantia. Nec juvat efficax propofitum non amplius peccandi ac deponendi confuetudinem; quia in id ipfum indagandi jus habet confeffarius. C. B.

CASUS III. Carpophorus confeffarius ad eradicandam in pœnitente pravam confuetudinem proferendi verba obfcœna ac turpia, pro pœnitentia ipfi injungit, ut toties lingua formet crucem in terra aut pavimento, quoties impofterum fimilia protulerit. Teneturne pœnitens acceptare hanc pœnitentiam?

℟. Si id confeffario videatur neceffarium, ac eam illi pœnitentiam injungit cum difcretione ad aliquod tempus v. g. usque ad proximam confeffionem; & quidem exequendam in circumftantiis, in quibus ab aliis notari haud poffit, pœnitens tenetur eam acceptare; quia tenetur obedire confeffario non folum ut judici, fed etiam ut medico fuo. C. B.

Nota. Pœnitentiæ injunctæ non folum confiderandæ funt tanquam leges, fed etiam tanquam *conditiones pacis* inter Deum & peccatorem reftituendæ juxta illud: *Quæ retinueritis, retenta funt.*

Vide *Abfolutio. Confeffarius. Confeffio. Jubilæum. Peccatum.*

PECCATOR PUBLICUS.

1. Præter diverfa illa peccatorum genera & fpecies in fequente articulo PECCATUM enumerandas, datur etiam peccatum *occultum* & peccatum *publicum* feu illud, ex quo

quis

quis dicitur peccator publicus, sive dein declaretur ut talis per legitimam sententiam, sive peccatum ipsius sit notum tantæ hominum multitudini, ut nulla jam ratione negari aut excusari possit.

2. Quamvis juxta disciplinam Galliæ in foro externo nemo habeatur pro peccatore publico, nisi qui ut talis fuerit declaratus per sententiam judicialem, vel per propriam confessionem coram judice, vel denique per evidentiam facti junctam certis formalitatibus, quas in quibusdam casibus vel consuetudo vel leges requirunt; nihilominus tamen dantur complures casus, in quibus quis habetur pro peccatore publico, quando ipsius crimen vergit in scandalum communitati saltem ex decem vel duodecim personis constanti, nec aliter reparari potest quam per satisfactionem publicam, considerata qualitate criminis, personæ, temporis, loci, aliarumque circumstantiarum facti *Cujuscumque pænitentis*, inquit Concilium Carthaginense III. Can. *Presbyter.* fin. 26. q. 6. *publicum & vulgatissimum crimen est, quod universam commoverit Ecclesiam.*

3. Disciplina circa pœnitentias publicas, quæ imponebantur pro certis peccatis; primis Ecclesiæ sæculis erat longe diversa ab ea modernorum temporum: tunc enim rigorosissima pœnitentiæ opera, & quidem potissimum per plures annos continuos, peccatoribus subeunda erant; quæ licet in omnibus ecclesiis non fuerint eadem, id tamen communiter receptum erat, ut peccatores quatuor pœnitentiæ gradus exantlare deberent, donec ad reconciliationem ac communionem cum cæteris fidelibus pertingere possent. Primus gradus erat *flentium*, qui flexis genibus sub dio constituti hærebant extra portam ecclesiæ ut indigni, qui in eam ingrederentur. Secundus erat *audientium*, qui quidem in ecclesiam admittebantur exhortationes audituri, quæ ipsis fiebant, non tamen ultra vestibulum progredi, nec publicarum precum participes esse permittebantur. Tertius gradus erat *prostratorum*, qui quidem precum publicarum participes fiebant, imo & Missæ intererant usque ad Evangelium tantum; sed antequam ex ecclesia discedere jubebantur, sacerdos super eos quasdam preces recitabat, sub quibus toto corpore in faciem prostrati in conspectu omnium decumbebant, unde & nomen sortiti sunt. Quartus denique erat *consistentium*, qui divinis officiis & ipsi sacrificio Missæ intererant, non tamen ad sacram Communionem admittebantur, nisi post præscriptum in eo gradu temporis intervallum. Hanc antiquam severitatem mitigavit Ecclesia liberorum suo-

 rum

rum infirmitatem miserata : idem tamen semper fuit & etiamnum est spiritus disciplinæ ecclesiasticæ , vi cujus peccatoribus publicis injungendæ sunt pœnitentiæ publicæ , ut patet ex decreto Concilii Tridentini Sess. 24. de refor. c. 8. ubi ait : *Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum , huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet ; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare , quando ita magis judicaverit expedire.* Simplex ergo confessarius , si semel pro peccato publico imposuit pœnitentiam publicam, eam mutare haud amplius poterit in secretam absque authoritate Episcopi.

4. Sunt autem casus extraordinarii v. g. duellorum, publicarum inimicitiarum inter propinquos, divortiorum &c. in quibus tam parochi quam confessarii difficultatis plurimum frequenter experiri solent , tum quod haud facile determinari possit congrua pœnitentia, tum quod ad eam acceptandam ægre inducantur pœnitentes ; in hisce & similibus sane periculosum foret proprio fidere judicio, privatoque agere ex arbitrio. Hinc in ejusmodi eventibus maximi momenti recurrendum ad Episcopum, ipsiusque consilium inquirendum, ac executioni dandum erit, præsertim moderno tempore, ubi tam parum religionis , obedientiæ ac pietatis deprehenditur in peccatoribus , & consequenter vel ex hoc capite benignius , indulgentiusque cum illis agendum est , ut ad Deum redeant, suumque reducantur ad officium.

5. Notandum hic , in Ecclesia orientali nunquam præscribi pœnitentiam publicam in ecclesia peragendam, sed solum domi, ita ut peccator publicus pœnitentiæ suæ testes alios non habeat, nisi domesticos suos, uxorem, liberos , famulos & ancillas.

CASUS I. Hebertus nummularius, publicus usurarius, a multis annis in tota urbe pro tali habitus , & duabus Magistratus sententiis notatus atque condemnatus, tempore paschali pro deponenda confessione adiit parochiæ vicarium , qui ipsi facto de non amplius committenta usura promisso absolutionem impertiit. Post hæc cum multis aliis ad mensam evcharisticam pro communione paschali se sistit. At vero parochus utut bene gnarus, Hebertum fuisse confessum, a

sacra

ſacra tamen menſa illum repellit. Potuitne parochus ita agere tuta conſcientia ?

℟. Non tantum potuit, ſed etiam debuit parochus ipſum repellere a ſacra communione, niſi interrogatus antea Hebertus publice declaraverit, ſe modo confeſſum ſincere ac pro ſemper renunciaſſe ſordido ſuo commercio. Ad hoc, ut ad ſacram communionem admittatur peccator publicus, nequaquam ſufficit, quod fuerit abſolutus, ſed etiam requiritur, ut publica quadam ſatisfactione reparet ſcandalum publicum a ſe datum; imo etiam abſolutio ipſi negari debet, ſi ejusmodi ſatisfactionem promittere nolit. Reſponſio hæc fundatur in doctrina S. Thomæ, qui peccatores publicos quoscumque demum nunquam docet admittendos ad S.Communionem, ſive ſint tales notorietate facti, ſive per ſententiam judicis eccleſiaſtici vel ſæcularis. Sic ait part. 3. q. 80. art. 6. C. *Circa peccatores diſtinguendum eſt: quidam enim ſunt oculti, quidam vero manifeſti, ſcilicet per evidentiam facti, ſicut publici uſurarii aut publici raptores, vel etiam per aliquod judicium eccleſiaſticum vel ſæculare. Manifeſtis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus ſacra communio dari.* Confirmat S.Doctor doctrinam ſuam authoritate S. Cypriani & S. Chryſoſtomi. In Gallia tamen, ubi ſolum peccator publicus eſſe cenſetur, qui ſententia judiciali talis declaratus & condemnatus eſt, parochus reprehenſioni, imo & condemnationi ſe exponeret propter ſcandalum ex denegatione Sacramenti publica exortum, ſi ob ſolam notorietatem facti quemdam ut peccatorem publicum publice a ſacra communione excluderet. His autem inſuperhabitis abſolute dicendum, etiam parochum Gallum, quamvis in foro externo reprobaretur, ſuo deeſſe officio ac obligationi, ſi peccatorem publicum etiam ex ſola notorietate facti talem ad ſacram communionem admitteret: leges enim civiles etiam in Gallia nil immutare poſſunt circa ea, quæ jure divino prohibentur. Quod bene notandum, parocho hiſce circumſtantiis comprehenſo, antequam publice Sacramentum deneget, hæc tria obſervanda ſunt: 1. Charitative ac ſecreto moneat hujusmodi peccatorem de malo perpetrato, ac ſcandalo dato, eumque ſuaviter ad emendationem vitæ exhortetur. 2. In publicis exhortationibus generatim condemnet abuſum SS. Sacramenti, cujus ſe reos faciunt ejusmodi ſcandaloſi peccatores, neminem tamen in particulari nec a longe manifeſtando. 3. Conſulat Epiſcopum ſuum, ejusque juſſa fideliter exequatur. *Pontas.*

CASUS II. Erneftus per decennium & ultra fuit notorius concubinarius, ac tandem repudiata confeffione in peccato fuo induratus obiit. Poteftne parochus ipfi denegare fepulturam ecclefifticam, vel faltem ad aliorum terrorem fimulare, acfi effet negaturus? An non poterit ad tempus abire parochus, ut ab alio facerdote fepeliatur dato huic mandato, ut fine cruce, fine luminaribus & absque aqua benedicta ritus funebres peragat?

℞. Non obftante peffima vitæ ratione, quam tenuit Erneftus, non eft tamen tractandus ut peccator publicus quantum ad pœnas ab Ecclefia ftatutas. Adeoque parochus non poteft propria authoritate negare ipfi fepulturam ecclefiafticam, quæ etiam cum omnibus ufitatisEcclefiæ ceremoniis erit peragenda. Nihilominus prudentia exigit, ut parochus, fi fieri poffit, rem ocyus deferat ad Epifcopum, illiusque difpofitioni ad amuffin obfecundet. *Pontas.*

Vide *Abfolutio. Pœnitentia facramentalis. Caf.* 17.

PECCATUM.

1. *Peccatum* in genere eft transgreffio legis divinæ & mandatorum Dei. Aliud eft originale, & aliud perfonale feu actuale. Peccatum *originale* eft illud, in quo nafcimur privati juftitia originali, quodque ex peccato Adami omnes trahimus. *Peccatum originale*, inquit Polmannus, *eft juftitiæ originalis mentem Deo fubiicientis voluntaria privatio, orta in pofteris Adam ex eo, quod in ipfo peccaverunt.* Dicitur, *originale*, id eft, *homini inexiftens ab origine & fui animatione.* Additur, *juftitiæ originalis*, quæ fcilicet fuit infufa Adamo in momento creationis præter gratiam fanctificantem & alia dona fupernaturalia, quæ poftmodum Deus illi contulit. Additur denique, *privatio voluntaria*, quoad Adamum nempe, cujus voluntas complectebatur, moraliter loquendo, voluntatem omnium fuorum pofterorum juxta verba Apoftoli Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranfiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde & S. Auguftinus ait: *Voluntarium peccatum hominis primi originalis eft caufa peccati.* *Actuale* peccatum eft, quod nos ipfi actu committimus opere, verbo, cogitatione aut pravis defideriis. Actu quis peccati fe reum facit vel perpetrando rem prohibitam ipfo facto aut folo animo, ut homicidium, mendacium, furtum, latrocinium, odium &c. vel omittendo rem

præ-

præceptam, ut est auditio Sacri diebus Dominicis aut festis de præcepto &c.

2. Peccatur quandoque in Deum solum v. g. blasphemando; interdum directe contra proximum, ut dum calumnia ipsi infertur, aut injuste quoquo modo vexatur; & quandoque contra semet ipsum, ut inebriatione, impudicitia aut suicidio.

3. Plura adhuc distinguuntur genera peccatorum relate ad causam, quæ ad peccandum impellit. Sic committuntur peccata malitiæ, quæ fiunt cum plena deliberatione, non obstante instinctu interno aut lumine divino a peccato absterrente; peccatur ex præcipitantia aut vehementia passionis; peccatur denique ex ignorantia culpabili ac vincibili. Hinc dicit S. Gregorius Can. *Sciendum.* 22. de pœnit. *Peccatum tribus modis committitur: nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur; & gravius quidem infirmitate quam ignorantia; sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur.*

4. Sunt præterea peccata *spiritus*, quæ potissimum solo animo committuntur, ut est superbia; & alia peccata *carnis*, quorum objectum sunt voluptates corporeæ illicitæ.

5. Notissima autem ac præcipua peccati distinctio est in mortale ac veniale. *Mortale est peccatum ex se infligens peccanti spiritualem mortem, & constituens secundæ mortis reum*, id est, *obnoxium damnationi æternæ.* Dicitur mortale; quia privat animam gratia, dum charitatem destruit, quæ est vita animæ. Peccatum *veniale* non producit hos duos funestos effectus: est quippe levis offensio, cujus facile a Deo venia impetratur. Est autem levis vel ex sua natura, ut verbum otiosum; vel ex defectu plenæ deliberationis, ut fit in puero nec dum habente perfectum usum rationis; vel denique ob levitatem ac parvitatem materiæ, ut furtum unius pomi aut acus.

6. Notandum tamen, peccatum veniale posse fieri mortale sextuplici modo. 1. Ratione *finis*, seu ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 2. C. *quia agens in eo constituit finem ultimum*: ut dum quis mavult graviter offendere Deum, quam abstinere ab actu ex natura sua solum venialiter peccaminoso, v. g. dum præfert inutilem conversationem obligationi audiendi sacrum die Dominico aut festo. 2. Ratione *pravæ intentionis*; ut siquis verbo leviter faceto alloquitur puellam animo inducendi eam ad peccatum, seu, ut D. Thomas ibid. *cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum.* 3. Ratione *conscientiæ erroneæ*; ut dum quis faciendo, dicendo aut omittendo aliquid putet se peccare mortaliter, licet actus in se ex natura sua sit tantum leviter peccaminosus,

4. Ratione *contemptus* ; dum quis ponit actum ex se tantum venialiter peccaminosum cum expresso ac formali contemptu Dei actum prohibentis. 5. Ratione *periculi*, dum quis certus de sua infirmitate jocoso dicto alloquitur fœminam, quæ scitur facile inducenda ad peccatum. 6. Denique ratione *scandali*, dum v. g. confessarius aut Religiosus facit aut dicit aliquid, licet ex natura sua solum leviter peccaminosum, ex quo tamen audientibus aut videntibus notabile creatur scandalum. Consulatur hac super re D. Thomas, qui in variis Summæ suæ quæstionibus fuse de peccato agit.

7. Neque hic prætermitenda sunt peccata, quæ dicuntur *omissionis*. Facile cuiquam est in obligationibus religionis vel parum versato advertere peccata *commissionis* : vix enim commissa sunt, & jam remorsus conscientiæ tortores sentiuntur. Non ita se res habet circa peccata omissionis, ad quæ vix ulla habetur attentio ; unde raro in confessione exponuntur, licet frequenter longe graviora sint peccatis commissionis. Enimvero cum Deus hanc humanarum conditionum miram varietatem eo fine ordinaverit, ut sociali quodam vinculo sibi invicem omnes cohærerent, vult, ut *unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, in ipsa permaneat* 1. Cor. 7. v. 20. & in ea permanens salutem æternam consequatur ; nemo autem salutem consequi poterit, nisi omnes obligationes status ac vocationis suæ ad amussin adimpleat. Regibus, Principibus, Magnatibus, divitibus, pauperibus, sæcularibus, ecclesiasticis, & cuilibet hominum peculiaria status sui assignata sunt munia, quæ nisi exequantur, strictissimam divino judici rationem reddituri sunt. Luculentissimum rei hujus argumentum suppeditat Evangelium Matthæi cap. 25. ubi sermo de generali judicio, in quo Christus reprobis exprobrabit peccata omissionis, eosque propter ea ad ignem æternum damnabit, *Discedite*, inquiens, *a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*, addita mox causa damnationis : *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Et propter peccata omissionis infinita propemodum hominum multitudo æternum peribit : neque iis proderunt alia pia opera, etiam supererogatoria ; quia cum ea perficerent, alia essentialia obligationis, status ac vocationis suæ non debuissent omittere : *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Matth. 23. v. 23.

8. Denique peccata *aliena* dicuntur ea, quæ, licet non committantur a nobismet ipsis, nobis tamen imputabuntur ; eo quod ad ea committenda ansam, occasionem, aut quamcumque demum culpabilem causam dederimus, sive jussione, sive consilio, sive approbatione &c. CA-

CASUS I. Duo ſtudioſi theologiæ curriculum nuper emenſi inter ſe diſputant, an in ſaniore theologia morali poſſit ſuſtineri ſententia aſſerens, Deum poſſe permittere peccatum; unus aſſerit, & alter negat. Cuinam aſſentiendum?

℟. Prior recte ſentit, & quidem ad mentem S. Auguſtini, qui Enchirid. de fid. ſpe & char. c. 27. n. 8. docet, magis conducere ad gloriam divinam, & infinitæ Dei ſapientiæ convenientius eſſe, ſi peccatum permittat ex eoque bonum eruat, quam ſi nullum omnino permittat: *melius enim judicavit de malis benefacere, quam nulla mala eſſe permittere.* Idem L. 11. de Geneſi ad litt. c. 4. expendens, cur primos parentes noſtros Deus permiſerit a dæmone tentari, quos tamen tentationi ſuccumbituros præſciret, ait: *Cur itaque tentari non ſineret: quem conſenſurum eſſe præſciebat; cum id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æquitate per pœnam: ut etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ ad eruditionem futurorum ſanctorum, quam recte ipſe uteretur animarum voluntatibus, etiam malis, cum illæ perverſe uterentur naturæ bonis .... quia ſicut prævidit, quid mali eſſent facturi, ſic etiam prævidit, de male factis eorum, quid boni eſſet facturus. Pontas.*

Nota. Hæc permiſſio non eſt conceſſio licentiæ, ſed dilatio pœnæ, vel tolerantia peccatoris ad pœnitentiam.

CASUS II. Inter duos Clericos agitabatur quæſtio: an omne verbum otioſum ſit peccatum veniale. Unus tenuit affirmativam, alter negativam. Cujusnam ſententia præferenda?

℟. Omne verbum otioſum, ſumendo hunc terminum in ſenſu proprio ac rigoroſo, juxta doctrinam S. Thomæ in 2. Sent. diſt. 40. art. 5. ad 8. eſt peccatum veniale; prout & Chriſtus dicit Matth. 12. v. 36. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* Sed ſciendum eſt, otioſi verbi nomine non aliud proprie intelligi, quam quod abſque recta intentione aut ſine ulla juſta ac rationabili neceſſitate profertur. Inter verba otioſa nequaquam referenda ſunt verba jocoſa aut honeſte facetoſa, quæ quandoque ad oblectationem audientis vel moderatam exhilarationem loquentis proferuntur, & nec religionem, nec proximum, nec bonos mores lædunt; quod & D. Thomas l. c. & q. 2. de malo art. 5. C. obſervat, dum ait: *Sciendum eſt, quod ſecundum Gregorium otioſum eſt, quod caret intentione piæ voluntatis, aut ratione juſtæ neceſſitatis. Unde*

non

non omne verbum jocosum est otiosum, si ad recreationem refera-tur; quia etiam in jocis contingit esse virtutem eutrapeliam, de qua Philosophus in 4. Ethicorum determinat. Pontas.

CASUS III. Poteftne peccatum veniale interdum fieri mortale? e. g. si Joannes ferme quotidie homini alias opulento auferat unum crucigerum? Num peccatum hoc, quod ex natura sua tantum est veniale, potest transire in mortale?

℞. Peccatum veniale in individuo spectatum nunquam potest fieri mortale juxta S. Thomam 1. 2. q. 88. art. 4. C. Potest autem peccatum veniale ex suo genere spectatum in certis quibusdam casibus fieri mortale; videlicet ob finem, quem sibi quis proponit, vel ob relationem, connexionem, aut affinitatem, quam peccatum ex se veniale cum mortali habet, vel si aliquis committendo tale peccatum veniale animo sit comparatus ad committendum etiam mortale: v. v. in casu posito Joannes furatur unum crucigerum in actuali animi dispositione furandi etiam aureum, si posset, aut per ablationem crucigeri grave damnum inferre intendit illi, cui aufert, ut idem docet l. c. S. Thomas. Tandem etiam potest formari quæstio sic: An plura peccata venialia ex se possint constituere unum mortale? & respondendum, quod per se id fieri non possit: potest tamen fieri, ut plura peccata venialia constituant mortale, eo quod proxime disponant ad mortale, ut itidem observat S. Thomas. Ratio est evidens; quia, dum quis habitum contrahit peccandi venialiter, majora semper adiicit fomenta cupiditati, ut demum attingat gradum peccati mortalis: sic Joannes, qui quolibet vix non die abstulerat crucigerum, facile disponi poterat, ut data opportuna occasione plus vellet auferre; unde peccatum ipsius, quod ab initio tantum erat veniale, fieri potuit mortale ob pravam dispositionem voluntatis. Hinc & Sapiens dicit Eccli. 19. v. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Aliunde vero fieri potest, ut Joannes unicum tantum surripiens crucigerum peccet mortaliter; idque 1. Si credat se peccare mortaliter per ablationem crucigeri. 2. Si furtum hujusmodi ipsi futurum sit occasio proxima peccati mortalis: in hoc enim casu idem sentiendum ac de illo, qui ab experientia scit, se ex confabulatione cum puella sæpius jam lapsum fuisse in peccatum, eandem tamen repeteret, licet absque omni prava intentione. 3. Quando per talia minuta furta committit gravem ac notabilem injustitiam, quod fieri posset, dum ultimus cruciger diviti ablatus efficit tantam summam, quæ constituit peccatum mortale. *Pontas.*

CA-

CASUS IV. Lælius puer sex - aut septennis jam incipit mentiri, ut se excuset, & promeritam castigationem effugiat. Habetne in tenera hac ætate sufficientem rationis usum, ut possit peccare? Suntne mendacia ipsius vera peccata?

℟. Ætas sex, septem aut octo annorum non est certa regula, ex qua desumi possit, utrum infans sat rationis habeat ad committendum peccatum. Quantacumque autem sit ætas, tunc certe puer capax est peccati, dum eo pollet judicio, ut agnoscat, mendacium esse malum lege divina prohibitum. *Cum autem mandatum venerit*, inquit S. Hieronymus Ep. ad Algasiam, *hoc est, tempus intelligentiæ appetentis bono, & vitantis mala, tunc incipit peccatum reviviscere, & ille mori, reusque esse peccati : atque ita fit, ut tempus intelligentiæ, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam, operetur in nobis mortem ; si agamus negligentius, & occasio sapientiæ seducat nos, atque supplantet, & ducat ad mortem.* Et hæc est regula, ex qua judicium formari poterit, an mendacia Lælii sint peccata. *Pontas.*

CASUS V. Victor potestne facere quidpiam, quod ex sua natura est peccatum veniale, si certus sit, quod per id sit impediturus Mævium a peccato indubitato mortali?

℟. Juxta S. Thomam in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. q. 1. ad 2. certissimum est, quod id facere non possit Victor : peccatum enim veniale, utut levissimum, semper tamen est offensa Dei, vel saltem deviatio a fine ultimo ; & cum Deus infinities magis amandus sit quam proximus, nunquam ex amore proximi licet facere quidpiam, quod Deo displicet. Hinc S. Augustinus de mend. n. 14. ait : *Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.* En! hæc est doctrina Sanctorum, innixa illa Apostoli Rom. 3. v. 8. sententia : *Non faciamus mala, ut veniant bona. Pontas.*

CASUS VI. Sejus in statu peccati mortalis constitutus plura quoque committit peccata venialia. Potestne obtinere remissionem & veniam horum venialium, si de iis doleat, non cogitet tamen dolere de peccato mortali, in quo versatur?

℟. Juxta S. Thomam 3. part. q. 87. art. 4. C. impossibile est, ut Sejus obtineat veniam vel unius peccati venialis, quamdiu est in statu peccati mortalis : remissio enim vel minimi peccati venialis fieri non potest, nisi per virtutem gratiæ; hæc autem absolute incompatibilis est cum peccato mortali. *Pontas.*

No-

Nota. Potest tamen peccator per dolorem de venialibus eorumque emendationem se disponere ad obtinendam conversionis gratiam.

CASUS VII. Hierotimus Religiosus in Ordine quodam reformato professus non servavit jejunium feriæ sextæ a Regula præscriptum, licet in eandem diem simul incidisset aliud jejunium v. g. quatuor temporum ac etiam vigiliæ, ab Ecclesia præceptum. In confessione jam se solummodo accusavit: quod die quodam non servaverit jejunium de præcepto, & fuit absolutus. Intelligit autem postea, se commisisse duplex peccatum, tenerique utrumque distincte exponere in confessione; cum violaverit duo præcepta, Ecclesiæ videlicet præcipientis jejunia quatuor temporum ac vigiliarum, & præceptum Regulæ suæ obligantis ad jejunium feriis sextis. Teneturne in conscientia denuo de duplici hoc peccato se accusare?

℟. Multiplicatio peccatorum, quantum ad speciem, non præcise desumenda est a diversitate præceptorum, quæ violantur, sed ex diversitate motivorum, quæ legislatorem determinabant ad condendum hoc vel illud præceptum. Sic homo sæcularis, qui præfato die non jejunasset, unicum tantum commisisset peccatum; cum Ecclesia duplicis sui præcepti de jejunio vigiliarum & quatuor temporum unum idemque motivum habuerit, ac solam intenderit abstinentiam. Ille vero, qui percussisset, aliquem in ecclesia cum effusione sanguinis, duplex peccatum committeret; unum scilicet contra præceptum divinum, cujus motivum est debita proximo charitas; alterum contra præceptum ecclesiasticum prohibens ejusmodi violationes, quod pro motivo habet virtutem religionis. Ex hoc ergo principio dicendum, quod Hierotimus hac sua omissione jejunii duplex peccatum commisserit; primum contra obedientiam Ecclesiæ debitam præcipienti jejunium quatuor temporum, & cujus motivum est virtus temperantiæ; secundum contra votum emissum, & obedientiam suæ regulæ debitam, cujus motivum est virtus religionis. Unde sequitur, quod confitendo violationem jejunii debuerit exprimere duplex hoc peccatum. *Pontas.*

Nota. Si confessario jam aliunde certo constabat de statu pœnitentis, de die violati jejunii, ac de præscripto tam Ecclesiæ quam Regulæ, Hierotimus non videtur obligandus ad repetitam confessionem hujus peccati.

CASUS VIII. Radulphus leve dixit mendacium, simulque inebriavit se die quodam Dominico vel festo. Sunt-

ne hæc peccata graviora, utpote die sacro commissa, quam si alio die profano fuissent commissa ?

℟. Si peccatum de se jam est mortale, ex circumstantia diei Dominicæ, aut festivæ fit gravius juxta S. Thomam 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. quam si alio die committeretur. Aliud tamen dicendum respectu peccati venialis, per quod non violatur præceptum de sanctificatione diei festi ; eo quod sanctitatem non excludat. Hinc mendacium Radulphi die festo prolatum non sit gravius ; sed ebrietas procul dubio magis aggravatur ex circumstantia Festi vel Dominicæ. *Pontas.*

CASUS IX. Obertus concepit serium propositum Joanni auferendi 100. florenos, idque vel mox, vel post duarum horarum intervallum exequitur. Peccatne dupliciter, ita ut postmodum in confessione declarare teneatur non tantum actum, sed etiam præcedens desiderium suum ?

℟. Si Obertus propositum suum mox, ac illud conceperat, absque interposita mora opere complevit, non nisi unicum commisit peccatum ; si autem illud, non habita ocyus illud exequendi occasione, aliquantisper distulit, duplex peccatum commisit. Ita D. Thomas in 2. Sent. dist. 42. q. 1. art. 1. C. Ratio ipsius est ; quia multiplicatio numerica peccatorum desumenda est ex multiplicatione actuum internorum voluntatis moraliter interruptorum & discontinuatorum ; ita ut, dum voluntas peccandi sejungitur ab ipso actu peccaminoso, prout fit, ubi quis concepto proposito peccandi ipsam executionem differt in aliud tempus magis opportunum, duplex committatur peccatum ; quia præter primum actum interiorem voluntatis adhuc intervenit secundus actus, comitans ipsam actionem peccaminosam : de quo duplici distincto peccato pœnitens tenetur se accusare in confessione. *Pontas.*

Nota. Cum multiplicationes & morales interruptiones actuum internorum voluntatis, maxime ubi non cum plena deliberatione deponuntur & denuo assumuntur, exacte sciri nequeant, sufficit, si pœnitens confiteatur, quanto tempore inhæserit ejusmodi malo proposito.

CASUS X. Caprasius catholicus, dum in Anglia morabatur, deprehensus fuit, cum actu exhortaretur alios catholicos ad constantiam in sua religione, quæ diris illa tempestate in hoc regno persecutionibus exagitabatur. Comprehenditur a satellitibus, qui sclopeto pectori admoto mortem minitantur confestim inferendam, ni prodat sacerdotes catholicos hinc inde latentes, simulque promittat,

post-

posthac non amplius exhortaturum se catholicos ad persecutionem constanter sustinendam. Quæritur jam, an hic metus mortis excusaret eum a peccato, si hæreticorum imperata faceret.

℟. Non potest absque peccato prodere sacerdotes latentes; quia sic cooperaretur ad destructionem religionis, quod in nullo unquam casu sub quocumque demum prætextu licet: juri enim naturali ac divino repugnat prodere emolumenta Ecclesiæ Jesu Christi, aut tradere fideles ipsius ministros furori ac odio inimicorum. Quod si vero Capranus ipsemet non ut pastor ac curæ animarum ex officio deputatus, potest promittere, non exhortaturum se amplius catholicos; etiamsi Episcopus id ipsi muneris injunxisset, quod utique Episcopus in tanto periculo imperare non potest. *Pontas.*

Nota. Hoc intelligendum de prædicatione Verbi divini, & exhortatione publica; privatæ enim ne quidem laicus renunciare potest.

CASUS XI. Leufridus de pluribus mortalibus se accusavit in confessione, & fuit absolutus; post bimestre tamen in eadem relabitur. Reviviscuntne quoad culpam præcedentia ipsius peccata?

℟. Bona quidem opera per peccatum emortua reviviscere communis Theologorum est sententia; sed aliud dicendum de peccatis per pœnitentiam sinceram & sacramentalem absolutionem deletis: dici enim nequit sine contradictione, id, quod totaliter destructum & extinctum est, denuo resurgere. *Divina clementia*, inquit Gelasius Papa Can. *Divina.* fin. de Pœnit. dist. 4. *dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.* Observandum nihilominus est, peccatum, in quod quis relabitur, involvere multo majorem contemptum Dei ac divinæ misericordiæ, & propterea fieri gravius, ac consequenter acerbiore pœna dignum. Hinc passim post S. Thomam 3. part. q. 88. art. 1. C. docent, peccata per pœnitentiam remissa quodammodo reviviscere per novum peccatum mortale ob ingratitudinem, cujus peccator se reum constituit. *Pontas.*

CASUS XII. Orontius confessarius excipiens in confessione peccata turpia in delectationem carnalem prolapsus est; & tamen pœnitentem sacramentaliter absolvit, quin prius actum contritionis eliceret. Commisitne novum peccatum?

℟. Commisit novum peccatum, nisi pœnitens in ejusmodi rerum articulo versatus fuerit, ut sine absolutione decessurus

furus crederetur, si ea vel minimum retardata fuisset: in hoc enim casu necessitas promptissime absolvendi moriturum præponderaret in confessario necessitati eliciendæ contritionis de proprio peccato. C. B.

Nota. Contritio utique quovis momento elici potest, vel saltem conatus adhiberi; & hinc confessarius iste non videtur excusandus.

CASUS XIII. Amandus parochus sollicitatus ad flagitium a parochiana non quidem expresse consentit; dicit tamen: Bono fato tuo sum parochus; secus enim.... Peccavitne graviter sic loquendo?

℟. Peccavit graviter, & primo quidem peccato scandali; quia sat manifeste his verbis indicat sollicitanti pravam suam dispositionem animi, & voluntatem consentiendi, nisi ratione status sui gravibus se pœnis expositum iri timeret. Peccavit secundo contra castitatem; quia hæc ipsius voluntas est vera pessimi propositi manifestatio, quod solum ratione status sui exequi non auderet. Interim tamen, si non serio, sed tantum ex quadam levitate animi sic locutus est, fieri posset, ut peccatum contra castitatem non esset mortale. A gravi autem peccato scandali considerata qualitate pastoris animarum excusari nunquam poterit. C. B.

Nota. Nec à peccato mortali contra castitatem videtur eximi posse ob levitatem animi: in tentatione enim tam valida ac periculosa debuisset positive ac efficaciter resistere, ex officio ut bonus pastor sollicitantem acriter reprehendere, ac a proposito, quantum in se erat, deterrere.

CASUS XIV. Valerianus prævidet, se, dum equum conscendit iter facturus, experturum in corpore motus inordinatos ac turpes. Teneturne propterea abstinere ab usu equi?

℟. Non tenetur; dummodo per usum equi non habeat intentionem formalem excitandi in se tales motus, nec etiam, dum oriuntur, consentiat, nec ullam exinde delectationem concipiat. Ratio est; quia ejusmodi motus in ipso nascuntur mere per accidens, & contra ipsius intentionem, ac usus equi de se est licitus. Jam vero effectus utut prævisus, qui sequitur solum per accidens ex causa alias licita, non debet imputari illi, qui ponit hujusmodi causam; alias dicendum foret, confessarium, medicum & chirurgum obligari ad dimittendas suas functiones etiam in casu, quo adesset periculum solum remotum sentiendi consimiles motus. C. B.

Nota. Si Valerianus adverteret, se per ejusmodi motus carnales vel pollutiones exponi gravi periculo consensus in peccatum formale, teneretur abstinere ab ejusmodi commoditate non necessaria,

CASUS XV. Euprepia puella sæpius vexatur cogitationibus castitati contrariis; sed sicut iisdem assensum nunquam præbet, ita etiam de iisdem excutiendis parum sollicita est. Num peccat?

℟. Potest absolute contingere, ut non peccet; supposito quod nulli se exponat periculo consensus vel delectationis. Sed quia admodum difficile est, ut tentatio serius aut citius de voluntate non triumphet, dicendum, puellam, quæ taliter se gerit, non fore immunem ab omni peccato; quia nimium de viribus suis præsumit. C. B.

Nota. Non licet se habere negative ad insurgentes tentationes carnis; & hinc videtur, ejusmodi puellam peccare mortaliter, si non adhibeat resistentiam positivam, v. g. avertendo animum ad aliud objectum.

CASUS XVI. Petrus bonum alienum, quod absque ullo suo incommodo potuisset restituere, retinuit apud se per integrum annum. Quæritur, quot commiserit peccata.

℟. Si Petrus durante toto hoc tempore formaliter renovavit propositum non restituendi, vel si concepto restituendi proposito noluit oblata opportunitate id exequi, peccavit toties, quoties renovavit hoc propositum, aut restituere noluit concepto proposito & oblata restituendi occasione. In quibusvis aliis circumstantiis Petrus procrastinando restitutionem semper magis aggravat peccatum, non tamen novum committit peccatum. C. B.

CASUS XVII. Titius violentæ tentationi assensum præbet; quærit igitur occasionem passioni suæ satisfaciendi, eamque invenit, & dum totus indulget sceleri, centies renovat conceptum jam antea desiderium exsatiandi libidinem suam. Quot commisit peccata?

℟. Commisit tantum unicum; quia omnes hi actus Titii, quasi præparatorii ad consummandum flagitium, constituunt unum moraliter totum cum primo consensu efficaci, quem tentationi præbuit. Ita communiter Doctores sentiunt. C. B.

Nota. Non omnes, nec plerique Doctores sic sentiunt; imo talis pœnitens tenetur explicare moram temporis, quo inhæsit peccato juxta dicta casu 9.

CA-

CASUS XVIII. Livius jam per integrum triennium omittit tam confessionem quam communionem ; eo quód sciat, se non esse dispositum , cum tantum sibi imperare non possit, ut deponeret odium erga inimicum suum , nec vellet committere sacrilegium , hoc in statu Sacramenta percipiendo. Quot numero peccata committit ?

℟. Inprimis peccavit contra præceptum confessionis & communionis : sicut enim excommunicatus vi præcepti communionis paschalis tenetur tollere impedimentum, quod obstat, quo minus possit adimplere dictum præceptum, peccatque illud non auferendo ; sic etiam Livius peccat non deponendo omne odium , ut digne ad sacram communionem posset accedere. Itaque committit ad minimum sex peccata; quia ter violavit duo præcepta : præceptum enim communionis est distinctum a præcepto confessionis, potestque unum obligare , & quandoque obligat , quin obliget alterum. C. B.

CASUS XIX. Sabina vix tribus elapsis horis a sumptione Evcharistiæ adulterium commisit. Teneturne hanc circumstantiam in confessione exponere ?

℟. Non tenetur ; quia tempus , quod intercessit communionem inter & perpetratum peccatum , est satis longum , ita ut dici nequeat , circumstantiam hanc esse notabilem irreverentiam erga Evcharistiæ Sacramentum. C. B.

Nota. Juxta sensum communem doctorum & indoctorum hæc irreverentia gravis est ; aut certe pertinet ad circumstantias notabiliter aggravantes malitiam peccati.

CASUS XX. Sylvia ancilla domestica Heri sui hactenus concubina eo jam redactam se videt , ut , si velit abrumpere turpe commercium , publicæ infamiæ semetipsam sit expositura & periculo , ne dira necessitate cogente in lascivias præteritis multo atrociores sit prolapsura , aut certe ad extremam pauperiem redigenda ; vel si in domo Heri permaneat , lascivos autem amplexus ejus ultra non admittere statuat, periculum mortis vel saltem crudelissimæ tractationis sit subitura. In extrema hac necessitate consilium petit a confessario. Quid ipsi consulendum ?

℟. Confessarius debet ipsi injungere , ut eo ipso adhuc die relicta pro semper domo Heri sui Deo se commendet , & cæterorum nihil metuat ; quia Deus , qui neminem in necessitate deserit , certe curam illius habiturus est. Rationes omnes , quascumque afferre posset pro sua persistentia in domo Heri , debent cedere rationibus , quæ fugam ipsi

ipsi imperant. Certe in eo tantum vertitur cardo rei, ut, si domo hac discedere compellatur, infamiam subeat, aut extremam paupertatem. Pensandum autem, quod, si in ea & deinceps perseveret, certæ vix non damnationi sese sit expositura. Si ergo ejusmodi commonitiones ac motiva, quorum plura adhuc charitas Christiana confessario suggeret, ipsam non moveant, sine absolutione dimittenda erit. C.B.

Vide *Communio.* Cas. 29.

PECCATUM RESERVATUM.

Vide *Casus reservati.*

PENSIO ECCLESIASTICA.

1. *Pensio ecclesiastica* vocatur jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio. Ut jus hoc sit legitimum, requiritur, ut sit fundatum in vera indigentia pensionarii quantum ad illius sustentationem, & insuper nitatur authoritate summi Pontificis, qui solus licitam & canonicam potest reddere reservationem partis fructuum ex aliquo Beneficio, dum dimittitur, vel alteri confertur. In quibusdam tamen ditionibus, velut in Gallia, non sufficit sola concessio Papæ, sed requiritur insuper authoritas regia.

2. Dum fit resignatio Beneficii, ut id propter utilitatem Ecclesiæ & boni publici uniatur alteri Beneficio, Episcopus sua duntaxat authoritate potest constituere pensionem in favorem resignantis.

3. Olim pensio consistebat in quibusdam fundis Beneficii, quorum usumfructum Titularis cedebat pensionario. Hodie autem solvitur in parata pecunia, quod tam Titulari quam pensionario magis commodum est.

4. Regulariter loquendo omnis pensio in Beneficio aliquo constituta in favorem laici abusiva est.

5. Papa non potest constituere pensionem in Beneficiis curatis, quæ sunt juris Patronatus laicalis, sine Patronorum consensu, & in Gallia neque in Episcopatibus & Abbatiis absque consensu Regis.

6. Pensionarius ob defectum solutæ pensionis non potest redire in Beneficium absque sententia in debitorem contumacem lata; quodcumque demum pactum inter contrahentes intervenerit. Quod si redierit, non potest amplius exigere debita ex pensione necdum soluta.

7.

8. Supplicans in Curia Romana pro pensione sibi constituenda, in supplicatione non tenetur exprimere, quod in alio Beneficio jam habeat constitutam sibi pensionem, nisi sit Religiosus. Si vero petitur pensio in Beneficio jam aliunde onerato alia pensione, in supplicatione debet fieri mentio primæ pensionis, ejusque quantitas exprimi.

9. Quæcumque demum pensio constituatur in Beneficio quocumque, semper necesse est, ut Titulari remaneat congrua sustentatio ab omni onere libera.

10. Annua pensio, cum consideretur ut emolumentum mere temporale, non potest permutari cum Beneficio.

11. Pensio non potest extinqui per oblatam summam pecuniariam, nisi authoritate summi Pontificis: attamen ille, cui debetur pensio, libere eandem potest condonare.

CASUS I. Paschasius & Germanus parochi suas invicem parochias permutare cogitant; redditus earum annui sunt æquales; annonæ, aliarumque rerum ad sustentationem necessariarum pretium in utroque loco idem: onera tamen in parochia Paschasii sunt notabiliter graviora, expensæque majores faciendæ quam in parochia Germani; licet hisce omnibus deductis parocho adhuc residua maneat congrua sustentatio. Motivum permutationis utrinque solum videtur esse, ut sic uterque parochiam administrandam obtineret in loco nativitatis suæ. Potestne Germanus jam transiens ad parochiam graviorum onerum sibi reservare annuuam pensionem a Paschasio sibi solvendam?

R. Omnis permutatio, quæ non fit ex motivo primario salutis animarum & utilitatis Ecclesiæ, est illicita. Si ergo præfati duo parochi non ducantur motivo boni Ecclesiæ, sed solum stimulo peculiaris affectionis ac commoditatis propriæ, non est ipsis permittenda permutatio, quæ foret contra canones ac mentem Ecclesiæ. Posito etiam, quod hujusce permutationis justæ rationes ac legitimæ afferri possent, non tamen tuta conscientia Germanus posset exigere pensionem; quia etsi majores tunc ipsi expensæ faciendæ forent, salva tamen ipsi perstaret congrua sustentatio: pensiones autem solum constituuntur in defectu congruæ sustentationis. *Pontas.*

CASUS II. Bertrandus in Curia Romana obtinuit pensionem ex parochia, quæ quidem in titulum ipsi collata, nunquam tamen ab eo in persona fuit administrata. Potestne

ne tuta conscientia & sine scrupulo frui hac pensione, in sola authoritate Pontificis fundata ?

℟. Cum nunquam administraverit hoc suum Beneficium, sola Papæ authoritas non poterit ipsum eximere a peccato quoad pensionem sibi reservatam, quæ in nulla legitima causa fundatur. Ut quis absque peccato frui possit pensione ex Beneficio, satis non est, eam constitutam fuisse in Curia Romana; cum facile sit variis technis eam decipere, & dolo vigilantiam Pontificis supplantare: requiritur insuper, ut ea ex justa causa constituatur. Causæ autem justæ sunt, quas Concilia & Pontifices ut legitimas agnoverunt; ut dum resignans ex relicto Beneficio pensionem postulans absque hoc subsidio honeste vivere nequit, *subventionis causa*, ut formulæ supplicationum pro ejusmodi pensionibus sonant, & *ne resignans nimium pateretur dispendium ex sua resignatione.* Unde sequitur, sufficienti jam instructum Beneficio tuta conscientia frui non posse pensione ex alio Beneficio: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. v. 8. Homini ecclesiastico ultra necessaria ad honestam vitæ sustentationem nil avide expetendum; cum eadem sit mens ac intentio Ecclesiæ, nunquam concedentis pensiones superfluas. *Pontas.*

CASUS III. Octavius Toparcha & Patronus cujusdam parochiæ, ad eandem præsentavit Juvenalem nepotem suum, Subdiaconum, & viginti quatuor annos natum. Juvenalis Beneficii possessionem adeptus illud ultra annum administravit per vicarium, nec tamen, ut tenebatur, presbyteratum suscepit. Timens tandem, ne per devolutionem ad alium collatorem jure suo & possessione excideret, resignavit illud huic ipsi vicario cum onere pensionis centum florenorum in Curia Romana constitutæ. Novus Titularis denuo renunciavit Beneficio in manus Episcopi cum novo instrumento præsentationis factæ ab Octavio in favorem Bernardi. Hic Beneficium possedit per triennium, persoluta quotannis Juvenali adhuc subdiacono pensione. Potuitne Juvenalis secura conscientia sibi reservare hanc pensionem? Et posito, quod non potuerit, teneturne ad restitutionem hucusque perceptorum ?

℟. Cum Juvenalis nunquam obierit functiones parochi, non potuit sibi reservare pensionem; & quia valde verisimile est, quod Beneficium hoc acceptaverit absque intentione unquam exercendi functiones parochiales, sed solummodo ut possit percipere fructus, & per viam resignationis sibi procurare pensionem, non potest in tali casu excusari a peccato

cato

cato mortali; imo dicendum videtur, eum teneri ad restitutionem fructuum primo anno perceptorum. *Si promoveri ad sacerdotium non intendens*, inquit Bonifacius VIII. Cap. *Commissa*. 35. Lib. I. Tit. 6. in 6. *parochialem receperis ecclesiam, ut fructus ex eo per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem; cum eos receperis fraudulenter.* Dicendum insuper, quod absque manifesta injustitia non potuerit frui constituta pensione, quam nullo suo servitio aut parochiali ministerio promeruit. Et posito etiam, quod acceptasset parochiam animo exercendi munus parochi, non posset tamen acceptare pensionem; eo quod intra annum presbyteratum non receperit. Nec juvat in excusationem afferre authoritatem Pontificis; quia ea sola in hac materia non sufficit, ut communiter docent Theologi ac Canonistæ. Leges canonicæ tres communiter rationes allegant, per quas a peccato excusatur, qui pensionem sibi reservat. *Prima* est, quæ dicitur *pro bono pacis*, id est, ut inter duos de Beneficio litigantes compositio fiat, & utilitas Ecclesiæ promoveatur. *Secunda* est, quando agitur de instituenda æqualitate inter Beneficium nimis tenue & notabiliter pinguius, & pensionarius vere indiget pensione ad honestam sustentationem. *Tertia* causa est necessaria sustentatio illius, qui præstito per longum tempus servitio suum jam dimittit Beneficium; & hæc causa ut legitima fuit agnita ab ipso generali Concilio Chalcedonensi. *Pontas.*

CASUS IV. Menander parochus, postquam insigni cum laude, zelo ac ædificatione per annum vel octodecim menses suæ deservivisset parochiæ, resignavit eam Judæ. Sed cum aliunde non haberet, unde subsisteret, congruam sibi reservavit pensionem. Potuitne eam sibi reservare?

℟. Secura conscientia non potuit, convenientem enim sustentationem non habere non est ratio, quæ sola possit sufficere ad reservandam sibi pensionem in Beneficio resignando; necesse est insuper, ut quis sat longo tempore in eodem ministraverit, & quidem a tempore Gregorii XIV. saltem per quinquennium. Non censetur Menander per tantillum temporis spatium adeo notabile Ecclesiæ exhibuisse obsequium, ut jure possit sibi aliquam fructuum portionem attribuere. Hinc quærenda ipsi necessaria alimentatio alia via statui suo conveniente. *Pontas.*

Nota. In Gallia omnino quindecim anni requiruntur in servitio Beneficii exantlati, ut quis pensionem sperare possit, neque ipsis Canonicatibus exceptis.

CASUS V. Sophronius parochus administrato suo Beneficio per octo aut decem annos cum maxima ædificatione ac utilitate parochianorum usque adeo infirmatus est, ut plane inhabilis esset ad functiones parochiales obeundas. Cogitat ergo resignare parochiam, reservata sibi congrua pensione, maxime cum aliunde non habeat, unde sustentare se possit. Scit quidem peculiarem legem Provinciæ prohibentem ejusmodi pensionis reservationem ante quindecim annos præstiti in Beneficio servitii; incidit tamen in sacerdotem exemplaris vitæ ac eximiæ scientiæ virum, qui resignata sibi parochia pensionem spondet certissime se persoluturum, lege non obstante. Potestne taliter resignare cum onere præstandæ sibi pensionis?

℞. Potest in his circumstantiis absque ullo peccato. Legis enim ac legislatoris intentio nullatenus est privandi ejusmodi parochum, ut est Sophronius, solo & unico medio honeste sustentandi vitam suam, sed solum sordidissimam impediendi negotiationem, quam complures Clerici exercebant circa Beneficia curata, vel residentiam exigentia. Quin imo in præsenti casu pensio est omnino conformis menti Ecclesiæ. *Pontas.*

CASUS VI. Ludovicus Prior resignavit Beneficium suum 1500. florenorum redditibus pingue Salvio sub pensione 400. florenorum, reservatis sibi quoque domo Prioratus & horto, quem murus ambiebat. Post sex menses Ludovicus petiit a Salvio 200. florenos, partem scilicet pensionis dimidiam pro primo anno, omissa interim declaratione in foro ecclesiastico facienda, quod & domus & hortus constituant partem Prioratus. Prætendit jam Salvius, Ludovicum ob omissam hanc formalitatem ipso jure amisisse possessionem tam domus quam horti, ipsique desuper litem movet. Fatetur quidem Ludovicus, hanc declarationem omitti non posse, sed adhuc in tempore esse reponit, quo ea fieri possit. Teneturne Salvius in conscientia desistere ab actione Ludovico intentata?

℞. Juxta S. Beuve Tom. 2. cas. 39. Salvius in rigore & in conscientia non tenetur desistere: Ludovicus enim tenebatur facere illam declarationem, antequam acceptaret partem suæ pensionis. Si nihil unquam percepisset ex pensione, valida semper fuisset ipsius declaratio, quocumque demum tempore fuisset insinuata. Decretum in Curia Romana

mana pro legitimo ejusmodi reservationum usu nunquam conceditur, nisi sub conditione faciendæ declarationis omnium ad Beneficium pertinentium. Ratio est 1. Quia plurimi interest, ut ex actis publicis pateat, hanc domum, hunc hortum, vel hos fundos reservatos pertinere ad Beneficium, quod resignatur: si enim clam avellerentur a Beneficio, evidens simonia vitiaret contractum. 2. Quia hoc modo securius conservantur Ecclesiæ bona ad eam pertinentia. *Pontas.*

CASUS VII. Etherius parochus annorum septuaginta sex ætatem emensus, cum ultra viginti quinque annos suo deservisset Beneficio, adeo debilitatus ac viribus fractus est, ut ad labores parochiales inhabilis existeret. Hinc parochiam Blasio resignare cogitat, pacta sibi pensione, ex qua reliquo vitæ tempore subsistere valeret. Annuos redditus parochia parit 1200. florenos. Potestne sine læsione conscientiæ retinere pensionem annuam 750. florenorum, facta consideratione, quod residui 450. floreni videantur abunde sufficere resignatario, & aliunde etiam evidens sit, quod ob infirmitates suas, ætatemque decrepitam pensione hac non diu sit fruiturus?

℟. Si Etherius non habeat aliunde, unde vivat, potest absque ullo conscientiæ scrupulo sibi reservare pensionem, quæ tamen excedere non debet tertiam partem redditũum beneficialium. Nec Pontifex admittit ullam pensionem, nisi sub hac conditione: *Modo tertiam partem fructuum non excedat; alias præsens gratia nulla sit eo ipso.* Plus ergo Etherius non potest exigere, quam 400. florenos. Et licet Blasius commode satis posset vivere ex 450. florenis, constitueretur tamen in impotentia erogandi eleemosynas in pauperes parochianos, vel benefaciendi suæ ecclesiæ, ut tenetur. *Pontas.*

CASUS VIII. Flavianus parochus annos septuaginta octo ætatis numerans, Beneficio suo per triginta quinque annos administrato, jam a sex mensibus non potest amplius vacare functionibus suis; offert itaque Norberto resignationem parochiæ sub annua pensione 175. florenorum, addita quoque conditione, ut solutionem hujus pensionis pro primo anno anticipet mox adita possessione Beneficii; licet omnes parochiæ redditus ultra 450. florenos non ascenderent. Acceptat Norbertus sub his conditionibus resignationem Flaviani cum proposito etiam donationis gratuitæ 50. florenorum eidem faciendæ. Interrogat jam, an sic agere possit tuta conscientia.

℟. Primæ duæ conditiones, ſub quibus Flavianus intendit reſignare, debent exprimi in ſupplicatione ad Papam, qui facile conſentiet; hujus obtento conſenſu poterit tuto acceptare reſignationem, & Flavianus etiam admittere donationem gratuitam 50. florenorum; dummodo promiſſio hujus donationis non fuerit facta ante admiſſam reſignationem, aut ſive expreſſe ſive tacite in pactum deducta, quod foret ſimoniacum. *Pontas.*

CASUS IX. Heraclides parochus Titio debebat annuam penſionem 150. florenorum ex reſignata ſibi ſub hac reſervatione parochia; dilata vero ultra annum ſolutione mortuus eſt. Titius jam petit ſolutionem hujus penſionis a Joanne, qui in Curia de hoc Beneficio fuit proviſus *per obitum*, & quidem intentata ipſi actione judiciali. An jure Titius convenit Joannem de hac ſolutione?

℟. Juxta Cabaſſutium Jur. Can. Theor. & prax. L. 2. c. 14. n. 13. Titius nullum habet jus exigendi a Joanne ſolutionem relicti ab Heraclide debiti: non eſt enim par ratio inter illum, qui ſuccedit in Beneficium, & inter novum poſſeſſorem fundi; cum ſucceſſor in Beneficio non intret jure proprietatis & ſucceſſionis. Et aliunde etiam onus per penſionem Beneficio impoſitum non eſt pure reale, ſed mixtum, id eſt, partim perſonale & partim reale, ad quod debitor non tenetur, niſi qua poſſeſſor. Titius igitur ſolum habet recurſum adverſus hæredem Heraclidis, & non adverſus ſucceſſorem illius. *Pontas.*

CASUS X. Gellius poſſidens parochiam, cujus redditus deductis omnibus deducendis conficiunt 1250. florenos, permutat cum Leufrido, cujus parochiales redditus ſunt 1000. floreni; ſed ea conditione, ut Leufridus annuatim ipſi ſolvat penſionem 125. florenorum. Poteſtne ſalva conſcientia ſibi reſervare hanc penſionem Gellius ex hac ſola ratione, quod parochia, quam ceſſurus eſt Leufrido, ſit pinguior ea, quam ipſe occupaturus eſt?

℟. Verum eſt, inter cauſas legitimas conſtituendi penſionem in Beneficio, numerari etiam hanc juxta dicta ad caſ. 3., ut ſaltem ex parte fiat æqualitas inter Beneficium nimis tenue & notabiliter pinguius, ſive dein fiat reſignatio ſive permutatio. Hæc autem cauſa abſolute applicari non poteſt in caſu præſente. Nec patrocinatur Gellio ſpecioſus prætextus abundantiores elargiendi eleemoſynas: id enim etiam Leufridus faciet; aut ſi Gellius tantum fiduciæ in eo poni non poſſe exiſtimet, ut indignum habere debebit, quocum ineatur permutatio. Nullum ſane motivum reperire erit, ex quo cohone-

ſtari

ftari poffet hæc refervatio. Hinc peccaret Gellius, peccaret & Leufridus fub hac refervatione permutantes; imo peccaret ipfe Pontifex in hoc cafu provifiones concedendo, & Epifcopus vitiofam hanc permutationem admittendo. *Pontas.*

CASUS XI. Onuphrius parochus permutavit parochiam fuam, refervata fibi penfione 100. florenorum, cum alterius facerdotis parochia, quæ duplo minores profert redditus; & hæc permutatio facta eft intra manus Epifcopi diœcefani, Eftne canonica penfionis hujus creatio?

℟. Jus antiquum permittit quidem Epifcopis facultatem conftituendi penfiones in Beneficiis, quorum Titulares erant poffeffores pacifici; fed fummi Pontifices jam præfcripferunt hoc jus contra Epifcopos. *Non eft prohibitum jure Epifcoporum imponere penfiones*, inquit Toletus Inftruct. facerd. L. 5. c. 20. n. 2. *ob confuetudinem tamen & communem ftylum Romanæ Curiæ, fi quis fine Pontificis fummi facultate penfiones haberet, fimoniacus effet.* Unde concludendum eft, penfionem authoritate folius Epifcopi diœcefani in favorem Onuphrii conftitutam non effe canonicam, & confequenter nullius emolumenti. *Pontas.*

Nota. Epifcopus ex jufta caufa imponere poteft penfionem temporalem, non vero perpetuam, ficut Papa.

CASUS XII. Odo in familiari converfatione dixit Bernardo Canonico Olomucenfi, fi quispiam fibi refignaret Canonicatum hujus ecclefiæ, perfoluturum fe illi bonam penfionem, jamque paratos fibi effe mille florenos ad penfionem hanc in continendi redimendam. Bernardus nihil dubitans, ferio loqui Odonem, quatriduo elapfo ipfi offert fuum Canonicatum fub penfione 200. florenorum, caute tamen diffimulans mentionem facere de redemptione penfionis, quam fperabat. Odo, qui difcurfu fupra relato omnino intendebat inducere Bernardum ad refignandum Beneficium, gratam habet oblatam fibi refignationem, obtinet provifiones, & poft dies quindecim in forma confueta penfionem redimit, 800. thaleris Bernardo numeratis. Quæritur, an penfio hæc a Papa conftituta, & interveniente ipfius authoritate redempta, in rigore fit canonica; & an Bernardus ea frui poffit.

℟. Certum eft, penfionem hanc non effe legitimam, & Bernardum nec ejus folutionem exigere, nec ejusdem redemptionem acceptare poffe. Intervenit hic tam ex parte refignantis, quam ex parte refignatarii fimonia tacita; & ambo funt rei fimoniæ realis palliatæ fub apparentia penfionis.

Quam-

Quamvis postea possit redimi pensio, ait Toletus l. c. L. 5. c. 29. n. 1. *non tamen potest resignari Beneficium cum pacto redemptionis hujus. Pontas.*

CASUS XIII. Licinius presbyter canonice possidet Prioratum a quadam Abbatia regulari avulsum ac sæcularisatum. Promittit autem Religiosis Abbatiæ, se illis redditurum hunc Prioratum, ut ad regularis Beneficii statum redeat, si pinguem ipsi pensionem constituant. Potestne percipere ac retinere hanc pensionem?

℟. Si pensio ista fuerit creata in curia Romana, si ea indigeat pro sua sustentatione, si de cætero sit subjectum dignum, ac suis servitiis Beneficio aut Ecclesiæ præstitis eandem promeruerit, licite eam percipit, ut S. Beuve docet tom. 3. cas. 128. *Pontas.*

CASUS XIV. Richardus Francisco resignavit Ecclesiæ Cathedralis Decanatum, quem a tricennio abhinc possidebat, cujusque redditus tam in fructibus grossis quam distributionibus quotidianis 1000. florenos ipsi præbebant. Resignatio continet pactum reservationis omnium fructuum; & Papa, cui resignans in sua supplicatione omnem rei veritatem fideliter exposuit, ex causa gravissima consensit in hanc pensionem, & provisiones concessit. Poteritne Richardus absque scrupulo frui hac pensione, non obstante, quod resignatarius comminetur, imploraturum se desuper officium judicis?

℟. Reservatio omnium fructuum damnatur ab Innocentio III. Cap. *Ut nostrum.* unic Lib. 3. Tit. 12. licet hic ipse Pontifex eam excuset in certis casibus *ad tempus pro causa justa & necessaria. Pontas.*

CASUS XV. Vinnius ecclesiæ collegiatæ ab annis viginti canonicus præbendam suam 300. florenorum resignavit Josepho, reservatis sibi 25. florenis solvendis ex fructibus Beneficii, qui solum consistebant in distributionibus quotidianis & manualibus, absque ullis grossis. Josephus possessionem Beneficii adeptus nunquam in eo resedit. Videns ergo Vinnius, Josephum solvendæ pensioni imparem fore, ad obtinendam solutionem convertit se ad Capitulum, cujus Canonici percipiunt, ac inter se partiuntur omnes distributiones etiam absentibus destinatas, ex quibus Josepho quoque æqua portio cederet, si in Beneficio resideret, & Officio divino ac horis canonicis interesset. Canonici autem recusant solvere hanc pensionem. Possuntne persistere in sua tergiversatione, maxime cum sciant, Vinnium non nisi ex hac pensione posse subsistere?

℟

℟. Sunt magni nominis Authores, qui tuentur, Capitulum teneri ad solvendam hanc pensionem, fundantque suam sententiam in duobus Rescriptis, scilicet Gregorii XIII. & Clementis VIII., qui in simili casu Capitulum condemnarunt ad solutionem. Hoc tamen non obstante videtur opposita sententia magis fundata & æquitati conformior. Hinc dicendum, Canonicos non obligari ad solutionem: Rescriptum enim, per quod Vinnio constituta fuit hæc pensio, non nisi Josephum obligat, ejusque in Beneficio successores. Canonicis imputari non potest, quod Josephus non resideat; nec aliter lucrantur distributiones, quas ille amittit, quam jure propriorum suorum Beneficiorum, & nullatenus titulo præbendæ Josephi. Si hic etiam actualiter resideret, ex negligentia tamen chorum non frequentaret, nisi rarissime, Capitulum certe non obligaretur ad supplendum defectum pensionis Vinnio debitæ: quare ergo obligetur in casu præsente? Tandem etiam falsum est, hanc pensionem esse pure realem; quinimo est tantum personalis, aut ad summum mixta, Josepho tantum ejusque successoribus incumbens. *Pontas.* Vide *Distributiones quotidianæ.* cas. 2. & 5.

CASUS XVI. Eudesius resignavit Petro 2. Januarii suum Beneficium, quod non alios proventus nisi ex solis frumentis præbebat, sub pensione 100. florenorum. Cum vero durante hyeme omnino perierint semina, & Petrus nec pro sua ipsiusmet sustentatione sat frumenti obtinuerit, quæstio est, an teneatur pro eo anno Eudesio solvere 100. florenos ex pacto debitos.

℟. Non tenetur; quia Beneficium eo anno sufficientes fructus non protulit, & quidem absque ulla Titularis culpa. *Est namque pensio*, inquit Sylvius resol. var. V. *Beneficium portio quædam fructuum seu proventuum Beneficii. Illo igitur tempore, quo Beneficium non præbet proventus, cessat obligatio solvendi pensionem. Pontas.*

CASUS XVII. Michael per quindecim annos parochus Beneficium suum in Normania situm resignavit Theophilo cum onere pensionis 150. florenorum; cujus possessionem resignatarius post sex septimanas adeptus est. Elapso primo anno pensionem suam petiit Michael; sed reposuit Theophilus, eam pro primo anno exigi non posse; eo quod fructus ac redditus beneficiales primi anni in Normannia pertineant ad Episcopos vel Archidiaconos jure reservationis. Jurene pensionem negat Theophilus?

℟.

℟. S. Beuve tom. 2. caf. 161. fatetur, magnam effe abufum, ut Beneficiatus adftringatur ad folvendam penfionem, dum nondum ipfi licet percipere fructus, putatque non effe juftum, ut illi, penes quos eft emolumentum percipiendi fructus groffos, eosdem capiant, antequam penfio refignanti debita perfoluta fit. Quantum ad jus refervationis attinet, illud certe non ignoratur a refignatariis. Ad hos ergo pertinet pacifci, quandonam penfio folvenda fit. Si jus refervationis fructuum primi anni ab Epifcopis aut Archidiaconis ita urgeretur, ut novo parocho nihil relinqueretur ultra præcife neceffaria ad fuftentationem, revera non teneretur in confcientia primo anno folvere pactam penfionem. *Pontas.*

Vide *Annatæ diœcefanæ.*

CASUS XVIII. Philologus Benedictinus non reformatus, cui poft introductam in fuum monafterium reformationem, vi concordatorum inter Religiofos reformatos & non reformatos initorum, affignata fuit penfio vitalitia 250. florenorum ex bonis communibus monafterii perfolvenda, ab Epifcopo diœcefano, obtenta difpenfatione Pontificia, fuit inftitutus in parochia a monafterio independente reddituum 1000. florenorum. Poteftne adhuc exigere penfionem fuam vitalitiam, licet in fuo haud amplius refideat monafterio ?

℟. Plures rationes evincunt, quod ultra non poffit exigere hanc penfionem, inter quas eft hæc: penfio monachalis folis tantum debetur Religiofis; qui actu vivunt in monafterio, ex quo penfionem percipiunt, & qui tanquam profeffi domus in eadem vivunt juxta conftitutiones & regulam Ordinis. Neque, dum abfunt a conventu, fortius jus habent fuis fruendi penfionibus, ac Canonici fructibus fuarum præbendarum, dum actu non refident. *Licet monachus & Regularis poffit habere unum Beneficium regulare*, inquit Rebuffus Prax. Benef. part. 2. §. 8. *tamen duo habere non poteft, ne quidem capellam vel penfionem aut portionem monachalem cum Beneficio. Pontas.*

CASUS XIX. Lucas & Remigius difceptabant de eodem Beneficio, caufaque ad forum contentiofum deducta jura utriusque videbantur æqualia. Compromittunt ergo componendæ litis gratia in arbitrum bonæ fidei, & absque omni collufione. Sententia arbitri erat, ut Lucas jus fuum cedat Remigio cum refervatione penfionis 150. florenorum, id quod a partibus mutuo confenfu probatum, & executioni

man-

mandatum fuit. Poteſtne Lucas ex hac ſola ratione tuta conſcientia frui hujusmodi penſione?

℞. Tuta id poteſt conſcientia: penſio enim iſta conſtituta fuit intuitu boni, quod inde redundaturum eſt in Eccleſiam ex pace inter hos duos clericos reſtituta; dummodo tamen 1. penſio approbata fuerit a ſummo Pontifice juxta Cap. *Niſi eſſent.* 21. Lib. 3. Tit. 5.. 2. Ut remaneat Remigio, unde honeſte vivere poſſit. 3. Ut penſionarius revera indigeat reſervata fructuum portione, & non aliunde ſufficientia habeat media ad honeſtam ſuſtentationem. *Pontas.*

Nota, Cum hæc penſio non fundetur in contractu, ſed in laudo arbitri, videtur ſufficere ratihabitio Epiſcopi. Vide caſ. 32.

CASUS XX. Stanislaus Abbas in Polonia fuit nominatus ad Epiſcopatum, conſentiendo in penſionem 500. florenorum ex Abbatia in favorem cujusdam Stephani perſolvendorum; quæ tamen penſio ſolummodo fuit conſtituta per diploma Regis pure ac ſimpliciter ſignatum, ut fert antiquiſſima conſuetudo regni. Conſecratione ſuſcepta per tres annos continuos penſionem ſolvit Stephano. Potuitne ſic agere Stanislaus absque ſimonia? Hujusmodi penſiones approbatæ per conſuetudinem generalem ac immemorialem totius regni Poloniæ, ſuntne legitimæ? Et quidnam demum faciendum huic Epiſcopo ad tranquillandam conſcientiam ſuam?

℞. Certum & evidens eſt, quod omne pactum vel conventio in materia Beneficiorum, deſtituta approbatione ſummi Pontificis, ſit ſimoniaca; & hinc Stanislaus non potuit acceptare Epiſcopatum cum conditione ſolvendi penſionem 500. florenorum in favorem Stephani, niſi diploma regium fuerit ratificatum & approbatum à Papa. Tantumque abeſt, ut liceat ipſi ſolvere penſionem, ut eandem teneatur etiam conſtanter recuſare, donec Stephanus acquirat titulum canonicum ipſam percipiendi: nec denique ſolvat, niſi ad hoc fuerit coactus per ſententiam definitivam contra ſe latam, a qua appellare ultra non liceat. Interim debet recurrere Romam, ut authoritate Pontificia, quantum opus eſt, revalidetur ipſius titulus, condonentur fructus tum ii, quos licet alias ſibi debitos nondum percepit, tum etiam quos jam perceptos quidem nondum tamen conſumpſit, deturque facultas Stephano impoſterum penſiones ſolvendi. Ita S. Beuve tom. 3. caſ. 71. *Pontas.*

CA-

CASUS XXI. Zephyrinus Clericus tonfuratus ex Prioratu redditunm 1500. florenorum, quem poffidebat, retinuit fibi penfionem 500. florenorum in Curia admiffam & approbatam, ac paulo poft militiæ nomen dedit, obtento in caftris munere judicis civilis & criminalis militum. Amifitne per hanc ftatus mutationem penfionem fuam ?

℟. Omnis penfio in Beneficio conftituta ex natura fua eft ecclefiaftica, & neceffario fupponit tonfuram, quæ eft aliquid fpirituale. Refcripta ex curia impetrata femper fupponunt, impetrantem effe Clericum; fic enim infcribuntur: *N. Clerico diœcefis N.* & quidem etiam ad eos, qui necdum in majoribus Ordinibus funt conftituti, *& cum decreto, quod, fi ipfe & quamdiu penfionem hujusmodi perceperit, in habitu & tonfura clericalibus incedat. Alias penfio ceffet eo ipfo.* Hinc ille, qui eft inhabilis ad poffidendum Beneficium, inhabilis quoque eft ad percipiendam ecclefiafticam penfionem; ficque Zephyrinus non poteft frui refervata fibi penfione 500. florenorum. *Pontas.*

CASUS XXII. Andreas debet Ambrofio penfionem 150. florenorum ex fructibus parochiæ 600. florenos proferentibus, quam hic illi ante fex annos refignaverat. Poteftne Andreas absque læfione confcientiæ extinguere aut redimere hanc penfionem propria authoritate & fine difpenfatione Papali ?

℟. Juxta fententiam Fagnani, Navarri, Flaminii, Rebuffi, Forgeti & plurimorum infignium Canoniftarum absque peccato non poteft Andreas extinguere aut redimere penfionem, quin interveniat authoritas Pontificis. *Pontas.*

CASUS XXIII. Chryfanthus parochus a quinquennio vel fexennio portat onus penfionis 150. florenorum, quam Cornelius refignans parochiam fibi refervaverat. Hujus oneris pertæfus pro penfione hac offert Cornelio Capellam, cujus redditus funt 100. floreni; qua conditione accepta Cornelius pro provifione follicitat, eaque impetrata penfioni renunciat. An hæc conventio fine omni nævo eft ?

℟. Conventio hæc eft fimoniaca: penfio enim non eft Beneficium, fed tantummodo jus percipiendi ad tempus, id eft, quamdiu penfionarius vixerit, aut jure fuo non exciderit alia ratione, aliquam portionem ex fructibus Beneficii refignati, penitus feparatum a titulo Beneficii. Penfio non eft perpetua, ficut Beneficium; cum omnino extinquatur per mortem penfionarii. Ad conftituendam penfionem non requiritur inftitutio canonica, prout tamen requiritur ad legitime poffidendum Beneficium; cum fola conventio refig-

nantis

nantis & refignatarii a Pontifice approbata fufficiat, ut quis frui valeat penfione. Ad hoc penfio gratuito ac liberaliter condonari ac remitti poteft debitori, quin exigatur authoritas Superioris; cum tamen Beneficium in folas legitimi Superioris manus aut cum authoritate ipfius dimitti debeat. Denique penfio in parochia aut quovis alio Beneficio non obligat ad refidentiam, nec ad alias functiones ecclefiafticas; quod tamen dici nequit de Beneficio. Igitur effentialis utrinque datur differentia. Unde concludendum eft, penfionem nunquam extingui poffe per refignationem Beneficii; quia hoc effet dare rem fpiritualem aut fpirituali annexam pro re temporali, pretio pecuniario æftimabili, & quæ revera redimi poteft foluta fumma, de qua cum approbatione Pontificis convenitur. *Pontas.*

CASUS XXIV. Volufianus in quodam Beneficio penfionem habet 300. florenorum. Teneturne in confcientia recitare Officium Breviarii, & geftare tonfuram ac habitum clericalem?

℟. Tenetur folum recitare Officium parvum B. Virginis ex præcepto Bullæ Pii V. *Ex proximo* de anno 1571 ubi ait Pontifex: *Quicumque penfionem, fructus aut alias res ecclefiafticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto* (id eft, fub pœna reftitutionis) *ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penfionum, fructuum, rerumque ipfarum amiffioni obnoxium.* Ad tonfuram vero & habitum clericalem ftrictiffime obligatur, ut expreffe ftatuitur in Bulla Sixti V. *Cum facrofanctam.* anni 1589. *Pontas.*

Nota. In Bulla Pii V. notanda funt verba: *ut Clericus.* Si enim annua penfio tribuitur v. g. æditue, organædo, aut aliis minifterium de fe profanum ecclefiæ exhibentibus, penfionarii ifti non obligantur ad Officium parvum.

CASUS XXV. Placidus Clericus tonfuratus, illuftri profapia genitus, nullumque habens Beneficium, obtinuit penfionem 1500. florenorum ex quodam Archiepifcopatu fibi perfolvendorum. Hic parfimoniali fua induftria ultra neceffaria pro fua fuftentatione quotannis 500. florenos fibi comparfit. Poteftne de hac fumma difponere pro fuo arbitrio? An vero tenetur bona hæc parfimonialia erogare in caufas pias, ecclefiam vel pauperes?

℟. Cum nulla intercedat differentia inter bona ex Beneficio & penfione parta, utpote æqualiter ecclefiaftica & confecrata Deo, Placidus non poteft tuta confcientia bona hæc parfimonialia pro fuo arbitrio impendere in ufus profanos,

 fed

ſed tenetur ea conferre in ſublevamen pauperum aut neceſſitates eccleſiæ, vel in quaſcumque alias cauſas pias vergentes ad gloriam Dei aut ſalutem proximi. *Pontas.*

CASUS XXVI. Mauritius habet penſionem 200. florenorum ex quadam Abbatia; ſed propter commiſſum furtum damnatus eſt ad perpetuas triremes. Teneturne Abbas in conſcientia continuare ſolutionem conſtitutæ ipſi penſionis?

℟. Penſio, extinguitur æque per mortem civilem ac naturalem penſionarii; & per hanc damnationem Mauritius indubitato civiliter mortuus eſt, ac omni jure clericali excidit. Idem dicendum de Clerico penſionario, qui in hæreſin aut crimen læſæ majeſtatis prolapſus eſt aut aliud, in quod jura ſtatuunt privationem Beneficiorum & penſionum eccleſiaſticarum; ac denique de illo, qui per profeſſionem religioſam ſæculo mortuus eſt. *Perimitur penſio*, ait Cabaſſutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 2. c. 4. n. 16. *capitis diminutione penſionarii; quia penſio beneficiaria eſt jus ſpirituale & clericale .... Extinguitur penſio per delictum hæreſis, læſæ majſtatis aut Sedis Apoſtolicæ; per matrimonium, aut per profeſſionem Religionis.* Hinc Abbas non debet ipſi ultra ſolvere penſionem. *Pontas.*

CASUS XXVII. Priamus per quatuordecim annos parochus cum Canonicatum obtinuiſſet, ex cujus redditibus honeſtiſſime vivere poſſet, reſignavit parochiam, reſervata ſibi penſione, quæ & a Pontifice fuit approbata. Tutaue conſcientia hanc penſionem percipit?

℟. Pontifex, cum bonorum eccleſiaſticorum abſolutus Dominus non ſit, ſed ſolum diſpenſator, non niſi ex cauſis legitimis, Eccleſiæque bonum ſpectantibus penſionem in Beneficio creare poteſt: in dictæ autem penſionis gratiam nulla legitima cauſa, quæ Eccleſiæ bonum reſpiciat, afferri poteſt. Hinc reſervatio Priami eſt evidenter injuſta, teneturque omnia hucusque percepta reſtituere: bona enim parochialia eo tantum ſpectant, ut deſerviens parochiæ ſuſtentetur, quod autem ſupereſt, in eleemoſynas, aliaque pietatis & charitatis opera conferatur; quamvis fatendum ſit, pluralitatem Beneficiorum adhuc eſſe pejorem, quam Beneficium ſe ſolo ſufficiens ad congruam ſuſtentationem una cum penſione ex alio Beneficio. *Fromageau.*

CASUS XXVIII. Lyſias Clericus nunquam hactenus ullum Eccleſiæ præſtitit ſervitium, nec modo præſtat; imo oppido negligenter decurrit Officium B. Virginis. Nullum poſſidet talentum vel alias dotes, ex quibus ſperari poſſet,

eum

eum cum tempore utiliter serviturum Ecclesiæ. Poteſtne hic bona conſcientia retinere penſionem ex Beneficio quocumque, maxime curato?

℟. Peccat ejusmodi Clericus petendo penſionem, & magis peccat eam retinendo. Nec Papa poteſt eam ratihabere absque peccato dilapidationis bonorum eccleſiaſticorum; hinc ea pro ſub- & obreptitie obtenta habenda eſt; maxime ſi ſit conſtituta in Beneficio curato, quæ Beneficia minus penſionibus onerari debent, ac alia non curata. *Fromageau.*

CASUS XXIX. Kiſius Canonicus Cathedralis & Cuſtos, cum aſſumptus fuiſſet ad Decanatum, cujus redditus annui 2500. floreni, præbendam Theſaurarii ſeu Cuſtodis reſignavit alteri, reſervata ſibi penſione 1200. florenorum. Eſtne legitima hæc penſio?

℟. Non potuit exigere hanc penſionem, teneturque ad reſtitutionem perceptorum. Papa, qui eam ratam habuiſſe ſupponitur, eſt tantum diſpenſator bonorum Eccleſiæ, neque poteſt absque ulla cauſa legitima permittere, quod lege divina & naturali prohibitum eſt; adeoque impetrata diſpenſatio eſt irrita. *Fromageau.*

CASUS XXX. Titius cum Cajo permutavit Canonicatum, cujus redditus annui 500. floreni, a quo viciſſim recipit Beneficium Capellæ 40. florenorum, & penſionem 200. florenorum. Suntne ambo ſecuri in conſcientia?

℟. Juxta quosdam Authores non poteſt Beneficiatus absque ſimonia ſtipulari ſibi penſionem, quæ excedat tertiam partem redditnum Beneficii; eſtque taliter ſtipulata penſio reducenda ad partem tertiam. Cajus peccavit promittendo penſionem tertiam partem redditnum excedentem. Interea licet abſolute certum non ſit, ambos incurriſſe aliquam cenſuram; nihilominus pro majori ſecuritate utrque Romam recurrendum eſt pro impetranda a ſummo Pontifice rehabilitatione. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Sempronius in eccleſia Collegiata Beneficium Capellæ poſſidet oneratam penſione 50. florenorum Petro ſolvenda, quod modo reſignare intendit Joanni ſub his conditionibus. 1. Ut Joannes ſibi ſolvat 10. florenos ultra penſionem Petro debitam. 2. Ut creationem penſionis ſuis impenſis procuret. 3. Ut penſionem ſolvat ante tempus & pro ſecuritate ejusdem cautionem præſtet. 4. Ut poſt mortem Petri ſibi præter 10. florenos etiam ſolvantur illi quinquaginta Petro conſtituti. Quid ſentiendum de his conditionibus?

℟. Omnes translationes pensionum admodum odiosæ sunt, & omnino reiiciendæ; quia eo tendunt, ut perpetuam in servitutem redigantur Beneficia, & hæreditaria quasi successio in iis inducatur; quod a mente Ecclesiæ alienissimum est. De cætero omnes prædictæ conditiones, si in pactum veniant, sunt simonicæ; hinc omnes in supplicatione Pontifici oblata exprimendæ sunt, ut a simoniæ vitio purgentur. *Fromageau.*

CASUS XXXII. Urbanus Episcopus, eum Papa pensiones ex Beneficiis non amplius vellet concedere, parochis ex morbo vel senio ad parochiales labores jam ineptis, nec habentibus, unde decenter vivere possint, in diœcesi sua pensiones constituit resignare volentibus. An id non excedit potestatem Episcopi?

℟. Episcopus ex potestate quadam œconomica fundata in æquitate naturali & utilitate Ecclesiæ in hisce circumstantiis potest constituere pensiones authoritate propria; quia alioquin plures parochi obeundo muneri suo jam inhabiles in officio relinquendi forent cum dispendio salutis animarum, Ecclesiæ ac totius diœcesis; id quod sane adversatur intentioni summorum Pontificum. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Permutatio Beneficiorum. Renunciatio. Resignatio.*

PERJURIUM.

1. *Perjurium* est juramentum falsum, vel violatio juramenti aliquando facti; & hinc pejerare idem est ac jurare quidpiam esse verum, quod re ipsa est falsum, vel violare juramentum antehac emissum. Perjurium ex sua natura est peccatum mortale, sitque perjurus infamis ac pœnæ obnoxius.

2. Committit perjurium, qui apposito juramento scienter affirmat rem falsam, aut negat rem veram. Crimen hoc nec excusat metus, nec consuetudo, nec utilitas, quæ exinde provenire posset, nec quævis alia causa, saltem nisi actum reddat imperfectum, qualis foret inculpabilis ignorantia.

3. Sicut tres dantur juramentorum species, *assertorium* scilicet, *promissorium* & *comminatorium*, ita etiam tribus modis potest perjurium committi: perjurium enim vel respicit rem præsentem, vel futuram, quæ promittitur, aut quam quis facturum se comminatur. Respectu rei præsen-

tis

tis perjurium semper est peccatum ; quia actu juratur contra veritatem. Respectu rei futuræ, quam quis nunquam intendit exequi, perjurii peccatum committitur ipso momento, quo juratur: si vero adsit intentio implendi rem juramento promissam, tunc primum committitur peccatum, quando quis recusat adimplere promissum ; supposito tamen, quod possit impleri absque offensa Dei aut absque omissione alterius operis evidenter sanctioris & magis meritorii. Dicitur autem, *absque offensa Dei*; quia, si quis juraret, commissurum se peccatum, non teneretur hoc juramento, & quod perverse juravit, multo perversius adimpleret. Dicitur etiam, *absque omissione alterius operis evidenter sanctioris & magis meritorii*; quia, licet opus foret supererogatorium, non tamen obstaculum ponendum est motioni Spiritus sancti: & in hoc casu, sicut in aliis, ubi juramentum metu vel vi fuit extortum, securius erit a Superiore legitimo petere dispensationem a juramento, vel a persona, in cujus favorem promissio juramento firmata est, remissionem obligationis.

4. Jus canonicum statuit, ut Beneficiatus perjurii crimine contaminatus privetur suo Beneficio, fitque in perpetuum inhabilis ad ferendum in judicio testimonium.

5. Et certe is, cui tam parum religionis est, ut pejerare audeat, nullam amplius fidem meretur ; cum præsumi possit, eum non minus esse dispositum ad alterum perjurium, ac ad simplex ac leve mendacium, *Ubi quis pejeravit*, inquit Cicero Orat. pro Roscio, *ei credi postea, etiamsi plures Deos juret, non oportet ; quia, qui semel a veritate deflexit, is non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit.* Juxta unanimem omnium jurisperitorum sententiam perjurus nunquam ut testis admittendus est. Carolus Magnus Capitul. 23. in perjurum pœnam statuit amputationis manus dexteræ. Per edictum Ludovici S. de anno 1254 perjuri condemnati privabantur beneficio appellationis a sententia condemnatoria. Denique juxta antiquam consuetudinem minoris Britanniæ perjurus condemnatur ad jacturam omnium bonorum suorum mobilium, eaque adjudicantur Domino loci, in quo sententia condemnatoria adversus eum pronunciata fuit ; & si perjurus erat persona publica, declarabatur infamis, & ad omnes functiones publicas inhabilis.

6. Nihilominus leges Romanæ non statuunt determinatam pœnam in perjuros, & Alexander Imperator divino eos judicio relinguendos existimat Leg. *Jurisjurandi*. 2.

Cod. Lib. 4. Tit. 1. ubi ait : *Jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet.* Hinc pœnæ, quæ a judicibus in perjuros pronunciantur, arbitrariæ plerumque sunt, & mensurantur ordinarie ex circumstantiis facti & qualitate personæ.

CASUS I. Menalippus interrogatus, num exiverit in agros, contra veritatem respondet, quod non ; & hoc suum assertum jurejurando confirmat, Deum in testem vocando. Peccavitne mortaliter, præsertim cum usus fuerit æquivocatione aut restrictione mentali, & alias materia juramenti fuerit levis momenti, nec interrogantem ullo modo tetigerit ?

℞. Non videtur excusari posse Menalippus a peccato mortali : Scriptura enim clare ac sine ulla distinctione pronunciat, omne perjurium esse mortale peccatum, ut probat D. Thomas 2. 2. q. 98. art, 3. C. Æquivocationes & restrictiones mentales sunt media & regulæ perniciosissimæ ad tegendam veritatem, de quibus loquitur S. Augustinus L. de mendac. c. 3. quasque luculentissimis argumentis refellit. Innocentius XI. 2. Martii 1679. ut erroneas ac scandalosas damnavit sequentes tres propositiones, easque doceri prohibuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & extra articulum mortis Sacræ Sedi reservatæ. *PROPOSITIO I. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. PROPOSITIO II. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel etiam aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. PROPOSITIO III. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum ; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* S. Augustinus Lib. contra mendacium exclamat : *Ubi estis fontes lachrymarum, & quid faciemus ? quo ibimus ? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacium, sed audemus insuper docere perjuria?* Pontas.

NOTA. In eo casu, quo quis de re non cuivis aperienda temere & absque omni interrogandi jure interrogat, nec aliud relinquitur effugium, licet quidem uti æquivocatione vel restrictione facile sensibili, nunquam vero juramento ultroneo, multo minus cum æquivocatione aut restrictione mentali.

CA-

CASUS II. Posthumius comperit, Hieronymum famulum suum graviter valde in re quapiam deliquisse; & ideo iracundia commotus jurat, dignis se in famulum castigationibus animadversurum. At vero Hieronymus delicti veniam rogat, & ob spem futuræ emendationis etiam impetrat ab Hero suo prætermissa omni castigatione, non obstante juramento. Estne Posthumius perjurii reus?

℟. Qui jurat, se commissurum peccatum, nunquam potest obligari ad implendum juramentum, nec unquam juramentum debet impedire majus bonum; cum juxta S. Augustinum Can. *Inter.* 22. caus. 22. q. 4. juramentum nec sit vinculum iniquitatis, nec impedimentum melioris boni. Idem docet Cardinalis Cajetanus v. *Perjurium.* n. 23. *Et hinc fit*, inquiens, *ut quando melius est parcere, aut abstinere a comminati mali justi executione, non teneatur quis ad juramenti executionem.* Hinc dicendum, quod Posthumius persuasus, famulum suum multo facilius hac sua indulgentia, quam per intentatam ipsi castigationem emendatum iri, absque periculo committendi perjurii potuerit ipsi ignoscere, ac pœnam condonare. *Pontas.*

CASUS III. Philonides Comes intraturus portam palatii sui simplici cuidam Nobili secum pariter ingressuro præcedentiam offert. Jurat hic, se non intraturum ante Comitem: paulo post vero repetitis invitationibus cedit, & prior ingreditur. Estne Nobilis iste perjurus ob non servatum hac occasione juramentum?

℟. Juxta sacram facultatem theologicam Parisiensem art. 60. *Errant, qui asserunt, eum, qui jurat sine animo jurandi, aut sine intentione se obligandi, non pejerare, nec jurisjurandi religione adstringi.* Et sane hæc doctrina omnino conformis est non solum Evangelio, menti Patrum, & præprimis S. Augustini, sed etiam simplici rationis lumini ac bono sensui, ita ut in dubium revocari nequeat sub falso prætextu, quod ejusmodi juramenta accipienda non sint ad litteram, & in sensu proprio atque rigoroso, scilicet *prout verba sonant.* Verum est, Cajetanum & non nullos alios Casuistas in posteriorem hanc abiisse sententiam, existimantes, ejusmodi juramenta consideranda esse tanquam aliquod politicæ reverentiæ genus ab inferiore exhibitum illi, qui alteri vult hunc deferre honorem, quo tamen hic indignum se reputat. Sed per hoc ipsum latissima panditur via omnibus æquivocationibus & restrictionibus mentalibus ab omni sana theologia damnatis. Et hinc memoratus Nobilis a peccato perjurii excusari non potest: licet enim in juramen-

to ipfius non defuerit *juſtitia*, defuere tamen *veritas* & *judicium*: ubi autem harum trium conditionum vel unica deeſt in juramento, peccat jurans; & quidem peccatum hujus Nobiiis ex eo capite gravius eſt, quod videatur ex inveterata conſuetudine ſic juraſſe. *Pontas.*

CASUS IV. Pierius mutuos dedit Mævio 3000. florenos, confecto deſuper apud Notarium inſtrumento. Poſt lapſum temporis in bona Mævii creditores immittuntur, & Pierius a proceſſibus judicialibus abhorrens jura ſua pro quadam pecuniæ ſumma cedit Sempronio Mævii ex fratre nepoti, facta ipſi poteſtate, ut titulo his juribus aquiſito ad ſolvendum ex bonis Mævii debitum agat. Renuit Sempronius acceptare ceſſionem hanc, niſi ea conditione, ut Pierius cautionem præſtet de vendito credito, ſecreti fidem ſervet, & interim actionem debiti apud judicem proſequatur, vel potius ut ipſemet Sempronius Pierii nomine agere in judicio valeat. Promittit Pierius, ſervaturum ſe ſecretum. Cumque jam pene finiretur cauſa, Sempronius inſiſtit, ut Pierius ad obtinendum creditum jurato coram judice affirmet, ſummam illam 3000. florenorum juſto ſibi titulo ac legitime deberi. Excuſat autem ſe Pierius, timens, ne, poſtquam renunciavit credito per ceſſionem in favorem Sempronii, hac affirmatione perjurium committat. Eſtne hic timor ſatis fundatus?

℟. Jure naturali datur obligatio ſervandi ſecretum; nec violari poteſt absque peccato, quando aliunde verſatur circa rem honeſtam & licitam, & neque Publico, nec alicui perſonæ privatæ damnum inde eventurum eſt. Hujusmodi eſt ſecretum, quo Pierius promiſit Sempronio; illud ergo revelare non poteſt ſine manifeſta perfidia, debetque ſe gerere, ac ſi nunquam ſe inter & Sempronium pactum aliquod interveniſſet. Quantum porro ad metum attinet, ſcilicet ne falſo affirmet apud judicem, ſibi 3000. florenos titulo mutui deberi, metus iſte omni fundamento caret, jus enim ipſius & jus Sempronii unum ſolum jus jam conſtituit, de cujus veritate & juſtitia ſerio cautionem præſtitit Sempronio: intentio judicis urgentis affirmationem juridicam alia non eſt, niſi ut manifeſte pateat, quod Pierius habeat tutuium, id quod vere ac absque omni mendacio aut perjurio affirmare poteſt; quia *nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur*, ut habet regula juris 55. ff. de reg. jur. antiq. Accedit, quod Pierius hanc affirmationem recuſare nequeat, quin omnem amittat fidem, & ipſe in judicium provocetur a Sempronio ad reſtituendam

ſum-

fummam pro ceffione debiti ab eo acceptam. Denique hæc recufatio petitæ affirmationis caufa foret difcordiarum patruum inter ac nepotem. *Pontas.*

CASUS V. Balthafarus a judice interrogatus affirmat cum juramento, aliquid effe verum, quod & re ipfa verum erat, ipfe tamen credebat effe falfum. Eftne reus perjurii, quamvis verum effet, quod affirmaverat?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 98. art. 1. ad 3. perjurium committit, qui affirmat contra fenfum propriæ mentis ac confcientiæ, rem effe veram, quamvis re ipfa vera fit; quia affirmat & jurat fpectata propria mentis experientia falfum. *Intereft*, inquit S. Auguftinus, *quemadmodum verbum procedat ex animo; quia ream linguam non facit nifi mens rea.* Et ideo Balthafarus perjurii reus eft ob injuriam atrociffimam Deo illatam, quem fic voluit conftituere protectorem ac fidejufforem mendacii, dum ipfum in teftem vocavit rei, quam falfam in confcientia judicabat. *Pontas.*

CASUS VI. Dominicus judex caufæ Claudium inter & Albanum agitatæ fcit, Claudium fæpius jam pejeraffe. Poteftne ab eodem ad inftantiam Albani juramentum exigere; etfi moraliter certus fit, eum etiam hac vice pejeraturum?

℞ Judex tenetur procedere & judicare fecundum formam a legibus præfcriptam; cumque non ipfe fit caufa perjurii committendi ab illo, a quo juramentum exigit ad inftantiam partis adverfæ, poteft juxta S. Thomam 2. 2. q. 98. art. 4. C. juramentum exigere a Claudio: difcrimen enim faciendum eft inter perfonam publicam, qualis eft judex, & perfonam privatam.. quæ omni modo poffibili tenetur impedire injuriam per falfum juramentum Deo inferendam & damnum fpirituale, quod exinde redundaret in proximum. *Pontas.*

Nota. Ipfe judex tenetur omnem adhibere conatum, ne res deveniat ad præftationem juramenti, quin tamen a fuo deflectat officio, vel adhortando eum, qui exigit, ut hac in re cedat, vel ei, a quo exigitur juramentum, proponendo gravitatem rei, & funeftiffimos effectus perjurii, vel denique in hoc cafu ex officio vel charitate Chriftiana monendo Albanum, jam fæpius Claudium pejeraffe.

CASUS VII. Fabianus centum florenos debet Sempronio. Hic in judicium vocat Fabianum, ab eoque ducentos florenos, ut fupponebat, fibi debitos, ac proin folvendos poftulat. Judex juramentum defert Fabiano, qui illud acceptat, & jurato affirmat, fe non debere ducentos; & hinc ju-

dex a judicio & debito simul ipsum absolvit. Estne Fabianus perjurii reus?

℟. Si jurasset Fabianus, se nihil debere Sempronio, absque dubio perjurium commisisset. Cum autem solum juraverit, se non debere ducentos florenos, quos prætendebat Sempronius, nihil affirmavit contra veritatem. Ad judicem pertinebat distinctius & enucleatius interrogare; Fabiani vero solum erat, ex mandato judicis ad propositam sibi quæstionem respondere. His tamen non obstantibus Fabianus in foro interno ac in conscientia semper tenetur solvere centum florenos vere debitos, etsi in foro externo a solutione debiti sit absolutus. *Pontas.*

CASUS VIII. Elias jurato promisit cuidam amicorum suorum, facturum se, quæ postulaverat. Sed modo non nisi difficillime potest exequi promissa. Estne perjurus, ni exequatur?

℟. Si Elias non prævidit difficultatem modo occurrentem, non erit perjurus promissum non adimpiens: dum enim quis jurat, se facturum quidpiam, semper hæc conditio tacite adjecta censetur, si nempe res sit licita, & honesta, atque sine nimia difficultate præstari possit. *Cum aliquis jurat*, ait S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 2. ad 3. *se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio: si scilicet id, quod ei mandatur, licitum sit & honestum & portabile, sive moderatum. Pontas.*

CASUS IX. Menander mercator ad commercium suum indiget parata peccunia; & hinc vendit Basilio fundum, cujus proventus annui ad 150. florenos excurrunt. Uxor ipsius Lucia in fundo hoc dotem suam constitutam habens consentit in alienationem hanc a marito factam. Sed Basilius metuens, ne mortuo Menandro Lucia forte sit repetitura fundum, ab ea juramentum exigit, quo Deum testem invocat sui consensus, præfatumque fundum nunquam posthac revocaturam se promittit. Moritur Menander, & Lucia ab Advocato rerum forensium peritissimo docetur, ipsam juramento suo non teneri. Potestne ergo Lucia citra perjurium agere ad restitutionem fundi?

℟. Regula est indubitatissima, juramentum obligare, dum non est contra justitiam aut contra conscientiam. Jam vero juramentum Luciæ nec adversatur justitiæ nec conscientiæ; cum cuivis liberum sit consentire in alienationem rei legitimo Dominio possessæ. Lucia ergo absque perjurio non potest repetere fundum in foro interno, etsi id fors possit

in

in foro externo. Ita ſtatuit Innocentius III. Cap. *Cum contingat.* 28. Lib. 2. Tit. 24. *Pontas.*

CASUS X. Andronicus ex præcipitantia in loquendo falſo jurat. Eſtne perjurii & peccati mortalis reus ?

℞. Si advertit, ſe jurare contra veritatem, comiſit verum perjurium mortaliter peccaminoſum. Si vero de hoc non cogitavit, & hoc juramentum non ſit effectus contractæ ſic jurandi conſuetudinis, fieri poteſt, ut tantum peccaverit venialiter ob defectum deliberationis. Sic S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. *Pontas.*

CASUS XI. Cyrillus juravit, nullas per aliquod tempus ſe elargiturum eleemoſynas, nec religionem ingreſſurum, quod tamen aliquod abhinc diebus ſtatuerat. Fietne perjurus, ſi agat contra juramentum ?

℞. Non tenetur ſervare hoc juramentum ; imo melius faciet, ſi illud non exequatur : nemo enim juxta S. Thomam 2. 2. q. 89. art. 7. C. tenetur exequi juramentum de re mala vel alicujus boni impeditiva emiſſum. *Pontas.*

CASUS XII. Gregorius volens redimere injuſtam vexam, aut extricare ſe ex proceſſu judiciali, vel evitare mortem ſibi a Balduino jam deſtinatam, triginta eidem offert dupliones, ac Deum ſervandi promiſſi teſtem implorat. Teneturne ſtare ſuo promiſſo, aut petere abſolutionem ac diſpenſationem a Superiore eccleſiaſtico ?

℞. Tenetur vel ſtare promiſſo vel petere diſpenſationem ; licet ex metu gravi promiſerit ac juraverit. Si metus iſte non ex toto ipſi abſtulit tempus deliberandi ſecum, ſpecialem contraxit obligationem reſpectu Dei, quem promiſſi teſtem eſſe voluit ; & hæc obligatio ipſum ligat in foro conſcientiæ. Debet ergo potius ferre damnum aliquod temporale, quam jurato a ſe factæ promiſſioni deeſſe. Nec paritas cum voto, quæ hic obiici poſſet, quidpiam facit ad rem præſentem ; cum magnum inter utrumque diſcrimen obverſetur: votum enim ex gravi metu emiſſum non eſt verum votum ; juramentum vero eodem metu extortum ſemper manet juramentum. *Pontas.*

NOTA. Ex his inferri poteſt, quod is, qui latroni præſentem mortem minitanti jurato promittit ſummam pecuniæ pro conſervanda vita ac incolumitate, teneatur promiſſum adimplere. Idem dicendum de captivo, qui ex captivitate dimiſſus præſtito juramento, quod ad nutum velit ſe ſiſtere, perjurus foret, ſi ſe non ſiſteret. Ipſi pagani inviolabiliter ſervandam ſemper exiſtimabant fidem juramenti ; quod probat S. Auguſtinus exemplo Attilii Reguli conſulis Romani, quem in Africa captum Carthaginenſes cum legatis ſuis Romam miſerunt ad conciliandam cum Romanis pacem.

Hic

Hic, etsi conditionibus pacis a Romano Senatu rejectis facile persuadere sibi posset, morte crudelissima se periturum, Carthaginem tamen rediit, ne juramenti fidem violaret. C. A. Id tamen secure affirmari potest, omnia promissa, etiam jurata, metu extorta tunc solum jure naturæ esse invalida aut dissolubilia, quando extorquenti certo ac evidenter constat de injustitia extorsionis.

CASUS XIII. Laurentius, ut ab injusta persecutione, quam ab anno jam & ultra a Luciano patiebatur, sese eximeret, cum juramento eidem promisit quinquaginta florenos; jurando autem habuit actualem intentionem postea petendi dispensationem ac absolutionem a juramento. Estne habendus pro perjuro?

℞. Cum juramenti hujus impletio illicita sit ex parte Luciani, Laurentius videtur jurare potuisse cum hac intentione absque periculo perjurii. Ratio est; quia nihil fecit, quod præcise repugnaret juramento; cum ad evitandum perjurium sufficiat habere intentionem faciendi id, ad quod per juramentum quis se obligat: noverat autem Laurentius, omnem juramenti obligationem cessare, quamprimum intentam dispensationem obtinuerit. Potuit ergo jurare cum intentione petendi dispensationem sui juramenti: imo etiamsi jurasset, se non petiturum dispensationem, eam tamen petere posset; cum ejusmodi juramentum adversetur justitiæ publicæ. Ita docent S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 8. & Innocentius IV. in suo Commentario in Decretales. Si tamen res juramento firmanda est licita tam ex parte jurantis quam recipientis juramentum, certum est, in hoc casu absque perjurio non posse fieri juramentum cum intentione petendi dispensationem, sed jurantem compellendum esse ad executionem juramenti; cum nulla prorsus subsit ratio, ex qua dispensari possit. *Pontas*. Vide *Juramentum*. cas. 10.

NOTA. Cum hoc juramentum Laurentii sit omnino ultroneum, nullaque vi directe vel indirecte extortum, videtur sane illicitum. Ecclesia tantum solvit aut commutat juramenta dubii valoris, vel pro ratione circumstantiarum dubiæ obligationis.

CASUS XIV. Sostrates famulus domesticus cujusdam Nobilis fidem suam juramento confirmatam obstrinxit Hero suo, fustes se inflicturum cuidam rustico: mutata autem voluntate ab hac fustigatione abstinuit. Putasne, pejeravit?

℞. Non potuit Sostrates juramento se obligare ad faciendam hanc rem utpote injustam, quin aliquo modo perjurii se reum constitueret: non tamen perjurium commisit

fit ex eo præcise, quod juramentum executus non fuerit; imo peccasset illud exequendo. *Ille qui jurat, se facturum aliquid illicitum*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 2. ad 1. *jurando incurrit perjurium propter defectum justitiæ. Sed si non impleat, quod juravit, in hoc perjurium non incurrit; quia hoc non erat tale quid, quod sub juramento cadere posset. Pontas.*

Nota. Qui jurat rem justitiæ vel bonis moribus repugnantem, aut quomodocumque illicitam vel inhonestam, non indiget dispensatione ad hoc, ut ab obligatione juramenti se liberet, sed solum absolutione a peccato, quod sic jurando commisit. C. A.

CASUS XV. Petilianus absque chirographo mutuos dedit Tristano 250. florenos. Post anni lapsum commodatam summam repetit. Respondet Tristanus, posse ipsum pace sua adire judicem, se certe paratum ad præstandum juramentum, quod nihil prorsus ipsi debeat. Petilianus sciens, virum hunc jam bis in aliis occasionibus pejerasse, timensque, ne & hac vice sit pejeraturus, poteſtne absque peccato ab ipso juramentum exigere, cum aliud non supersit medium solutionem extorquendi?

℞. Non videtur, quod Petilianus tuta conscientia possit a Tristano in judicio juramentum exigere: præceptum enim diligendi Deum nos obligat, ut nunquam cooperemur ad offensam Dei. *Ille, qui hominem provocavit ad jurationem, & scit, eum falsum esse juraturum, vincit homicidam*, inquit S. Augustinus Can. *Ille.* 5. caus. 22. q. 5. *quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, & ejus, quem jurare provocavit. & suam.* Observandum tamen cum S. Thoma in 3. sent. dist. 39. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad 2. quod si judex actualiter pro tribunali sedens ex officio juramentum exigat juxta consuetum juris ordinem, non habeat actor potestatem remittendi juramentum reo, sed e contrario possit illud recipere ac in rem suam convertere; quia pertinet ad bonum publicum, ut ordo juris observetur. *Pontas.*

Nota. Cum Petiliano prudens adhuc ac probabilis spes superesse possit de veridico juramento Tristani, idque conformiter ad legem charitatis Christianæ, vi cujus non semper judicandus malus, qui bis fuerat malus, & minatus est, & tertio se fore malum, videtur licite Tristano imponi juramentum.

Vide *Juramentum*,

PER-

PERMUTATIO BENEFICIORUM.

1. *Permutatio* Beneficiorum est *ultro citroque Beneficii unius ad aliud mutua præstatio* interveniente, ut supponitur, legitimi Superioris authoritate. Fuit inventa permutatio, ut quoddam quasi commercium exerceri possit circa Beneficia absque omni simonia, contra antiquas Ecclesiæ leges, quæ districte prohibebant Clericis, ne ecclesias, ad quas erant, ordinati, sive per translationem sive per permutationem unquam dimitterent. *Omnino visum est*, inquiunt Patres primi Concilii generalis Nicæni can. 15. *ut consuetudo, quæ præter Canones in non nullis partibus invenitur, tollatur; ut a civitate in civitatem nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus transeat.* Concilium Sardicense habitum anno 347. terminis adhuc vehementioribus cujuscumque generis translationes reprobat, idque in odium Arianorum, qui ad augendum numerum suorum sectariorum ejusmodi commutationes plurimum affectabant.

2. Remisit subin rigor iste, & permissæ fuerunt translationes Episcoporum, si id exigeret bonum Ecclesiæ; quod tamen in Gallia rarissime factum, & non nisi ex causis gravissimis, ut testatur Yvo Carnotensis Ep. 144.

3. Permutationes antiquitus non fuerunt toleratæ nisi hac conditione, ut causæ ac motiva permutandi fuerint cognitæ ac ut legitimæ approbatæ a Synodo provinciali. Aliquanto post penes solos Episcopos diœcesanos fuit harum causarum judicium. Tandem inde ab uno sæculo, & quod excurrit, etiam Prælati Episcopis inferiores, collatores Beneficiorum, contra jus commune permutationes admittunt.

4. Vicarius Generalis non potest absque speciali commissione vel potestate sibi facta Beneficia conferre, vel permutationes admittere: collatio enim constituit partem fructuum, qui ad Vicarios Generales non pertinent; cum eorum tantum sit circa spiritualia Beneficiorum cognoscere.

5. Permutatio semper pro objecto habere debet bonum & utilitatem Ecclesiæ, non vero interesse vel commodum permutantium.

6 Fieri potest permutatio absque consensu Patroni ecclesiastici, sed non absque consensu Patroni laici; & si cum permutatione etiam reservatio pensionis concurrat, requiritur etiam authoritas Papæ.

7. Cum permutatio ad sola restringitur Beneficia, non potest Beneficium permutari cum jure Patronatus. Idem dicendum de Capellis, quæ Præstimonia vocantur, licet in

perpe-

perpetuum fundatis, quarum redditus tantum consistunt in simplici mercede honoraria pro præstitis annexis obligationibus, nec ab Episcopo in titulum Beneficii erectæ fuerint.

8. Quando permutatio ab Episcopo admissa simul continet reservationem pensionis, debet ea approbari a Papa, penes quem solum est jus ejusmodi contractus a labe simoniæ purgandi.

9. Quando Beneficia habent duos collatores, quilibet provisionem concedit illi, qui est suæ collationis; aut vero unus collatorum cedit alteri potestatem conferendi utrumque. Collator, cui permutantes exhibent procurationem suam ad effectum permutationis comprobandæ, his præcise, & non aliis, tenetur Beneficia conferre.

10. Sola inæqualitas redituum duorum Beneficiorum, quantacumque ea sit, horum permutationem nec nullam reddit, nec annullandam.

11. Si unus conpermutantium ob evictionem non possit adire Beneficium, quod cum suo permutavit, pleno jure redit in pristinum suum Beneficium. Idem jus subsistit etiam respectu resignatarii, dum recusat exequi conventionem bona fide initam, vel dum non manifestavit, Beneficium permutatum esse oneratum pensione; vel denique si Beneficium est Patronatus laici, & Patronus negat suum consensum, sine quo nequit obtinere collationem.

12. Juxta rigorem Canonum, qui resignavit Beneficium suum *in extremis*, & denuo reconvalescit, non poterit redire in Beneficium absque nova provisione; id quod ubique non observatur; quia supponitur non alia intentione resignasse nisi recuperandi Beneficium suum emergente casu reconvalescentiæ.

13. Permutantibus provisis in Curia conceduntur sex menses pro capienda possessione; aliis non nisi unius permittitur. Et si contingat, ut unus conpermutantium moriatur ante aditam possessionem, Beneficium censetur vacare *per mortem*. Ante admissam in Curia permutationem quilibet permutantium potest revocare conventionem. Neque locum amplius habet permutatio, si ea necdum perfecta alteruter permutantium moriatur.

14. Beneficiatus, contra quem a Magistratu vel judice fuit decreta comprehensio corporalis, potest quidem resignare, non tamen permutare suum Beneficium.

CA-

CASUS I. Philippus & Jacobus Capellani ſponte ac libere per ſimplicem actum coram Notario permutarunt Beneficia ſua absque omni alia formalitate, nec ullam ſibi penſionem reſervarunt. Eſtne legitima hæc permutatio?

℞. Permutatio hæc, utpote facta ſola ac privata ipſorum authoritate juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5. nec eſt canonica, nec valida, ſed ſimoniaca, ſimonia juris poſitivi eccleſiaſtici. Peccarunt ambo contra canones permutationem ſic fieri prohibentis. *Univerſis perſonis tui epiſcopatus ſub diſtrictione prohibeas*, ſcribebat Papa Alexander III. ad Epiſcopum Tornacenſem Cap. *Admonet.* 4. Lib. 1. Tit. 9. *ne eccleſias tuæ diœceſis ad ordinationem tuam pertinentes absque aſſenſu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconſulto. Quod ſi quis contra prohibitionem tuam venire præſumpſerit, in eum canonicam exerceas ultionem. Pontas.*

CASUS II. Petrus & Paulus permutant Beneficia ſua curata in manibus Epiſcopi ſui diœceſani: ſed Petrus hac tantum conditione conſentit, daturum ſe Beneficium ſuum Paulo: ut etiam reciproce accipiat Beneficium Pauli. Eſtne valida hæc permutatio, non obſtante, quod pactum intercefferit?

℞. Si Epiſcopus eſt collator utriusque hujus parochiæ, ſimulque hæc permutatio ipſi videtur ceſſura in utilitatem Eccleſiæ, & majus bonum fidelium, poteſt eandem absque omni difficultate admittere: dum enim pactum inter duos conpermutantes initum non ſit niſi ex beneplacito Epiſcopi, non poteſt permutationem reddere vitioſam; quia in hoc caſu permutatio non ſit præciſe vi pacti, ſed vi authoritatis epiſcopalis. Ita docent S. Antoninus 3. part. Summ. Theol. Tit. 15. c. 2. & S. Thomas in 4. diſt. 25. q. 3. art. 3. ad 8. *Pontas.*

CASUS III. Rupertus titulatus ad quamdam capellam & Leander titularis ad aliam capellam permutarunt in manibus Abbatis, qui erat collator. Eſtne canonica hæc permutatio?

℞. Spectato jure communi non habent quidem collatores Epiſcopis inferiores poteſtatem admittendi permutationes: ubi tamen viget communis conſuetudo contraria, & ubi Prælati collatores jurisdictionem quaſi-epiſcopalem exercentes hoc jus per legitimam præſcriptionem aquiſierunt, absque dubio legitima ac canonica cenſetur ejusmodi permutatio, ſuppoſito quo aliæ requiſitæ formalitates obſervatæ fuerint. *Pontas.*

CA-

CASUS IV. Guillelmus parochus permutavit in manibus Episcopi diœcesani parochiam suam cum capella simplici, quam possidebat Sylvester. Verum Episcopus, cui Sylvester incapax videbatur ad curam animarum, noluit admittere hanc permutationem. Possuntne duo hi conpermutantes relicto foro sui Ordinarii agere causam suam apud Metropolitanum?

℟. Cum penes jurisdictionem pure voluntariam Ordinarii sit admittere permutationem aut repudiare, prout nempe magis vel minus vertere in utilitatem Ecclesiæ judicaverit & indignitas ac incapacitas Sylvestri fuerit motivum eam non admittendi, nullus recursui ad Metropolitanum potest esse locus. Si tamen Sylvester vere ac notorie esset habilis ad digne obeundas functiones parochiales, appellatio a repudiante Episcopo ad Metropolitanum admitti posset. *Pontas.*

CASUS V. Macarius parochus permutavit parochiam suam cum simplici Prioratu Antonii. Permutatio fuit admissa & approbata in Curia: verum Antonius ante adeptam possessionem parochiæ moritur, & Macarius a nemine extra possessionem parochiæ positus eandem retinet, simulque in possessionem Prioratus sese immittit. Potestne frui duplici hoc emolumento per Antonii obitum sibi oblato?

℟. Non potest Macarius retinere suam parochiam, utpote vere vacantem: non enim aquisivit Prioratum Antonii, nisi sub conditione, ut suam desereret parochiam; quæ conditio est essentialis factæ permutationi, & ab eadem inseparabilis. *Pontas.*

CASUS VI. Corentinus canonicus præbendam suam permutare cogitat cum Prioratu Pamphili, quem sibi utiliorem ac commodiorem existimat. Declarat Pamphilus, sibi valetudinis conservandæ causa animum non esse residendi in loco præbendæ. Potestne Corentinus hanc inire permutationem, relinquendo conscientiæ Pamphili, an velit residere vel non?

℟. Non potest Corentinus in hoc casu tuta conscientia permutare præbendam suam; quia cooperaretur ad peccatum Pamphili, qui obligatur ad residentiam, & abuteretur potestate Beneficiariis concessa ad permutanda tunc solum Beneficia, dum id ad majus bonum Ecclesiæ vergere videtur. Quod si jam facta fuisset permutatio, tenetur Corentinus eam revocare, si adhuc tempus suppeteret id exequendi. Idem dicendum de resignante, collatore ac patrono: nam primus non potest in conscientia resignare, nec se-

cundus conferre Beneficium, nec tertius præsentare in favorem illius, qui statuit non residere in Beneficio residentiam exigente. *Pontas.*

CASUS VII. Crispinus obtinuit canonicatum per simoniam; sed altero mox die facti pœnitentia ductus eundem octiduo post Irenæo permutavit pro capellania simplici, simulque misit Romam pro obtinenda rehabilitatione ac absolutione a censuris, quas incurrerat. Estne valida hæc permutatio?

℞. Est penitus nulla: nam titulus Crispini est nullus; cum canonicatum obtinuerit simoniace. Ad hæc omnis excommunicatus est inhabilis ad possidendum quodcumque Beneficium. Nec Roma in simili casu unquam concedit gratiam rehabilitationis, nisi postquam supplicans simoniæ reus pure ac simpliciter in manus Pontificis Beneficio per simoniam aquisito sese abdicavit. *Pontas.*

CASUS VIII. Titius parochus ad S. Blasium, Mævius parochus ad S. Genesium, & Sempronius Prior ad S. Salvatorem sunt tres conpermutantes. Titio nullatenus arridet Prioratus S. Salvatoris, bene vero parochia S. Genesii, Mævio displicet parochia S. Blasii, placet vero Prioratus: Sempronius respuit parochiam S. Genesii, affectat autem illam S. Blasii. Inito inter se tractatu conveniunt, ut Titius habeat parochiam S. Genesii, Mævius Prioratum S. Salvatoris, Sempronius vero parochiam S. Blasii. Procurator expeditionarius in Curia desuper præsentavit tres diversas supplicationes; primam nomine Titii petentis parochiam S. Genesii vacantem per abdicationem Mævii; secundam nomine Mævii exoptantis Prioratum S. Salvatoris vacantem per abdicationem Sempronii; & tertiam nomine Sempronii postulantis parochiam S. Blasii vacantem per cessionem Titii: ex quo satis apparet, quod Papa non habuerit sufficientem notitiam de conventione inter conpermutantes inita. Quid censendum de hac permutatione?

℞. Cum omnis conventio in materia Beneficiorum a Pontifice non approbata sit illicita, ut Gregorius IX. declaravit Cap. *Pactiones* 8. Lib. 1. Tit. 35. certum est, hunc tractatum esse simoniacum simonia juris positivi ecclesiastici; quia Pontifici non fuit expositus, & consequenter nec necessaria dispensatio fuit obtenta; & hinc etiam ipsa hæc permutatio est nulla. *Pontas.*

CASUS IX. Cæsarius filio suo Beneficium comparare cogitat, quod actu possidet Zacharias amicus ejus; hinc convenit cum eo, ut illud permutet cum capella, quam

cum

cum consensu Episcopi pro filio suo ocyus fundaturus est. Consentit Zacharias, fundatio perficitur, & filius adit possessionem capellæ animo eam postea permutandi cum Beneficio Zachariæ. Estne licita hæc conventio?

℞. Tantum abest ut sit licita, ut etiam contraria canonibus sit & simoniaca. Filius non potest accipere hanc capellam cum proposito faciendæ postmodum permutationis. *Pactiones factæ a vobis*, dicitur Cap. *Pactiones*. 8. Lib. 1. Tit. 35. *pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio omnisque debeat conventio omnino cessare, nullius penitus sint momenti. Fromageau.*

CASUS X. Habentne Episcopi jus recipiendi & admittendi permutationes insciis Patronis?

℞. Beneficii permutatio nil aliud est, quam resignatio facta alteri causa permutationis, ea scilicet conditione, ut Beneficium permutatum certæ cuidam personæ conferatur, quam ob rem non potest Episcopus ejusmodi Beneficium pro suo arbitrio conferre, cuinam placuerit. Et cum hac limitatione possunt Episcopi permutationes recipere ac admittere; & quidem inscio Patrono ecclesiastico, non verò sine consensu Patroni laici. *Fromageau.*

Nota. In Germania permutationes Beneficiorum non admittuntur ab Episcopis sine consensu Patronorum etiam ecclesiasticorum.

CASUS XI. Titius permutationem parochiæ suæ meditatur cum parochia Sempronii; cum autem hac parochia minores proferat redditus ac illa, consulit Titius Sempronio, ut emat prædium, illudque suæ parochiæ adjiciat, & sic redditus utriusque parochiæ ad æqualitatem adducantur. Emitur prædium, unitur tenuiori parochiæ, & fit permutatio, nulla tamen Episcopo facta mentione de hoc prædio. Estne canonica hæc permutio?

℞. Ambo committunt simoniam, nisi intervenerit authoritas Ecclesiæ, quæ sola spiritualem ac ecclesiasticum potest reddere fundum, qui Beneficio adjicitur. *Fromageau.*

CASUS XII. Lucius Clericus, Canonicus & simul custos in ecclesia cathedrali, duo hæc Beneficia transferre cogitat in quemdam Abbatem, qui promittit, constituturum se ipsi æquivalentem pensionem in Abbatia sua. Potestne id fieri?

℞. Cum pensio consideretur ut res mere temporalis, absque manifesta simonia nunquam Beneficium potest permutari cum pensione. Dein omnis pactio in Beneficiorum nego-

tio est simoniaca juxta Cap. *Quæsitum.* 5. Lib. 3. Tit. 19. *Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.* Denique nullum Lucius habet jus nec ullum titulum canonicum percipiendi pensionem ex Abbatia, ad quam nunquam deservüt. Translatio igitur aut permutatio hæc absolute fieri non potest, nisi Papa per dispensationem a vitio simoniæ eam purget. *Fromageau.*

CASUS XIII. Nicander Canonicatum in Collegiata, & Beneficium possidens in alia ecclesia, dimisso jam canonicatu, ex quo pensionem sibi reservavit centum florenórum, permutare cogitat alterum Beneficium cum Capella ejusdem ecclesiæ, in qua pensionem possidet. Indigetne dispensatione Pontificia, ita ut in supplicatione ad Papam necessario exprimendum sit, quod in eadem ecclesia jam pensionem possideat?

℟. Non quidem stricto jure tenetur exprimere pensionem; quia pensio nec titulus est, nec Beneficium, sed solum in necessarium vitæ subsidium conceditur: tutius tamen erit tum in conscientia tum ad præcavendas lites, si dispensationem a Pontifice obtineat. *Verumtamen*, inquit Cabassutius L. 2. c. 26. n. 3. *ad cautius agendum, & ad evitandos omnes litium anfractus consultius erit ad impetrationem apostolici pro Beneficio rescripti, non solum Beneficia, quæ quis possidet, sed etiam pensiones super Beneficiis recensere. Fromageau.*

CASUS XIV. Petrus habet Beneficium oneratum officio in choro, & exigens residentiam, & Paulus possidet parochiam. Ambo hi permutare volunt, si Episcopus annuerit, a quo utrumque dependet Beneficium. Sed proposita ac insinuata permutatione declarat Paulus, nolle se retinere Beneficium Petri, sed mox sibi aliud Beneficium simplex comparaturum. Póteſtne hanc permutationem tuta conscientia inire Petrus, cui probe constat de intentione Pauli?

℟. Ecclesia aversatur omnem negotiationem circa Beneficia ecclesiastica, & expressissime vult, ut ministri ad Beneficia delecti serium habeant animum in iis deserviendi. Cum ergo Petrus sciat, Paulo non esse animum Beneficium permutatum retinendi, sed mox eo dimisso commodius sibi procurandi, non potest salva conscientia permutionem cum eo inire. *De Lamet.*

CASUS XV. Joannes habet Prioratum simplicem non consistorialem; Petrus vero Canonicatum, cujus fructus grossi

grossi viginti quinque aut triginta florenis constant. Joannes ex rationibus vere canonicis vult cum Petro permutationem inire, & ex Prioratu, qui Canonicatu multo pinguior est, sibi pensionem reservare. Potestne id fieri?

℟. Potest sibi Joannes pensionem reservare ex Prioratu eam autem in Curia Romana constitui necesse est, & exprimi in supplicatione, quod ea petatur causa permutationis, ut quidquid in hac conventione Joannem inter & Petrum de jure vitiosum est, a Pontifice sanari possit: potestque hæc pensio extendi ad dimidium usque reddituum Prioratus; quia redditus Præbendæ canonicalis nimis tenues, Prioratus autem multo ampliores sunt. *Fromageau*

CASUS XVI. 1. Potestne Petrus salva conscientia permutare Beneficium suum cum Beneficio Pauli eo solum animo, ut illud uniatur Seminario, cui peropportunum ac commodum accideret? 2. Potestne Paulus in conscientia accipere pensionem, ut ad æqualitatem cum suo reducatur Beneficium Petri? 3. Potestne Petrus tuta conscientia Paulo reddere trecentos circiter florenos, quos hic in necessarias Beneficii reparationes expendit? 4. Potestne Petrus Paulo se obligare ad solvendam pensionem ab omnibus oneribus, ordinariis & extraordinariis liberam? 5. Potestne Petrus Paulum immunem servare ab omnibus impensis in expeditionem, insinuationem, capiendam possessionem &c. faciendis, si permutatio eveniat? 6. Estne necessario recurrendum ad Papam, ut Beneficium regulare uniri possit Seminario? 7. Potestne Paulus resignans Petro salva conscientia in se suscipere omnes sumptus pro provisionibus in Curia faciendos ad hoc, ut regulare Beneficium in Commendam perpetuam mutetur?

℟. *Ad* 1. Per canones non licet acceptare Beneficium absque intentione illud retinendi; & hinc Petrus non potest absque peccato inire permutationem eo animo, ut Beneficium obtinendum uniat ac incorporet Seminario. *Ad* 2. Si Beneficium Pauli notabiliter redditibus superat Beneficium Petri, & insuper ad honestam sui sustentationem pensione indigeat, proportionem sibi reservare potest, in Curia tamen Romana constituendam. *Ad* 3. Simoniacum absque dubio foret, si Petrus cum Paulo conveniret de iis reddendis, quæ in necessarias Beneficii reparationes fuerunt expensa. *Ad* 4. Non tenetur Petrus vi permutationis Paulo pensionem ab omnibus impositis imponendisque taxationibus liberam tradere; & hæc conventio, sicut omnis alia, quæcumque in permutationis contractu iniretur, nulla foret ac

simoniaca. *Ad* 5. idem respondendum est, *Ad* 6. Ad unionem Beneficii etiam regularis non opus est authoritate Pontificia: hæc enim potestas concessa est Episcopis a Tridentino Sess. 23. de reform. c. 18. ubi indiscriminatim loquitur, & mandat, ut *Beneficia aliquot simplicia, cuiuscumque qualitatis & dignitatis fuerint, etiamsi sint Beneficia affecta vel reservata*, cum Seminariis vel erigendis vel dotandis uniantur. *Ad* 7. Potest quidem Paulus omnes sumptus præstare circa provisiones Romanas faciendos, citra conventionem tamen: si enim interveniret conventio, sine qua Petrus non consentiret in permutationem, illa foret contra leges ecclesiasticas, & annullaret permutationem. Ex his omnibus eruitur, permutationem de qua agitur, in Curia Romana instituendam esse, ut, si quid in ea vitiosum, & a sacris canonibus alienum fuerit, Pontificis authoritate corrigi aut sanari possit. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Collatio Beneficii. Collator. Patronus. Pensio ecclesiastica* cas. 1. *Provisio. Resignatio. Simonia.*

PERSECUTIO.

Vide *Residentia Episcoporum* cas. 1. *Residentia Parochorum* cas. 4.

PESTIS.

Vide *Absolutio* cas. 12. *Communio Sacramentalis* cas. 18.

PIGNUS.

1. *Pignus* in genere dicitur omnis res pro debito creditori obligata. In specie autem est *contractus, quo res mobilis traditur creditori in assecurationem debiti.* Cum pignus sit quædam species depositi, creditor eo uti non potest sine consensu oppignorantis, teneturque debito persoluto illud restituere in eodem statu, quo fuit traditum.

2. Tribus modis peccari potest in contractu pignoratitio 1. dum pignori datur res fructificans, & commoda ac fructus percepti a creditore non computantur in partem sortis. 2. Si in pignus datur res, quæ oppignorari non potest, ut calix consecratus; excepto tamen casu urgentis necessitatis, scilicet *si debitum urget.* 3. Si interveniat stipulatio prohi-

prohibita & a legibus reprobata, v. g. si pignus acciplatur hac conditione, ut, si debitum constituto die non solvatur, pignus integrum maneat creditori, quia de debito quidquam remittere teneatur debitori; aut ut debitori pignus soluto debito reposcenti creditor non teneatur reddere.

3. Casu quarto agetur de pignore titulo antichresis accepto, diceturque, quid ejusmodi creditori permissum aut prohibitum sit.

CASUS I. Flaminius oppignoravit Framburgo equum in assecurationem debiti 50. florenorum mutuo acceptorum; & Framburgus sæpius utitur equo sine consensu debitoris. Num licite?

℟. Framburgus absque peccato injustitiæ non potest equo uti sine consensu Flaminii. *Si pignore creditor utatur*, inquit lex, *furti tenetur*. Si tamen eo utatur in utilitatem ipsius debitoris, ut scilicet equus quandoque exercitatus suam servet agilitatem, ejusdem consensus præsumitur. *Pontas*.

CASUS II. Desiderius pignoris loco dedit Genucio pro 250. florenis mutuis quatuor adamantes, quorum quilibet valet 250. florenis. Elapso trimestri Desiderius solvit 225. florenos, repetitque tres adamantes, eoquod eos vendendi opportunam nactus fuerit occasionem tam facile fors non redituram, addito promisso, se residuos 25. florenos intra octiduum soluturum. Teneturne Genucius tres adamantes restituere?

℟. Quamvis reprehendi mereatur Genucii durities pro tantilla summa 250. florenorum exigentis pignus constans 1000. florenis; cum tamen contractus, de cujus conditionibus ultro citroque conventum est, absque injustitia in omni suo rigore possit executioni dari, & Desiderius pure ac simpliciter quatuor adamantes usque ad integram solutionem oppignoratos voluerit, Genucius secundum rigorem justitiæ non tenetur eos reddere ante expunctionem totius debiti. *Qui pignori plures res accepit*, inquit lex, *non cogitur unam rem liberare nisi accepto universo quantum debetur*. Verum ex lege charitatis tenetur Genucius necessitati Desiderii prospicere nulla habita ratione rigoris justitiæ; & hoc Genucio ob oculos ponendum est. *Pontas*.

CASUS III. Delphius oppignoravit Francisco pro 100. florenis mutuo datis horologium valoris triginta aureorum ea conditione, ut si primo die Julii non solverit debitum, pignus sit creditoris. Delphius, cum fixo die non posset, solvit post octiduum, & repetit pignus; Franciscus autem recepta pecunia recusat reddere horologium. An juste?

℟. Cum hæc conventio repugnet juri naturali, Franciſcus in conſcientia tenetur reddere pignus; ſi tamen ex tam modica dilatione ſolutionis paſſus fuiſſet damnum, id teneretur compenſare Delphius. Ejusmodi conventiones, quæ in Jure vocantur *legis commiſſoriæ*, jus Canonicum æque ac Romanum reprobat, ut ex lege quadam Conſtantini Imperatoris, & ex Decretali Innocentii III. conſtat. *Pontas.*

CASUS IV. Leander pro ſumma mutua 5000. florenorum Dominico non ſolùm oppignoravit domum tanquam hypothecam, ſed etiam illum miſit in poſſeſſionem domus titulo antichreſeos usque ad integram ſolutionem debiti. Poſt quatuor menſes domus fulmine tacta incendio periit. Cuinam ferendum damnum?

℟. Pactum antichreſeos eſt oppignoratio fundi, in cujus poſſeſſionem debitor mittit ſuum creditorem pignoris loco, hac conditione, ut creditor gaudeat fructibus, quoad adæquant cenſum legitimum præſtandum a debitore, reſidui vero fructus excedentes cenſum a creditore reſtituendi ſint debitori, qui ſemper manet dominus rei oppignoratæ, & conſequenter & fructuum ex ea provenientium ac meliorationum fortuitarum. In poſito caſu domus periit Leandro, & Dominicus habet jus repetendi ſummam ſibi debitam ex cæteris Leandri bonis. Verum ſi Dominicus fuiſſet cauſa incendii, aliud dicendum foret. *Pontas.*

CASUS V. Joannes mutuo dedit quingentos aureos Titio, & matrimonio ſibi jungit Sejam ejusdem filiam. Verum cum nec mutuo datam pecuniam, nec aſſignatam filiæ dotem obtinere poſſet, pignoris loco a Titio recipit domum, redditusque ex ea & mutuo & doti correſpondentes ſibi attribuit. Num juſte?

℟. Poteſt percipere redditus doti correſpondentes; quia maritus non tenetur ſolus portare ſumptus ad ſuſtentationem uxoris, conſervationem rei domeſticæ, aliaque matrimonii onera neceſſarios. Verum pro pecunia mutuo data nihil poteſt recipere; quia juxta communiorem Theologorum ac Canoniſtarum doctrinam omnis contractus creditorem inter ac debitorem uſurarius eſt, vi cujus creditor percipit fructus ex pignore a debitore accepto provenientes, usquedum integra ſolutio præſtetur; niſi ex dilatione ſolutionis interveniat damnum emergens aut lucrum ceſſans. C. B.

CASUS VI. Titius agrum ſterilem a Cajo debitore pignori datum excolit, & quosdam exinde fructus percipit. An juſte?

5. Titius non poteſt licite retinere hos fructus: licet enim eos conſiderare poſſit ut fructus laboris ſui in excolendo agro impenſi, certum tamen eſt, eos pertinere ad Cajum, qui fundum in pignus dedit; quia fructus ex fundo provenientes jure naturali pertinent ad legitimum dominum fundi. Hinc, niſi Titius ſciat aut rationabiliter præſumere poſſit, Cajum hos fructus ultro ac libere cedere, deductis expenſis vel debitori reſtituendi, vel in partem ſolutionis computandi ſunt. C. B.

Vide *Hypotheca. Uſura* caſ. 23. 24. 25.

POENITENTIARIUS.

1. *Pœnitentiarius* hodie dicitur presbyter ille, qui in eccleſia cathedrali ab Epiſcopo conſtitutus abſolvit a quibusdam peccatis, quos vel ipſe Epiſcopus, vel ipſius anteceſſores ſibi reſervarunt; quo munere primi Epiſcopi olim ipſimet fungebantur; poſtea autem venerandum hoc officium cuidam ſacerdoti demandarunt, qui erat quaſi Vicarius generalis, quem antiqua Concilia Chorepiſcopum dicebant, ut loquitur Concilium Ancyranum: *Vicarii Epiſcoporum, quos Græci Chorepiſcopos dicunt.*

2. Sacerdos iſte ſolus tunc ſuſtinebat onus, quod nunc in plures diſpertitum cernimus; erat quippe ſimul Vicarius generalis, Officialis, Pœnitentiarius & Scholaſticus; quia ſolus varia hæc officia exercebat, adminiſtrando ſcilicet fidelibus baptiſmum & alia Sacramenta, celebrando miſſas ſolemnes, concionando, confeſſiones excipiendo, reconciliando pœnitentes, componendo diſſidia inter Clericos, & frequenter etiam inter Laicos: & hæc quidem munia maxime tunc exercebat, cum Epiſcopus eſſet abſens, aut infirmitate vel aliis gravibus negotiis diſtentus. Sacerdotes iſti plerumque ſuccedebant Epiſcopis, a quibus ad ſacrum hoc miniſterium inſtituti fuerant.

3. Creſcente in Eccleſia ſacerdotum numero Epiſcopi functiones haſce in plures perſonas partiri cœperunt, & in eccleſiis ſuis ſacerdotes conſtituerunt, qui *Pœnitentiarii* vocabantur, ad excipiendas confeſſiones eorum, qui enormia crimina perpetraverant, & ad reconciliandos cum Eccleſia eos, qui timore aut tormentorum acerbitate perterriti fidei renunciarunt; quæ tamen gratia ipſis non fiebat, niſi peracta prius pœnitentia ſive publica ſive ſecreta, juxta conſtitutos ſcilicet ab Epiſcopis canones.

4. Origo Pœnitentiarii in Ecclesia occidentali refertur ad annum 1215. sub Innocentio III. Tam Pœnitentiarii quam Scholastici officium fuit introductum a Papa ad sublevandos labores Episcoporum in audiendis confessionibus & prædicatione verbi divini; fuitque munus Pœnitentiarii confirmatum in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 7. de Sacram. Pœnit. Dicitur: *in Ecclesia occidentali*; quia in Ecclesia orientali non habetur Pœnitentiarius, liberumque cuivis confiteri sacerdoti, cuicumque libuerit.

5. In responsione ad casum 1. dicetur, quænam sit jurisdictio Pœnitentiarii, & num ea sit ordinaria vel solum delegata.

CASUS I. Nicostratus Pœnitentiarius præbendatus in ecclesia quadam cathedrali, cum in litigio quodam staret pro causa Capituli contra Episcopum, ejusdem odium incurrit, & prohibetur ab eo absolvere a casibus reservatis. Nicostratus autem id prohibendi potestatem Episcopo haud competere ratus, omnes ad se accedentes & deinceps absolvit. Num valide ac licite?

℟. Ad resolvendam hanc difficultatem prius sciendum est, an Pœnitentiarius habeat vel non habeat jurisdictionem *ordinariam*, ipso jure officio suo annexam, ac independentem ab Episcopo. Si talem habeat, non potest eam ipsi auferre Episcopus absque causa, & prævia causæ hujus judiciali cognitione per processum contra ipsum debitis formalitatibus instructum. Licet Fagnanus in Cap. *Grave*. 29. *de præb. & dignit.* n. 10. & 11. existimet saltem timide, quod Pœnitentiarius jurisdictionem habeat ordinariam, cum pluribus tamen insignibus Canonistis dicendum, Pœnitentiarium etiam titularem non habere jurisdictionem ordinariam, sed delegatam tantum quoad casus Episcopo reservatos, & ita ab Episcopo dependentem, ut non possit valide absolvere absque ipsius licentia nedum a peccatis reservatis, sed nec a non reservatis. *Papa & Episcopus suos Pœnitentiarios committunt*, inquit D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiunc. 5. ad 3. Nicostratus itaque nec valide nec licite post prohibitionem Episcopi pœnitentes absolvere potest a peccatis Episcopo reservatis. *Pontas.*

CASUS II. Si memoratus Nicostratus qua Pœnitentiarius quoad casus reservatos non nisi delegatam potestatem habet, videtur consequi, quod aliis confessariis facultatem absolvendi a reservatis subdelegare non possit, juxta commune effatum juris: *Delegatus delegare non potest*; quod tamen constanter & ubique fit. Poteritne hoc non obstante

te tam licite quam valide subdelegare potestatem absolvendi a reservatis, saltem si Episcopus id expresse non prohibuerit?

℞. Pœnitentiarius iste & licite & valide potestatem suam absolvendi a reservatis communicare potest aliis, licet jurisdictio ipsius tantum sit delegata. Citatum juris principium intelligendum solum est juxta Navarrum Manual. c. 27. n. 45 de delegatione totali ac generali; ita ut Pœnitentiarius non possit alteri delegare potestatem Pœnitentiarii munus obeundi, quod ipsi incumbit; valeat autem huic vel illi sacerdoti committere aliquam ministerii sui partem pro exigentia circumstantiarum. *Pontas.*

CASUS III. Cyrus major Pœnitentiarius & Canonicus cathedralis plerumque vacat confessionibus excipiendis eo tempore, quo a reliquis Canonicis Sacra peraguntur & Horæ canonicæ persolvuntur. Estne habendus ut præsens in ordine ad lucrandas distributiones quotidianas?

℞. Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. cap. 8. expresse decidit, quod Pœnitentiarius sit habendus ut præsens in choro, quando actu exercet suum ministerium. S. Congregatio Concilii interpres juxta Fagnanum in Cap. *Licet.* 32. *de præbend.* n. 170. insuper declaravit, eum reputandum esse ut præsentem tunc etiam, quando vocatur extra ecclesiam ad audiendas confessiones infirmorum, & quando Canonici intersunt depositioni ac exequiis defunctorum. *Pontas.*

CASUS IV. Fulbertus Pœnitentiarius etiam defuncto suo Episcopo a casibus reservatis absolvit, ut alias. Suntne validæ ipsius absolutiones?

℞. Verum est, quod, si de jurisdictione *contentiosa* sermo sit, potestas delegati *re adhuc integra* totaliter & absolute cesset per mortem delegantis; attamen in foro *gratioso* potestas hæc semper adhuc persistit, donec a Superiore delegante vel ab ejus successore revocata fuerit. Et inde est, quod Pœnitentiarii Papæ, etiam eo mortuo, continuent ministerium suum juxta Clementin. *Ne Romani.* 2. Lib. 1. Tit. 3. & alii etiam confessarii ab Episcopo approbati pergant in exercitio sui ministerii post ipsius mortem, usque dum ab Episcopo successore facultas fuerit revocata. *Pontas.*

POE-

POENITENTIA SACRAMENTALIS.

1. Tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ consistit in satisfactione temporali, quam Deo exhibet pœnitens ex præscripto confessarii ad expiandas pœnas temporales, quæ remanent post remissam culpam & condonatam pœnam æternam, cui per peccatum mortale obnoxium se fecerat.

2. *Pœnitentia Sacramentalis* definiri potest, quod sit *castigatio peccati inflicta a sacerdote ad resarciendam injuriam, quæ Deo per peccatum fuit illata*; vel cum Polmano, quod sit *voluntaria pœnæ a confessario injunctæ toleratio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, & ad redimendam graviorem pœnam promeritam.* Dicitur *voluntaria*; quia acceptatio pœnitentiæ ex parte pœnitentis absolute est necessaria ad effectum Sacramenti obtinendum; sicut ad hoc ut sit sacramentalis, necesse est, ut injungatur a confessario habente potestatem ligandi atque solvendi, quod conformiter ad doctrinam Patrum docuit Concilium Tridentinum Sess. 14. de pœnit. c. 8. Additur, *ad redimendam graviorem pœnam promeritam*; sicut enim peccatoris pœnitentis intentio esse debet in semet ipso ulciscendi injuriam per peccatum Deo illatam, sic etiam injunctam sibi pœnitentiam respicere debet ut medium quoddam a Deo sibi concessum, quo graviorem, quam commeritus est, pœnam, exigua ac leviori pœna sibi injuncta redimere valeat. Incumbit quoque pœnitenti, ut eam acceptet atque adimpleat: si enim eam peragendi animum non haberet, Sacramentum foret imperfectum; quia injuncta pœnitentia partem ejusdem constituit integralem, ut loquuntur Theologi.

3. Juxta Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8. quilibet confessarius strictissimam habet obligationem imponendi pœnitentibus absolvendis pœnitentiam congruam, & quantum fieri potest, proportionatam gravitati ac numero peccatorum, de quibus se accusarunt.

4. Verum equidem est, nostra hac ætate non amplius in usu esse severitatem illam Canonum pœnitentialium, qui primis Ecclesiæ sæculis, ubi fervor pœnitentium omnibus summæ ædificationi erat, exactissime observabantur; necesse tamen est, ut confessarius antiquos hos Canones memoriæ suæ impressos habeat; & licet prudentia ac discretio non permittat, ut præsenti tempore, ubi fervor pœnitentium nimium quantum refriguit, eos in praxi sequatur; ipsis

plurimum tamen conducet ad converſionem peccatorum, ſi ipſis quandoque ob oculos ponatur rigor hic antiquitatis, quo Eccleſia in graviora quædam peccata animadvertit. Diſcent exinde peccatores enormitatem peccatorum ſuorum, fervor contritionis ac propoſiti magis inflammabitur, promptiusque ſeſe ſubiicient levioribus pœnitentiis, quas ipſis injungendas judicabit confeſſarius. Et id eſt; quod advertit S. Carolus Borromæus Act. Eccl. Mediol. p. 4.

5. Pœnitens tenetur non tantum acceptare, ſed etiam implere, quamprimum poteſt, impoſitam ſibi pœnitentiam, & quidem, quantum poſſibile fuerit, in ſtatu gratiæ. Qui adhuc retinet affectum ad quoddam peccatum mortale, ſinceram non habet voluntatem ineundi veram cum Deo reconciliationem, ipſiusque juſtitiam placandi, ac conſequenter nec injunctam pœnitentiam condigne & cum fructu perſolvendi.

6. Dantur confeſſarii cæteroquin ſatis docti, qui peccant contra regulas prudentiæ, paſſim absque diſtinctione perſonarum pænitentias injungendo quinque vel ſex diverſis articulis comprehenſas; unde fit, ut memoria quarumdam perſonarum aliunde jam ſat hebes nimium oneretur & obruatur, eorumque, quæ ipſis fuere injuncta, bona pars oblivioni detur. Id genus pœnitentiæ dictatoriæ ſunt v. g. bis recita roſarium, ter litanias de omnibus Sanctis, quater Nominis Jeſu, & quinquies de B. Virgine, per octiduum elicies actus virtutum theologicarum, ſemel jejunes &c. Semper cavendum, ne pœnitentiæ injunctæ pœnitentibus facile memoria excidant. Confeſſarius in iis injungendis attente ponderet effectum, quem producere debent, nempe ut ſint vindicativæ pro præterito, & præſervativæ pro futuro; nec perpetuo eædem fere pœnitentiæ quibusvis perſonis absque diſcrimine imponendæ ſunt, id quod multi ex confeſſariis, ſed non bene, faciunt.

7. Hujusmodi indiſcretæ pœnitentiæ, licet quidpiam conferant ad expiandam partem pœnæ peccato debitæ, inutiles tamen ſunt ad præcavendum relapſum; imo animabus ſegnioribus ac tepidis occaſio potius ſunt perſeverandi in habitu peccandi, cum videant, ſe levi negotio ſemper conſecuturas abſolutionem ab iisdem peccatis, & quidem injunctis leviſſimis pœnitentiis.

8. Quod autem adhuc pejus, magisque averſandum eſt, imponuntur ejusmodi levinſculæ pœnitentiæ etiam iis, qui ſe de peccato mortali accuſant: ſi enim verum eſt, prout veriſſimum eſt, quod confeſſarius abſolvens pœniten-

tem

tem a peccatis suis personam judicis sustineat, revera assimilatur judici illi iniquo, qui ex malitia vel inscitia propria authoritate remittit debitori maximam partem summæ creditori suo debitæ; talis quippe confessarius tanquam dispensator gratiæ, non dominus, eodem modo condonat peccatori potissimam partem pœnæ, quæ divinæ justitiæ exsolvenda foret.

CASUS I. Philometor confessus est paschali tempore; parochus pro pœnitentia ipsi imposuit jejunium quatriduanum. Peccavitne mortaliter pœnitens non adimplendo hanc pœnitentiam?

℞. Talis omissio, si est voluntaria, & rationabili causa destituta, est mortaliter peccaminosa; præsertim quando pœnitentia est notabilis, sicut in casu proposito, fuitque injuncta pro peccatis mortalibus. Quin imo censeo, fore peccatum mortale, si fuisset injuncta pro venialibus, attamen talibus, quæ ex sua natura valde disponunt ad peccatum mortale, vel prolabendi in mortalia periculo exponunt. Similiter omissio esset mortalis, licet pro minimis etiam venialibus fuisset imposita pœnitentia, si simul accederet contemptus voluntarius & formalis. Interim tamen putamus, omissionem pœnitentiæ pro venialibus, quæ non disponunt ad mortale, nec exponunt periculo peccati mortalis, non esse mortalem, licet sit peccatum satis grave. Diximus autem, *quando omissio est voluntaria, & rationabili causa destituta*: secus enim foret peccatum tantum veniale; imo in certis casibus posset excusari ab omni prorsus peccato, veluti si pœnitens absque ulla sua negligentia ex mera oblivione totam pœnitentiam omisisset, vel fuisset in impossibilitate physica aut morali eandem adimplendi. Observandum hic, quod confessarius, si deprehendat, pœnitentem ex lupina pigritia omisisse pœnitentiam pro peccatis impositam, debeat, regulariter loquendo, ipsum dimittere non audita peccatorum illius confessione, atque de novo præcipere pœnitentiæ executionem, saltem ex parte, si possibile fuerit, qua expleta, nec prius, integrum ipsi sit reverti ad confessionem. Rationem Cabassutius Jur. can. theor. & prax. L. 3. c. 24. n. 5. allegat hanc; quia ejusmodi negligentia, maxime jam sæpius observata, evidens argumentum suppeditat, vel saltem violentam præsumptionem, quod ejusmodi pœnitens non sit dispositus ad confessionem, & insuper imponendam modo pœnitentiam eadem levitate ac facilitate neglecturus sit, qua neglexit antecedentem. *Pontas.*

CA-

CASUS II. *Irenæus* accusavit se de quindecim vel viginti peccatis mortalibus; confessarius autem non aliam ipsi injunxit pœnitentiam, quam ut per octiduum quotidie recitet quinquies *Pater* & *Ave*. *Irenæus* agnoscit pœnitentiam hanc esse nimis levem; interrogat ergo, an teneatur in conscientia sibimet imperare graviorem, gravitati & numero suorum peccatorum magis proportionatam.

℟. Satisfactio est actus justitiæ; oportet ergo, ut sit quædam proportio inter offensam, & pœnitentiam injungendam. Ita sentit D. THOMAS *in* 4. *Sentent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *in corp.* Væ confessariis, qui indiscrete tam leves pœnitentias imponunt iis qui plurium gravium peccatorum rei sunt, possentque exequi severiores. Grandia peccata grandem quoque exigunt satisfactionem, neque ignavia vel ignorantia confessarii potest circa hoc excusare pœnitentem. Adeoque *Irenæus*, si vult evitare pœnas suis peccatis debitas, obligatur coram Deo supplere levitatem suæ pœnitentiæ per alia opera satisfactoria, aliquo modo proportionata enormitati & multitudini suorum criminum. Vide *S. Augustin. serm.* 351. *in fin. alias Homil. ult. inter* 50. *num.* 10. Confessarius injuncturus congruam pœnitentiam debet attendere ad ætatem, sexum, qualitatem, facultates, vires, aliasque circumstantias pœnitentis; debet considerare, pœnitentiam debere esse talem, ut per eam non tantum puniantur peccata præterita, sed ut præservet etiam a relapsu. Tandem, generaliter loquendo, congrua pœnitentia debet consistere in operibus, quæ sint contraria peccatis, de quibus se accusavit pœnitens, uti docet *S. Carolus Borromæus* 4. *part. de Instruct. Confessar.* *Pontas.*

CASUS III. Verano presbytero in confessione pro pœnitentia fuit imperatum, ut recitet horas Canonicas. Satisfacitne huic præcepto Sacramentalis pœnitentiæ recitando horas cum socio, sicut revera satisfaceret quotidianum pensum Breviarii persolvendo?

℟. Verum est, quod satisfiat obligationi horarum Canonicarum recitando easdem cum socio: hæc enim est praxis antiqua & universalis Ecclesiæ. Sed videtur, quod praxis hæc non possit habere locum, quando horæ Canonicæ fuerunt injunctæ pro pœnitentia: tunc enim recitans gerit personam rei, qui orat pro semetipso privato nomine, & oratione sua pro seipso tantum justitiæ divinæ satisfacit, & neutiquam nomine Ecclesiæ. Et aliunde etiam minus laboraret recitando cum socio; non est autem præsumendum, quod confessarius intenderit ipsum sublevare ali-

qua

qua parte imperati laboris ac conatus. Adeoque Veranus horas Canonicas tenetur recitare solus. *Pontas.*

CASUS IV. Onuphrius presbyter audivit confessionem Nicasii accusantis se, quod non persolverit pœnitentiam in ultima confessione sibi injunctam, licet justam, competentem, & gravitati suorum peccatorum proportionatam, ac proin rogantis, ut in aliam commutetur, quam fideliter & absque dilatione executurum se spondet. Potestne Onuphrius mutare hanc Nicasii pœnitentiam?

℟. Sacerdos hic debet meminisse, quod juxta *tridentinum sess. 14. de Reformat. cap. 5.* Sacerdos non possit in tribunali pœnitentiæ exercere suum judicium sine prævia cognitione causæ, simulque teneatur observare æquitatem in pœnitentiis imponendis; oportet ergo, ut Onuphrius saltem in genere sciat peccata, propter quæ pœnitentia illa injuncta fuit. Debet deinde ponderare rationes, a Nicasio pro mutatione allegatas: si rationes hæ fuerint justæ, simulque persuasus sit confessarius, novam pœnitentiam magis profuturam pœnitenti, poterit injungere aliam, proportionatam tamen peccatis, propter quæ prima pœnitentia fuit injuncta: Ita docet S. Raymundus in Summ. L. 3. Tit. 34. §. 66. ubi ait: *Ad illud quod quærebatur, scilicet utrum sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum, vel alterius satisfactionis ad petitiones ipsorum pœnitentium, credo breviter, quod sic, dum tamen discrete, & propter causam, & circa subditos suos, alias non. Pontas.*

CASUS V. Sedulius confessione apud suum paroehum deposita, acceptavit pro pœnitentia jejunium singulis feriis sextis per sex menses continuandum. Interim vero uno mense elapso ex morbo decumbit, cumque ad ipsum invisendum venisset parochus, rogat Sedulius; ut priorem pœnitentiam sibi mutet in eleemosynam 20. crucigerorum hebdomadatim in pauperes erogandorum. Poteratne parochus hanc mutationem facere extra tribunal pœnitentiæ?

℟. Videtur parochum non potuisse sic procedere salvis pastoralis officii obligationibus; si enim habuisset legitimam causam in hanc mutationem consentiendi, potuisset & debuisset hoc facere audiendo de novo confessionem Sedulii; saltem hæc est praxis tutior, & doctissimorum ac timoratorum confessariorum exemplis firmata. Injungere pœnitentiam, vel commutare jam injunctam est actus jurisdictionis interioris Sacramenti pœnitentiæ, quem sacerdos nullibi nisi in ipso tribunali pœnitentiæ exercere potest. *Usus & praxis communis Ecclesiæ*, inquit Cabassutius L. 3.

c. 14.

a. 14. *n.* 2. *confessariis potestatem impertit, justa interveniente causa; satisfactionem a se vel ab alio impositam diminuendi vel commutandi; quia plerumque id expedit animarum saluti, pro quibus hoc Sacramentum fuit institutum: non tamen id fieri potest extra Sacramentum; cujus est pars debita, utpote jurisdictionis clavium, quæ non nisi in Sacramento exercetur. Pontas.*

CASUS VI. Juliæ dispensatæ in voto simplici virginitatis vel Religionis in confessione Sacramentali fuit injunctum pro pœnitentia in executionem Brevis Apostolici, ut quotidie, quoad vixerit, recitet Officium parvum B. Virginis sub pœna peccati mortalis, licet de hoc nullam Breve Pontificium mentionem fecerit. Potestne sibi apud alium confessarium procurare commutationem hujus pœnitentiæ?

℞. Juxta *S. Beuve tom.* 3. *cas.* 28. Pœnitentia hæc non est pura puta pœnitentia Sacramentalis, sed est commutatio voti facta a confessario vi potestatis eidem qua delegato Pontificis concessæ; adeoque Julia non potest liberari ab onere hujus pœnitentiæ nisi auctoritate Apostolica. *Aliud videtur dicendum*, inquit Navarrus Lib. 5. concil. 25. n. 2. *de pœnitentia imposita a Superiore pro absolutione a peccato reservato; & aliud de onere imposito a Superiore per viam commutationis vel dispensationis voti. Pontas.*

CASUS VII. Eusebio imperavit confessarius, ut in satisfactionem peccatorum per integrum annum singulis feriis sextis dicat quinquies *Pater* & *Ave*; verum Eusebius judicans pœnitentiam hanc esse nimis levem, nec inveniens ulterius hunc confessarium, putavit seipsum posse immutare hanc pœnitentiam. Igitur præscribit sibimet jejunia, quæ religiose observat, psalmosque pœnitentiales prædictis diebus per integrum annum recitat. Estne solutus coram Deo ab onere pœnitentiæ sibi a confessario præceptæ?

℞. Commutatio hæc, licet facta in opera magis ardua, non liberat ipsum a pœnitentia in confessione imposita: nihil quippe propria sua auctoritate potuit immutare, cum indispensabiliter teneatur implere pœnitentiam sui confessarii. *Nec in causa sua potest quis esse Judex*, ait Glossa. *Pontas.*

CASUS VIII. Rollandus Diaconus & Beneficiatus in Festo S. Joannis Evangelistæ & circumcisionis Domini omisit recitare suum Breviarium. Ut ergo imposterum reddatur exactior, ejusque negligentia magis puniatur, debetne confessarius ipsi præcipere, ut præter officium eo die, quo

confessus est, occurrens, duo etiam illa omissa officia recitet?

℟. In recitatione officii divini servandus est ordo præscriptus, & consuetudo Ecclesiæ, quæ jubet, ut pro diversitate temporum & locorum diversa quoque sint Officia; *Non videtur esse injungendum ei*, inquit S. Thomas Quodl. 3. q. 13. art. 29. *qui omisit dicere divinum Officium, quod horas easdem repetat; sed aliquid ad divinam laudem pertinens, puta, ut dicat septem psalmos, vel unum psalterium, vel aliquid amplius, secundum quantitatem delicti.* Adeoque a confessario præfata pœnitentia non est injungenda Rollando. *Pontas.*

CASUS IX. Æmilianus presbyter audita confessione Quintini, cujus vita erat depravatissima, & nimis scandalosa per continuum decennium, pro pœnitentia ipsi injunxit; ut ingrediatur ordinem religiosum; quam pœnitentiam cum summa animi repugnantia acceptavit Quintinus. Potuitne confessarius talem injungere pœnitentiam?

℟. S. Thomas *in* 4. *dist.* 10. *in exposit. textus* observat, quosdam antiquos Canones mentionem facere talis pœnitentiæ, ex quo videtur auctoritatem aliquam habere. Interim tamen subjungit S. Doctor, Canones illos esse potius intelligendos de Consilio quam de præcepto; cumque ingressus Religionis debeat esse voluntarius, confessarius eundem nunquam debet injungere pœnitentibus a tali statu ac pœnitentia abhorrentibus. Ex quo sequitur, quod, cum Quintinus non nisi summe invitus hanc pœnitentiam acceptaverit, & ex sola persuasione, quod exactam in hoc confessario suo teneatur præstare obedientiam, Æmilianus nec debuer t nec potuerit istam præscribere pœnitentiam. Quod attinet antiquos Canones a D. Thoma allegatos, ii solum intelligendi sunt de pœnitentiis eo tempore in foro externo quandoque impositis juxta disciplinam Ecclesiæ in punitione quorumdam peccatorum observatam, sed haud amplius usitatam. *Pontas.*

CASUS X. Thyrso pro confessione Sacramentali in peccatorum suorum satisfactionem fuit injunctum, ut quotidie per mensem dicat Litanias de Nomine JESU, B. Virgine, & de omnibus Sanctis; sed reputans se peccatorum maximum & indignum, qui a Deo exaudiatur, rogavit quemdam Religiosum opinione sanctitatis celebrem, ut pro se ac suo nomine pœnitentiam hanc exequatur. Estne liberatus ab onere impositæ sibi pœnitentiæ per acceptationem & adimpletionem hujus Religiosi?

℟.

℟. Obligatio satisfactionis Sacramentalis est stricte personalis, sicut obligationes aliorum actuum pœnitentis, uti Tridentinum docet *Sess.* 24. *cap.* 3. & ideo Thyrsus non est liberatus ab injuncta sibi satisfactione; & si confessarius consentiret, ut per alium ipsam expleret, teneretur injungere aliud opus satisfactorium ab ipso pœnitente implendum. *Si quando ex justa causa*, ait Cabassutius L. 3. c. 14. n. 3. *permittat confessarius, ut injuncta satisfactio possit ab alio præstari, aliquam tamen partem, quæ possit a pœnitente præstari, debet eidem in propria implendam persona præscribere, ne sit mutilum aliqua sui parte Sacramentum. Pontas.*

CASUS XI. Emporius Sacerdoti pœnitenti suo nullam aliam imposuit pœnitentiam, quam ut in satisfactionem suorum peccatorum Deo offerat Officium divinum, quod illo ipso confessionis die tenebatur recitare. Sufficitne talis pœnitentia?

℟. Sunt, qui tuentur, pœnitentiam hanc sufficere; alii vero quod non. Posterior hæc opinio est secutior in praxi, & verior, ac proin in hac materia necessario tenenda. Et revera non potest dici pœnitentia satisfactoria opus, ad quod jam aliunde generali lege Ecclesiæ indispensabiliter obligamur. *Pontas.*

CASUS XII. Alanus confessarius Antonio suo pœnitenti id solum pro pœnitentia injunxit, ut patienter ferat, Deoque in expiationem suorum peccatorum offerat magnas afflictiones, quæ ipsi haud ita pridem acciderunt, vel acerbissimos dolores, quibus cruciatur. Estne talis pœnitentia habenda pro satisfactione legitima respectu hominis, qui non commisit peccata supra modum gravia?

℟. Juxta S. Thomam in 4. dist. 51. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. C. hæc pœnitentia potest haberi pro legitima: licet enim mala a Deo nobis immissa, absolute loquendo, non sint in potestate nostra, sunt tamen eatenus in nostra potestate, quatenus possumus per auxilium gratiæ eadem acceptare in satisfactionem peccatorum nostrorum, atque hoc animo Deo offerre. *Si flagella*, ait S. Doctor, *quæ pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter.* Et ad 1. *Quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt; cum scilicet eis patienter utimur: & sic homo facit de necessitate virtutem. Unde & meritoria & satisfactoria esse possunt. Pontas.*

Nota. Videtur oppositum esse tenendum; quia non potest injungi opus jam aliunde lege naturali vel divina præceptum, quale est patientia in adversis. Dein, etsi ejusmodi mala cum plena resignatione in voluntatem divinam tolerata meritum satisfactionis habeant, non habent tamen rationem satisfactionis *sacramentalis*.

CASUS XIII. Hannibali in confessione fuit injunctum, ut per tres menses singulis Dominicis, festisque diebus dicat psalmos pœnitentiales; quam quidem pœnitentiam fideliter executus est, sed sub missæ sacrificio, ad quod audiendum ex præcepto tenebatur. Satisfecitne suæ pœnitentiæ coram Deo?

℟. Sylvius in suppl. 3. partis Summ. D. Thomæ q. 15. art. 1. quæs. unic. conclus. 1. existimat, Hannibalem vere satisfecisse injunctæ pœnitentiæ. Ratio ipsius est; quia ad Deum precari vocaliter & interesse sacrificio missæ non sunt duo incompatibilia; imo oratio perfecte convenit cum sacro missæ officio, ubi & sacerdos celebrans, & fideles eidem assistentes continuam peragunt orationem. Addit Sylvius, quod, sicut satisfit obligationi recitandi Horas canonicas, dum eæ recitantur sub missa, quam quis ex præcepto tenetur audire; sic etiam satisfiat injunctæ pœnitentiæ, quæ in precibus consistit. *Satisfacit*, inquit, *qui audiens missam ex præcepto legit Horas canonicas, aut explet suam pœnitentiam.* Nihilominus magis convenire, & pro conscientia securius esse videtur, si alio tempore sacramentalis pœnitentia peragatur. *Pontas.*

CASUS XIV. Uranius confessus est peccata sua haud adeo gravia, & confessarius ipsi injunxit pœnitentiam valde rigorosam & diuturnam. Potestne tuta conscientia ab ea acceptanda se excusare?

℟. Salva conscientia non potest Uranius recusare pœnitentiam matura, ut supponendum, confessarii deliberatione sibi impositam. Non pertinet ad pœnitentem de semet ipso judicium ferre; judex ipsius est confessarius, & talis quidem judex, qui non debet ipsi esse suspectus. *Pœnitens*, ait S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. *cui major condigna pœnitentia injuncta est, tenetur eam explere ex sacerdotis injunctione, qui non solum debitum pœnæ considerat, sed peccato remedium adhibet.* Estius, Maldonatus, Sylvius, aliique præclarissimi Theologi idem sentiunt, fundantque opinionem suam in potestate ligandi ac solvendi a Christo sacerdotibus concessa. Nihilominus tamen non est diffitendum, quod pœnitens ea, qua decet, reverentia possit monere confessarium de nimio rigore aut diuturnitate injunctæ

pœni-

pœnitentiæ, vel de difficultatibus in ejusdem executione occurrentibus. Quod si omnibus his non obstantibus confessarius in sua persistat sententia, pœnitenti humiliter aquiescendum est. *Pontas.*

CASUS XV. Marianus tempore paschali confessus est peccatum fornicationis semel a se commissum, & injuncta competenti pœnitentia fuit absolutus. Post sex menses denuo confessus idem peccatum cum alia persona perpetratum iterum & sub eadem pœnitentia absolvitur. Num bene egit confessarius hac secunda vice?

℞. Confessarius secunda vice non debuisset absolvere Marianum sine gravi ratione, sed illi differre absolutionem, experturus hac dilatione, an sincerus fit dolor ipsius. Dein supposito etiam, quod sufficiens motivum habuerit ipsi absolutionem impertiendi, gravior tamen pœnitentia ipsi fuisset injungenda: licet enim duo hæc peccata sint ejusdem speciei, certum tamen est, secundum peccatum coram Deo primo fuisse gravius propter relapsum. Hinc confessarius non satisfecit obligationi suæ. *Pontas.*

NOTA. Hæc dilatio absolutionis, solum ex motivo tentandi sinceritatem doloris, est Quesnellistis propria, ac proin non multum attendenda. Aliud dicendum foret, si pœnitens non explesset pœnitentias injunctas, remedia præscripta non applicasset, aut non vitasset occasiones proximas a confessario interdictas.

CASUS XVI. Adrianus expositis in confessione pluribus peccatis mortalibus acceptavit quidem impositam sibi pœnitentiam; eam tamen non nisi post relapsum in aliud peccatum mortale persolvit. Teneturne repetere suam pœnitentiam?

℞. Potest quis in peccato esse constitutus triplici modo, scilicet vel *actu*, vel *affectu*, vel *habitu*, seu *reatu & macula*, ut scholæ loquuntur. Dicitur quis esse *actu* in peccato, dum illud actu committit; *affectu*, dum illud in corde fovet; & *reatu*, quando dispositus quidem est ad conversionem, necdum tamen peccati remissionem obtinuit. His suppositis, si Adrianus fuit in peccato *actu* vel *habitu* seu *affectu* eo tempore, quo adimplevit suam pœnitentiam, tenetur illam repetere. Ratio est 1. quia pœnitentia nunquam potest esse vera, quando neglecto præterita peccata explandi studio nova actualiter committuntur, vel affectus ad commissa conservatur, vel remanet dispositio aut habitus proxima occasione alia committendi. *Inanis est pœnitentia*, inquit S. Augustinus Can. *Inanis*, 12. de Pœnit. dist. 3. *quam se-*

quens culpa coinquinat. 2. Quia possibile non est, quod quis in hoc statu sincerum habeat desiderium divinæ justitiæ satisfaciendi; quod tamen ad veram pœnitentiam absolute necessarium est. 3. Quia, ut ait S. Thomas Supplem. q. 14. art. 1. *Non potest fieri satisfactio, nisi per opus Deo acceptum; ergo non potest, qui habet aliquod peccatum, Deo satisfacere.* Si autem Adrianus, antequam injunctam pœnitentiam persolveret, sincerum concepit dolorem de peccato commisso, ita ut vere dispositus sit ad conversionem & vitæ emendationem, non tenetur reiterare impositam pœnitentiam. *Pontas.*

CASUS XVII. Poteftne confessarius, quin desit obligationibus officii sui, pœnitentiam tantum secretam, rigorosam tamen, injungere peccatori, qui complura peccata publica & scandalosa confessus est; eo quod Ecclesia de antiquo suo rigore circa pœnitentias plurimum remiserit?

℟. Cum Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 8. de reform. antiquam disciplinam vigori suo restituere intenderit, non potest simplex confessarius privata sua authoritate peccatores publicos & scandalosos eximere a pœnitentia publica: soli Episcopo potestas hæc competit. *Apostolus monet*, inquit Concilium, *publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.* Interim tamen, licet confessarius teneatur imponere pro peccato publico pœnitentiam publicam, consuli debet Episcopus, qui docebit, an in hoc vel illo particulari casu consultum sit ejusmodi dictare pœnitentiam. *Pontas.*

NOTA. Obligatio injungendi in confessionali pœnitentiam publicam cessare potest, quando scandalum ex peccato publico ortum sufficienter emendatur per vindictam publicam tribunalium, ut fit in nostra Bavaria. Si vero judex esset negligens in castigandis publicis sceleribus, nec superesset aliud remedium, v. g. denunciatio ipsius judicis ad suum Superiorem, tunc foret recurrendum ad Episcopum pro dictanda pœnitentia publica; immo si Episcopi vellent id in se recipere, ut pro criminibus publicis præmissa cognitione causæ simul imponant pœnam ecclesiasticam, jure id ipsis competeret, nec possent a quopiam citra injustitiam prohiberi. Verum quia labor iste foret immensus, & occasio perpetuorum dissidiorum cum judicibus & Dominis territorialibus, experientia docuit, hoc remedium pœnitentiæ publicæ non nisi in casu rarissimo usurpari posse, saltem in Germania. Vetus disciplina, vi cujus Episcopi antiquitus publica celebrabant judicia circa fidelium cau-

sas,

fas, jam est antiquata, causæque ejusmodi plerumque fuerunt translatæ ad tribunalia sæcularia. Nihilominus potest ac debet confessarius pro peccatis publicis imponere opera ædificatoria, & publici scandali palam reparatoria, ut sunt hebdomadaria aut saltem menstrua communio, visitationes ecclesiarum, modestia in vestitu, frugalitas in cibo & potu, sublevamen pauperum per eleemosynas, abstinentia a popinis ac vanis oblectationibus publicis, fuga occasionis ac periculi etiam propinqui ad determinatum peccatum, continentia sensuum maxime in conventibus publicis &c.

Vide *Absolutio. Confessarius* cas. 3. & 10. *Confessio. Jubilæum.*

POLLUTIO.

1. Definitur *pollutio*, quod sit *voluntaria seminis resolutio facta extra copulam carnalem.* Peccatum hoc semper est mortale, quando est voluntarium in se vel in causa culpabili, ex quocumque demum motivo causetur. Si vero alterutro dictorum modorum non fuerit voluntarium, nullum coram Deo contrahitur peccatum.

2. Ex imperfectione actus voluntatis, vel ex levitate causæ pollutio quandoque, licet raro admodum, est tantum venialiter peccaminosa.

CASUS I. Peccantne, qui fluxum seminis, aut humoris seminis similitudinem referentis inviti patiuntur?

3. Quæstionem hanc solvit D. Thomas 3. part. Summ. q. 80. art. 7. ubi ait: *Causa corporalis pollutionis quandoque est sine peccato, puta cum est ex infirmitate naturæ: sicut enim contigit sanguinem fluere absque peccato, ita & semen, quod est superfluitas sanguinis secundum Philosophum... Quandoque vero est cum peccato; puta cum provenit ex superfluitate cibi vel potus; & hoc etiam potest esse veniale vel mortale.* Et alibi: *Sciendum, quod illius humoris effusio non est pollutio.* Porro quod de seminis effusione dictum est, de illis duntaxat intelligi debet, qui nullam huic præbuerunt voluntariam causam per sensuales fœminarum aspectus, allocutiones, amorem inordinatum, morosas turpium rerum cogitationes, tactus, aliave similia: hi enim, nisi omnia ista diligenter ac studiose fugere satagant, a peccato excusari nequeunt, ut prolixius docet idem S. Doctor, vel quisquis est author opusculi 64. quod S. Thomæ attribuitur. *Pontas.*

NOTA. Resolutio humoris sine commotione spirituum genitalium non est quidem semen, sed vehiculum seminis; si tamen studiose causetur, id fieri nequit sine periculo pollutionis, ac proin sine peccato.

CASUS II. Pollutio, quæ in somno accidit, estne peccatum?

℟. Denuo ad hanc quæstionem respondet S. Thomas in 4. dist, 9 q. un. art. 4. quæstiunc. 1. C. inquiens: *Omne peccatum secundum Augustinum est in voluntate; motus autem voluntatis præsupponit judicium rationis, eo quod est apparentis boni vel vere vel falso: unde, ubi non potest esse judicium rationis, non potest esse voluntatis motus; in somnis autem judicium rationis impeditur... Et ideo neque motus appetitivæ partis est liber: & propter hoc non potest aliquis peccare in somno, neque mereri.* Ex quibus patet, pollutionem secundum se consideratam, quæ dormientibus accidit, non esse peccatum. *Pontas.*

Nota. Id verum est, nisi quis earum pollutionum, quæ in somno fiunt, in vigilia causam dederit, v. g. absque necessitate aspiciendo, cogitando, legendo, vel loquendo obscœna.

CASUS III. Pollutio, quæ incipit in somno, finitur autem in vigilia, estne peccatum mortale?

℟. Juxta S. Thomam in 4. dist. 9. q. un. art. 4. quæstiunc. 1. ad 5. hoc in casu pollutio secundum se considerata non est peccatum mortale. Sed evigilans non solum potest peccare venialiter, quando scilicet non positive resistendo carnis delectationi ex quadam complacentia quasi ex subreptione consensum præbet, sed & mortaliter, si plena adsit deliberatio. *Pontas.*

Vide *Communio sacramentalis.* cas. 2. *Ecclesia.* cas. 15.

POSSESSIO.

1. Vox hæc, *Possessio*, sumitur tam circa res profanas quam circa materiam Beneficialem. Dum sermo est de rebus profanis, possessio est *detentio rei, quam dominus, vel qui cum fundamento dominum se reputat, per se vel per alium possidet.* Unde & Polmanus ait: *Possessio est actus, jusve detentionis rei.* Dicitur 1. *detentio*, quæ fundatur in jure proprietatis vero vel præsumptive tali; & hinc usurpator vel fur non sunt veri possessores. Non autem necessarium est, ut possessor rem possessam ipsis oculis præsentem habeat, aut manu teneat; cum per solam intentionem possessionem conservare possit: *Licet possessio nudo animo aquiri non possit*, inquit L. *Licet.* 4. Cod. Lib. 7. Tit. 32. *tamen solo animo retineri potest.* Sic recte quis dicitur possessor animalium, quæ in agris ac pratis custodienda curat, vel quæ sine custode ad assueta recepta-

ceptacula ultro redeunt. ut columbæ in suum columbarium, & apes sua repetere alvearia consueverunt. *Quidam recte putant*, ait L. *Possideri*. 3. §. 16. ff. Lib. 41. Tit. 2. *columbas quoque, quæ ab ædificiis nostris volant, item apes, quæ ex alveis nostris evolant, & secundum consuetudinem redeunt, a nobis possideri*. Dicitur 2. Detentio *rei*, scilicet vel corporalis, ut est ager, domus &c. vel incorporalis, ut est servitus, Beneficium, jus exercendi jurisdictionem, jus molendini, furni, jus vectigalium &c. vel alterius rei seu mobilis seu immobilis. Dicitur 3. *Quam Dominus, vel qui cum fundamento dominum se reputat*; quia, licet possessio taliter cohæreat cum proprietate, ut inde separari non debeat, una tamen esse potest sine altera: quando enim duo litigant de proprietate ejusdem rei, & unus solus est in possessione, fieri potest, ut possessor illius non habeat proprietatem, ut possessione dejiciatur, vel ultro cedat, vel in favorem veri proprietarii judicialiter ad id compellatur. Hinc L. *Permisceri*. 52. ff. Lib. 41. Tit. 2. dicitur: *Possessio & proprietas misceri non debent*. Additur denique 4. *Quam dominus per se vel per alium possidet*, quia pupillus & minorennis possunt possidere mediante tutore & curatore; & quævis alia persona potest exercere possessionem per procuratorem, depositarium, vel locatarium &c.

2. Qui aquirit proprietatem rei, simul ejusdem aquirit possessionem, vel jus eam aquirendi, aut forte amissam recuperandi. Detentio realis sola operatur possessionem realem & actualem eorum, quæ habentur titulo emptionis, donationis, permutationis &c. Sic qui aquisivit proprietatem rei per emptionem, donationem &c. ejusdem possessor non fit nisi per actualem traditionem; quæ si negetur, recurrendum est ad authoritatem judicis, non enim licet arripere possessionem violenter & via facti.

3. Dantur plures res, quarum possessio aquiritur per traditionem solum tacitam, vel per simplicem declarationem aut cessionem proprietarii absque alia formalitate: id autem intelligendum est de re certa ac determinata; quia, ut dicit L. *Possideri*. 3. L. c. *incertam partem rei possideri nemo potest*.

4. Ut quis fiat possessor legitimus, requiritur 1. causa, 2. intentio possidendi rem jure proprietatis; sine hac intentione non datur vera possessio: & hinc licet tanquam proprietarius possideam agrum, in quo fodina argenti aut thesaurus latet absconditus, non censeor possidere fodinam vel thesaurum, utpote mihi incognitum; sed hæc intentio solum afficit pos-

forem bonæ fidei. 3. requiritur detentio rei in fenfu fupra explicato.

5. Poffeffionem arripere, vel eadem abdicare quis fe poteft vel per fe ipfum, vel per procuratorem.

6. Primarius poffeffionis effectus eft, quod tribuat poffeffori jus de re poffeffa tanquam de propria difponendi; cum proprietas fit infeparabilis a jufta poffeffione: immo poffeffio in pluribus cafibus producit proprietatem, ficut in præfcriptione, per quam poffeffor bonæ fidei actu fit dominus fructuum fundi poffeffi, & ipfius etiam fundi, quem pacifice poffedit per tempus a lege conftitutum juxta regulam juris 136. ff. *Bona fides tantumdem poffidenti præftat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eft.* Et certe homines non nifi per poffeffionem cœperunt effe domini rerum.

7. Poffeffio rei mobilis amittitur 1. per traditionem actualem. 2. Dum deponitur animus ac intentio poffidenti rem, eaque primo occupanti relinquitur, aut alia ratione ea dimittitur. 3. Quando alius pacifice & nemine contradicente per annum integrum rem poffedit, falvo tamen jure obtinendæ reftitutionis.

8. Poffeffio in re Beneficiaria fumitur pro inftallatione feu inftitutione Beneficiati, confiftitque in ceremoniis in jure canonico præfcriptis, aut communiter in ecclefia ufitatis, dum quis in Beneficio fuo inftituitur.

9. Dividitur hæc poffeffio in *annalem* & *triennalem*. Triennalis cuivis Beneficiato eft inftar tituli, dummodo fundetur in aliquo titulo, faltem colorato. Verum qui Beneficium obtinuit per fimoniam voluntariam, intrufionem, vel in manifefta inhabilitate, fruftra fe tuetur triennali, immo multo etiam longioris temporis poffeffione. Dicitur: *per fimoniam voluntariam*; fi enim ea a parentibus, a confanguineo aut ab amico fecreto fuiffet commiffa, infcio Beneficiato, authores quidam tuentur, poffeffionem bonæ fidei ac triennalem effe inftar tituli; quod tamen fufficienter non videtur probatum.

10. Aditio poffeffionis valide fit five in propria perfona, five per procuratorem, authentica tamen procuratione inftructum.

11. Beneficiatus non poteft frui redditibus Beneficii, nifi poft adeptam in virtute provifionum & litterarum expeditionalium poffeffionem.

12. Poffeffio circa res profanas dividitur in poffeffionem *juris* & *facti*, in poffeffionem *bonæ* & *malæ fidei*, in *juftam*

&

& *injustam*, in possessionem ex titulo *colorato* & *non colorato*, & denique in possessionem *naturalem* & *civilem*.

13. Possessio *juris* est *jus insistendi rei tanquam suæ non prohibitæ possideri.* Dicitur: *rei tanquam suæ*, id est, quæ possessoris propria est, & ad eum pertinet; ex quo sequitur, tutorem non esse verum possessorem bonorum pupilli sui, sed pupillum, qui ea per tutorem possidet, ut supra jam observatum est. Additur: *non prohibitæ possideri*, id est, rei, cujus possessio cuipiam a jure non interdicitur; sic laicus a jure possidere prohibetur Beneficium, ecclesiam aut cœmeterium.

14. Possessio *facti* est *occupatio rei adminiculo corporis, animi & juris.* Dicitur 1. *occupatio*, quod idem est, ac rei actualis occupatio prima, vel continuata. Dicitur 2. *adminiculo corporis*; quia, dum quis possidere rem incipit, quodammodo necesse est, ut ea fiat corporaliter. Dicitur 3. *animi*; quia ad continuandam possessionem requiritur intentio retinendi possessionem; unde depositarius non censetur verus possessor rei depositæ, cum ipsius intentio non sit possidendi rem ut suam. Idem dicendum de eo, qui rem possidet titulo precarii. Additur denique 4. *& juris*, vi cujus scilicet stabilitur veritas possessionis, sive dein ejusmodi lex, qua fundatur possessio, justa sit sive injusta.

15. Possessio *bonæ fidei* est *occupatio rei fundata in prudenti judicio*, dum scilicet possessio rei aditur & continuatur ex ratione, quæ possessori videtur justa; *malæ fidei* autem possessor est, qui nec ipse rationem possidendi credit esse legitimam. Possessio *justa* fundatur in titulo *legitimo*; *colorata* autem non nisi in titulo *verisimili.* Possessio *naturalis* est *occupatio rei adminiculo corporis & animi*, & *civilis* adminiculo *solius animi.* Appellatur *civilis*; quia fundatur in jure civili, & parit effectus mere civiles. Possessio *naturalis* communiter respicit dominium utile rei possessæ, & *civilis* dominium directum.

16. Possessio immemorialis non indiget titulo; quia semper præsumitur, eam ex legitimo titulo inchoatam & continuatam fuisse. Quando possessor per integrum annum fuit in pacifica possessione rei, postmodum vero ab alio in possessione turbatur, datur illi actio *de jam adepta & modo turbata possessione*, quæ fere coincidit cum celeberrimo juris Romani interdicto, *Unde vi.* Effectus hujus actionis est, quod judex securam illi præstet possessionem usque ad finem litis, etiam contra verum proprietarium.

17.

17. Possessor boni temporalis non tenetur in foro civili docere ac probare titulum suæ possessionis; & si super hac ipsi moveretur controversia, admitteretur ad probationem per testes. Secus se res habet in possessoreBeneficii: huic enim non potest asseri possessio absque titulo, & aliis qualitatibus ad possidendum requisitis.

18. Possessio bonæ fidei producit legitimam præscriptionem post lapsum temporis a legibus vel consuetudine determinati.

19. Dejectus ex possessione per violentiam desinit quidem esse possessor rei de facto, conceditur tamen ipsi annus & dies ad intentandam actionem pro restitutione in integrum; & hæc actio locum habet etiam contra ipsum proprietarium, licet promittat, probaturum se in continenti jus proprietatis, quod prætendit: si enim audiri velit, necesse est, ut violenter dejectum prius in statum pristinum restituat.

CASUS I. Victor jam a sexennio possidet Prioratum vi tituli, qui re ipsa nullus est ob simoniam ex ignorantia commissam, quod non ita pridem ipsi innotuit; vel cujus nullitas ex alio quodam defectu provenit. Num triennalis pacifica possessio ipsum securum reddit in conscientia?

℟. Triennalis, vel etiam diuturnior possessio juxta tutiorem sententiam securitatem conscientiæ præstare non potest, si vitiositas tituli ex simonia etiam involuntaria provenit: regula enim possessionis triennalis, quæ originem suam trahit ex Concilio Basileensi, & per concordata confirmata est, excludit expresse & generaliter absque ulla exceptione omnes, qui Beneficia sua medio simoniaco impetrarunt: & in hoc particulari casu innocens luit pœnam nocentis, idque ex hac ratione; quia alias simonia nimis frequenter committeretur, ut advertit Glossa in Cap. *Ex insinuatione*. 26. Lib. 5. Tit. 3. Ex quo sequitur, necessario a Victore dimittendum esse Prioratum, nec illum retineri posse, nisi de novo a legitimo Superiore provideatur, id est, ab Ordinario, si ignorantia ipsius de simonia fuit inculpabilis ac invincibilis; quo in casu necesse non est, ut Romam recurratur, neque id requiritur, dum quis omnino non est particeps commissæ simoniæ, nec eam ullo modo approbavit. Verum si Victor scienter concurrisset, aut ignorantia illius fuisset culpabilis, teneretur adire Papam, qui solus valide potest novam illi provisionem concedere. Hinc Victori, cujus titulus plane nullus est, nullatenus ad retinendum Prioratum suffragatur triennalis possessio. Si vero titulus ipsius non ob simoniam aut intrusionem, sed ex alio capite sit nullus, triennalis

lis possessio, & a fortiori adhuc longior, sanat, quidquid fuit vitiosum in ipsius provisionibus. *Pontas.* Vide *Simonia.* Cas. 38.

Nota. Hæc nullitas solum procedit pro foro externo, in quo præsumitur ignorantia crassa, aut saltem vincibilis.

CASUS II. Polychronius illegitimo toro natus possidet Beneficium pacifice a tribus & amplius annis ex titulo colorato; provisus in Curia Romana per obitum. Poteritne se tueri jure possessionis triennalis, si a quopiam in sua possessione turbetur?

℟. Juxta Garciam de Benef. part. 7. c. 3. n. 88. regula de triennali possessione non potest spurium purgare a vitio ipsi congenito. Ratio hujus responsionis a sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum firmatæ est; quia titulus nequit censeri coloratus, ubi datur actualis inhabilitas in eo, qui de Beneficio fuit provisus, nec interea per dispensationem legitimam fuit habilitatus ad illud possidendum. Unde sequitur, quod, cum sola Polychronii provisio nulla sit, quia illegitimus est inhabilis ad Beneficium, illa nequeat esse loco tituli colorati; sine quo possessio triennalis inutilis est. *Non firmatur tractu temporis*, inquit Bonifacius VIII. regula juris 18. & 64. in 6. *quod de jure ab initio non subsistit.* Et: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Accedit, quod Polychronius aliunde sit possessor malæ fidei; cum sciret, aut saltem scire debuisset, illegitimos esse incapaces ad possidenda Beneficia; & ad ea sine dispensatione Pontificia promoveri haud posse. *Pontas.*

CASUS III. Georgius Religiosus professus in Curia obtinuit Prioratum sæcularem, eumdemque pacifice tenuit ultra triennium. Ludovicus certior factus, Beneficium hoc esse sæculare, provisionem sibi procuravit ab Ordinario, penes quem jus conferendi erat, litemque super possessione Georgio movit. Potuitne hoc facere in conscientia? Et Georgius potestne absque injustitia tueri jus suum?

℟. Ludovicus potest citra omnem injuriam impugnare possessionem Georgii, qui nullum omnino jus habet ad hunc Prioratum, utpote sæcularem, possessio enim quantumvis diuturna non immutat statum ac naturam Beneficii. *Non juvatur*, inquit CabassutiusL.2. c. 20. n. 14. *hoc privilegio regularis Clericus, qui sæculare Beneficium triennio pacifice possederit: illa namque triennii possessio non potest statum & incompatibilitatem mutare Beneficii.* Idem dicendum de Clerico sæculari, qui ad Beneficium regulare promotus fuisset, nisi, ut

k-uri-

Bonifacius VIII. Cap. *Cum de Beneficio.* 5. Lib. 3. Tit. 4. observat, status Beneficii fuerit mutatus per legitimam præscriptionem, quæ debet esse quadraginta annorum. Generaliter tenendum notum illud: *Regularia regularibus*, *& sæcularia sæcularibus. Pontas.*

NOTA. Ab hac regula excipiendi sunt Canonici regulares, utpote capaces Beneficiorum sæcularium. Vide *Beneficium.* Cas. 15.

CASUS IV. Uranius provisus Canonicatu in ecclesia quadam cathedrali pro adipiscenda possessione præsentavit se Capitulo; fuit autem ipsi declaratum, prius solvendam esse pro Sacristia summam 100. florenorum, idque vi peculiaris statuti olim a Capitulo conditi. Conqueritur Uranius de injusta hujuscemodi impositione, negatque Capitulo potestatem eandem imperandi & obtrudenti invitis; persolvit tamen, & sic tandem missus in possessionem & installatus fuit. An Uranius commisit simoniam, sive dein Canonici hanc summam impendant in bonum Sacristiæ, sive in proprium lucrum convertant? An absque simonia Capitulum hoc statutum condere potuit? Num Uranius, cum invitus ac gemens solverit, obligare potest Capitulum ad restituendam summam?

℟. Si Uranius dictam summam solvit in privatam utilitatem Canonicorum, sciens, hos non ex alio fine illam exigere, quam ut inter se postea partirentur, veram commisit simoniam, ipse non minus quam Canonici. Nulla autem intervenit simonia, si petita summa fuit destinata in utilitatem & necessitatem ecclesiæ; & in hunc finem Capitulum ejusmodi statutum condere potuit; nec Uranius in hoc casu restitutionem petere potest. Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. c. 14. ubi omnem remunerationem in favorem Canonicorum condemnat, hæc habet: *Hæc cum sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas reiiciant & aboleant. Pontas.*

CASUS V. Genebaldus optima fruens valetudine resignavit in Curia Romana præbendam suam Juvenali, qui videns, Genebaldum repente in periculosum morbum incidisse, possessionem Beneficii arripuit sine prævia installatione, nec petita, ut mos fert, a Capitulo receptione in fratrem. Paucis post diebus convalescit Genebaldus, eique ex mera animi gene-

generositate Juvenalis permittit pristinam possessionem ac fruitionem sui Beneficii, adeo ut etiam combusserit provisiones suas, & instrumentum captæ a se possessionis. Et in hoc statu integrum præterfluit biennium. Potestne Genebaldus absque conscientiæ scrupulo ulterius frui hoc Canonicatu, quin opus sit solemni cessione Juvenalis in favorem ipsius? Potestne Episcopus reintroducere Genebaldum in Beneficium verbaliter solum & absque ulla alia formalitate ad solam declarationem Juvenalis testantis, se eundem restituere in omnia jura, quæ ad Beneficium vel in Beneficio habuerat. Opusne est denique, ut Genebaldus Roma obtineat condonationem fructuum durante hoc biennio perceptorum?

℟. *Si aditio possessionis a Juvenale facta vere fuit canonica*, Genebaldus non potuit secura conscientia frui Canonicatu a se resignato, quem non nisi per intrusionem possedit per hoc biennium; nec etiam potuit de novo provideri ab Episcopo, nisi prævie fuerit rehabilitatus: in quo casu necessarium foret, ut a Pontifice impetret condonationem fructuum hactenus perceptorum & necdum consumptorum, maxime si redditus Beneficii essent valde notabiles ac pingues. Verum si aditio possessionis ex parte Juvenalis ponatur esse invalida, ut in præsenti casu est, potest Genebaldus sine scrupulo continuare possessionem Canonicatus, ejusdemque fructus percipere absque alia nova formalitate. *Aquiritur possessio juris canonicalis*, inquit Rebuffus prax. Benefic. de miss. in possess. n. 36. *Pontas.*

CASUS VI. Guibertus parochus gravi morbo decumbens resignavit pure ac simpliciter suum Beneficium Felici nepoti suo: hic haud dubitans, illud sibi a collatore concedendum, transmittit ad fratrem suum Joannem non solum resignationem, sed & procurationem, ut Beneficii collationem promoveat, & ad expediendum citius negotium ocyus nomine suo possessionem capiat, quamprimum de obtentis provisionibus ac Visa edoctus fuerit. Hæc omnia Joannes perficit, ac possessionem capit nomine fratris sui. An etiam valide?

℟. Procuratio ad effectum possessionis in Beneficio capiendæ debet esse posterior die concessarum provisionum. Adeoque Joannes nulliter ac invalide possessionem Beneficii adiit nomine fratris. *Pontas.*

CASUS VII. Sabinianus, qui absque titulo, bona tamen fide, possidet fundum aut aliud quidpiam, turbatur in possessione ab alio. Estne defendendus contra turbatorem, qui æque omni destitutus est titulo?

℟. Cùm leges supponant, possessorem bonæ fidei esse verum proprietarium rei, quam possidet, Sabinianus in possessione fundi manutenendus est; usque dum superveniens turbator ex titulo probaverit, se esse solum ac verum dominum rei. Verùm aliud dicendum foret, si res controversa foret extra commercium humanum posita, ut sunt bona Beneficii ecclesiastici: in hoc namque casu; qui possideret Beneficium sine justo titulo; in sua possessione manuteneri non deberet. Hinc jus possessorium circa Beneficia non ex sola possessione metiendum est, sed ex titulo canonice obtento; & casu quo plures producunt titulum, decidendum est in favorem illius, cujus titulus verosimiliter est magis legitimus. *Pontas.*

CASUS VIII. Sylvius succedens in bona defuncti patris inter fundos jure hæreditario ad se devolutos reperit aliquod jugerum vineæ à patre suo bona fide possessum, sed re ipsa ad Lucium pertinens jure proprietatis. Pergit Sylvius eadem bona fide illud possidere per solidum triennium; quo elapso evincitur à Lucio, qui lite finita petiit etiam restitutionem fructuum intra triennium hoc perceptorum. Teneturne Sylvius eos restituère?

℟. Est certum juris principium, quod possessor bonæ fidei dominium aquirat fructuum omnium ex rebus à se bona fide possessis quomodocumque provenientium, ut habetur L. *Bonæ fidei.* 48. ff. Lib. 41. Tit. 1. Adeoque Sylvius non tenetur ad restitutionem fructuum ex jugero vineæ perceptorum usque ad diem, quo possessio per postulationem judicialem Lucii interrupta, & sententia fuit prolata. *Pontas.*

PRÆCEPTA ECCLESIÆ.

Indubitatum est, à Christo potestatem Ecclesiæ fuisse datam leges ferendi, quibus omnes fideles non minùs obligentur, ac si ab ipso Christo latæ fuissent: & sane omnia præcepta Ecclesiæ sunt meræ determinationes præceptorum divinorum.

CASUS Daturne gravis obligatio servandi præcepta Ecclesiæ?

℟. Præcepta Ecclesiæ, utpote fundata in præceptis divinis, obligant sub peccato mortali, peccatque mortaliter, qui ea sine sufficienti causa excusante transgreditur. Possunt tamen barbitonsores, pistores, molitores, aliique opifices in quibusdam casibus vacare laboribus suis. Imo possunt

funt Episcopi nimium festorum de præcepto numerum minuere, aut, si necessitas exigat, populo permittere, ut quibusdam diebus festis, quos retinendos duxerint, audito Sacro labori incumbat. *De Lamet.*

PRÆDA HOSTILIS.

Tempore belli quidam privati, Principis tamen authoritate firmati, naves instruunt, easque in hostium naves immittunt, &, quibuscumqe potiti fuerint, in portum invehunt, ac prædam inter se partiuntur, licet quandoque excedat omnes expensas in construendam navim a se factas.

CASUS. Naves publica Principis authoritate in hostes armatæ possuntne in bello justo in hostium naves irruere, easdem capere, & earum spolia sibi attribuere?

℟. Licite possunt: in his enim circumstantiis prædas ex hostibus agere non est contra charitatem, quidquid demum ipsis auferatur; nec tanquam furto ablata consideranda sunt, quæ hostibus eripiuntur. L. *Si quid* 28. ff. Lib. 49. Tit. 15. *Si quid bello captum est, in præda est, non postliminio redit. Fromageau.*

PRÆFECTUS COLLEGII.

1. *Præfectus collegii* dicitur, qui tanquam caput præest collegio, cujusque est exacte invigilare vitæ ac moribus eorum, qui sunt de collegio, ita ut penes ipsum sit cura de omnibus, quæ ad studia & pietatem pertinent.

2. Materia hæc, inquantum personam Præfecti respicit, est fatis sterilis quoad doctrinam moralem. Quidquid de ipso dici potest, huc redit, ut pro viribus satisfaciat obligationibus officii sui.

3. Licet officium ipsius consistat in nuda administratione, non est tamen comparabile pretio pecuniario, cum extra omne commercium sit positum, sicut & officia Professorum, quæ a Præfecto collegii gratis debent conferri, sicut & ipse gratis in collegium fuit admissus.

CASUS I. Viget in quibusdam collegiis generalis consuetudo, ut eorumdem Scholares, etiamsi actu Beneficium habeant, nec habitu, nec coma a reliquis laicis distincti incedant. Pamphilus ejusmodi collegii Præfectus compellere cogitat omnes studiosos suos ad deferendum habitum & tonsuram clericalem, repugnantibus licet omnibus viribus studiosorum consanguineis. Teneturne in conscientia exequi pro-

positum suum, quamvis id cessurum sit in præjudicium collegii?

℟. Cum Concilia & Pontifices sanciverint, ut omnes Beneficiati cujuscumque demum ætatis tonsuram & habitum clericalem deferant, tenetur Collegiarcha in conscientia urgere observantiam saluberrimarum harum constitutionum; etiamsi prævideat, plures studiosos ex collegio eapropter fore revocandos a consanguineis: hæc enim ratio non excusaret Præfectum ab obligatione sua. *Pontas.*

CASUS II. Ignatius artibus cujusdam amici sui, quem mediante summa quingentorum florenorum patronum sibi conciliaverat, collegiarchatum quemdam adeptus est; cumque muneri huic jus annexum sit nominandi ad stipendia in collegio vacantia, a quolibet novo stipendiario exigit honorarium quinquaginta florenorum propriæ indemnisationis prætextu. Potestne id fieri absque peccato?

℟. Cum Ignatius nec potuerit nec debuerit sibi adipisci collegiarchatum pretio pecuniario, ita nec potest nec debet exigere quidpiam a novis stipendiariis. Hæc & similia longe debent abesse ab omni commercio: certum enim est, quod fundatores horum stipendiorum intenderint, ut ea conferantur gratis; nec ea fundata sunt nisi pro studiosis pauperibus, a quibus sane iniquum est exigere pecunias pro illorum consecutione. *Pontas.*

PRÆMONSTRATENSES.

1. Religiosi *Præmonstratenses* sunt Canonici Regulares, nomen suum sortiti ab Abbatia, quæ est caput totius Ordinis, in Picardia sita, & a S. Norberto anno 1119. instituta. Mox ab exordio alios non habebant redditus, quam quos ex cæsura arborum in saltu Cordiacensi percipiebant; at vero brevi tempore ad amplissimas pervenerunt divitias. Superstite S. Norberto monasteria utrique sexui erant communia; verum anno 1137. Moniales in alia translatæ fuerunt domicilia. In Gallia quidem his temporibus non amplius existunt hujus Ordinis Moniales; at in Germania sunt plures conventus, & quædam Abbatissæ principali fulgent dignitate; nec desunt in Hispania ejusmodi Moniales, quæ tamen Vicario generali hujus circariæ subjectæ sunt. Anno 1460. toti Ordini ex dispensatione Pii Papæ II. abstinentia ab esu carnium fuit relaxata. Circaria Hispaniæ specialem constituit Congregationem, ejusve Vicarii Generalis, qui nunquam potest ad munus abbatiale assumi, potestas est amplissima, nihilque inferior potestate

ftate Generalis Ordinis, nifi ipfemet in Hifpania fit præfens. In Lotharingia alia floret Congregatio proximo fuperiore fæculo exorta, in qua obfervantur primævæ confuetudines & difciplina Præmonftratenfis. Vicarius Generalis, qui quovis triennio eligitur, totius Congregationis Superior eft ac judex immediatus.

2. Anno 1621. quibusdam Patribus, qui reformationem Ordinis in Lotharingiam invexerant, data eft a Rege poteftas eamdem introducendi in omnia monafteria totius Galliæ ad primævum Ordinis rigorem afpirantia. Qui reformationem hanc amplexi funt, fervarunt fibi domos fuas unacum jure poffidendi parochias. At vero parochis excutere jugum fui Generalis ac pro fuo ipforum arbitratu vivere volentibus ingentes controverfiæ ac diffenfiones exortæ funt. Libertas eorum eo usque devenit, ut Parifios aut in alias urbes venientes divertere detrectarent ad collegia Ordinis fui, fed in hofpitiis ac publicis diverforiis degerent. Hinc Generalis contra hunc fimilesque abufus ftatutum condidit fub interminatione fufpenfionis, excommunicationis ac etiam incarcerationis in eos, qui ordinationi huic obedire noluerint.

CASUS. Abbas Præmonftratenfis, generalis Superior Ordinis, femperne habet poteftatem ac jurisdictionem in fuos Religiofos, ex quo parochias obtinuerunt? Quousque extendit fe hæc ejus poteftas? Quibusnam pœnis poteft animadvertere in eos, qui officio fuo defuerint?

℟. Abbas generalis perpetuo confervat jurisdictionem aliquam in fuos Religiofos, etiam ad parochias expofitos; quia ut parochi non ceffant effe Religiofi. Ad hæc & ipfi immediate vel faltem mediate concurrerunt ad electionem ipfius, ac infuper ftatuta, ad quorum obfervantiam fe fe obligarunt, eos fubiiciunt Superiori non tantum generali, fed etiam Superioribus particularibus monafteriorum, a quibus dependent parochiæ ipforum regulares. Omnes Bullæ Pontificiæ præcipiunt Religiofis, ut agnofcant jurisdictionem fui Superioris regularis; & hæc difciplina eft ubique recepta. Alexander III. ftatuit, ut parochus regularis, fola Sacramentorum adminiftratione excepta, circa reliqua omnia rationem reddat Superiori fuo regulari, præfertim vero circa obfervationem regulæ, & difpenfationem redditunm parochiæ, etiam quoad temporalia incorporatæ monafterio. Supponitur ergo ejusmodi parochus femper effe Religiofus, femperque obligatus ad implenda officia Religiofi. Etfi proin teneatur rationem reddere Epifcopo quoad adminiftrationem Sacramentorum, & morum honeftatem, Superior ipfius non propterea

 exclu-

excluditur, quo minus & ipse istis invigilare possit ac debeat. Denique Generalis Præmonstratensis, sicut reliqui omnes religiosorum Ordinum Generales, potestatem quasi - episcopalem obtinet in Religiosos suos, eosdemque potest excommunicare. Dumque excommunicat quemquam horum parochorum, qui v. g. negotiorum causa Parisios veniens recusat divertere ad domicilium Ordinis sui, non excommunicat Religiosum residentem in sua parochia, & in diœcesi sua, sed ex loco Beneficii sui egressum, atque extra Ordinis sui domicilia in loco statui suo non competente commorantem; adeoque talis excommunicatio nihil præjudicat potestati episcopali, nec functiones parochiales turbat. Potest quis juxta dispositionem juris communis esse subjectus Episcopo, simulque stare sub obedientia Superioris regularis. Omnes ferme Bullæ Pontificiæ sæculi XII. approbant, imo confirmant dependentiam parochorum regularem Ordinem professorum a suo Superiore regulari circa ea, quæ ipsi ut Superiori competunt, & in quibus jus ipsi suffragatur, ut est dispensatio reddituum parochiæ regularis, & observantia constitutionum religiosi status, inquantum eæ sunt compatibiles cum functionibus pastoralibus: & hoc non obstante salva manet obligatio, qua parochi Religiosi Episcopo suo tenentur rationem reddere de spiritualibus, & cura animarum parochiæ suæ. *Fromageau.*

PRÆSCRIPTIO.

1. *Præscriptio* est modus aquirendi & amittendi jus proprietatis in aliqua re per lapsum temporis; vel melius: est aquisitio proprietatis alicujus rei bona fide ac sine interruptione per tempus a lege definitum possessæ. Præscriptio sic explicata introducta fuit in favorem boni publici, & pro conservanda tranquilitate ac pace in familiis. *Bono publico usucapio introducta est*, inquit Lex *Bono publico*. 1. ff. Lib. 41. Tit. 3. *ne scilicet quarumdam rerum diu & fere semper incerta dominia essent; cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium.*

2. Usucapio & præscriptio in hoc quidem conveniunt, quod utraque vox significet modum acquirendi proprietatem rerum per lapsum temporis; præscriptio tamen insuper indigitet modum aquirendi aut amittendi omnis generis jura & actiones post lapsum temporis a jure determinati. Hinc duplex distinguitur præscriptio: una est, qua possessori aquiritur jus proprietatis rei possessæ, & proprietario adimitur; eo quod

quod nec eandem possederit, nec ab alio possessam revocaverit. Altera est, qua aquiruntur vel amittuntur quæcumque jura, quæ in commercio humano sunt, sive interveniat aliqua possessio, ut in usu servitutum, sive nulla interveniat possessio, ut in amissione debiti nunquam a creditore exacti. Utraque hæc præscriptio fundatur in præsumptione, quod possessor non absque justo titulo vel legitima causa rem possederit, quodque proprietarius quocumque demum modo, vel quacumque ex causa rem possidere noluerit, ac jus proprietatis dimiserit.

3. Nunquam præscribi possunt res aut jura, quorum proprietas aquiri non potest, excepto casu, quo v. g. jus spirituale foret annexum rei corporali, ut jus Patronatus prædio aut domui: præscribens enim domum vel prædium censetur præscribere etiam jus Patronatus, juxta communem regulam: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

4. Ad aquirendum jus præscriptionis necessarium non est, ut possessio fuerit continuata ab una sola & eadem persona durante toto tempore a legibus determinato. Sic tempus illud, quo v. g. rem possedit defunctus, jungitur tempori, per quod possessionem continuavit hæres ipsius, licet aliquod temporis intervallum intercesserit; eoquod v. g. non statim ut hæredem se declaraverit, vel de vacante successione nullam aliquamdiu notitiam habuerit, vel denique hæreditas litigiosa fuerit.

5. Possessio semper censetur fuisse continuata non obstantibus intervallis, quibus actu a possessore non fuit exercita possessio. Hinc, si possideo agrum, quem primo anno excolo, licet per subsequens decennium absque omni cultura maneat, non desino continuare possessionem; dummodo eum in potestate mea detineam cum intentione continuandi possessionem: licet enim per solam intentionem possidendi non aquiritur possessio, ea tamen semel aquisita conservatur per solam intentionem juxta L. *Licet.* 4. Cod. Lib. 7. Tit. 32. *Licet possessio nudo animo aquiri non possit, tamen solo animo retineri potest.*

6. Ad legitimam præscriptionem semper in possessore requiritur bona fides; sique bonæ fidei superveniat etiam complementum totius temporis ad præscribendum requisiti, proprietarius non admittitur amplius ad probandam malam fidem possessoris. Nihilominus tamen hæres illius, qui bona fide aquisivisset rem non pertinentem ad illum, a quo ad se translata est, excipitur ab hac regula.

7. Poteſt quis præſcribere per alium, veluti per tutorem, curatorem, locatarium &c. Nullus poſſeſſor, qui rem non poſſidet nomine proprio, poteſt unquam præſcribere, ut ſunt locatarii, depoſitarii, tutores &c. Diuturna abſentia negotiorum publicorum cauſa, vel ob captivitatem impedit præſcriptionem.

8. Tempus præſcriptionis ceſſat currere, ex quo prima petitio contra poſſeſſorem apud judicem facta eſt. Poſſeſſor ex poſſeſſione dejectus per ſolam vim facti, abſque judicis authoritate, ſemper pro poſſeſſore habetur; quia habet jus redeundi in poſſeſſionem, eamque continuandi.

CASUS I. Agatho bona fide poſſedit fundum tanto tempore, quantum a legibus ad præſcribendum requiritur. Poteſtne in conſcientia uti jure præſcriptionis ad ſe ſe eximendum a reſtitutione facienda illi, qui fundi proprietarium ſe eſſe probat? Idemne etiam dicendum de malæ fidei poſſeſſore?

℞. Certum eſt, poſſeſſorem bonæ fidei poſſe uti jure præſcriptionis in utroque foro poſt poſſeſſionem tempore a legibus teterminato continuatam. Sic docet D. Thomas Quodl. 11. art. 4. C. ubi ait: *Si quis præſcribat bona fide poſſidendo, non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciat, alienum fuiſſe poſt præſcriptionem; quia lex poteſt pro peccato & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere.* Aliud dicendum de poſſeſſore malæ fidei: dicit enim Bonifacius VIII. Reg. jur. 2. in 6. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit;* id autem ſolum intelligendum eſt de foro *interno*: nam quoad forum *externum* jus civile, ad conſervandam pacem familiarum, poſt tricennalem pacificam poſſeſſionem non amplius curat, utrum fides poſſeſſorum fuerit bona vel mala. Quod autem Eccleſia quoad hoc punctum non recipiat diſpoſitionem juris civilis: ratio eſt; quia, ut D. Thomas obſervat, Principes in ſuis legibus ſolum reſpiciunt ad tranquillitatem temporalem Statuum ſuorum, cum Eccleſia principaliter intendat quietem conſcientiarum & ſalutem fidelium; leges civiles præprimis intendunt terminare litigia ac proceſſus judiciales, cum eccleſiaſticæ tendant ad impedienda peccata. *Pontas.*

CASUS II. Arthurus bona fide jam a vicennio & ultra poſſidet bonum immobile antehac a ſe emptum, neſciente Philippo vero fundi proprietario præſcriptionem contra ſe currere, quin etiam ignorante, fundum hunc ad ſe pertinere, ita ut ex hoc capite nullius poſſit incuſari negligentiæ. Poteſtne Arthurus uti jure præſcriptionis ad retinendum dictum fun-

fundum, casu quo Philippus edoctus fundi proprietatem ad se pertinere, ejusdem restitutionem apud Judicem urgeat?

℟. Si Arthurus fuerit fundatus in titulo emptionis, potest illæsa conscientia uti jure præscriptionis, & retinere fundum, quem per vicennium pacifice ac nemine contradicente possederat, licet postea resciat, Philippum ejusdem revera esse proprietarium. Hoc tamen non obstante dantur auctores, qui tuentur, præscriptionem hanc non esse conformem spiritui legum, quæ videntur conditæ ad puniendam præcipue illorum negligentiam, qui diutius differunt inquirere in jura sua, eaque conservare, casum tamen calamitatis publicæ excipientes; indeque concludunt: inique puniri privatione rei suæ aliquem, nisi postquam negligentiæ in ea conservanda reus deprehensus fuerit: attamen fundamentum hujus sententiæ nec solidum nec verum est. Legislatores introduxerunt præscriptionem ad præveniendas ac tollendas turbas, quæ nascerentur ex incertitudine dominiorum, & ut impediant, ne proprietates bonorum maneant incertæ. *Pontas.*

CASUS III. Pelagius bona fide novennio abhinc possidet domum sibi ab Arnaldo legatam, licet ad hunc non pertineret; cum vera domus proprietas inter Joannem, Jacobum, tresque alios divisa esset. Joannes ex charta valde authentica edoctus, juris in hanc domum partem aliquam sibi quoque competere, causa ad judicem contra Pelagium delata, proprio nomine repetiit, Jacobo & reliquis tribus insciis, qui non nisi quindecim jam elapsis mensibus in litis societatem venerunt. Possessio itaque Pelagii hoc modo a Joanne turbata ac interrupta ante completum decennium a jure ad præscribendam rem immobilem requisitum, estne censenda interrupta etiam in favorem Jacobi & sociorum, qui expleto jam decennio tardiores liti intervenerunt? Habetne jus aliquod Pelagius tuendi se contra hos possessione decennali completa, maxime cum omnes in eadem provincia domicilium habeant?

℟. Cum Joannes domus hujus sit verus proprietarius una cum Jacobo & aliis, egeritque apud judicem pro restitutione domus ante decennium elapsum, Pelagius cessat esse possessor bonæ fidei respectu omnium comproprietariorum, neque possessio ejus ipsi prodest quidpiam. *Possessio ita demum est legitima*, ait L. *Nemo* 10. Cod. Lib. 7. Tit. 32. *cum omnium adversariorum silentio & taciturnitate firmatur: interpellatione vero & controversia progressa, non potest is intelligi possessor, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatio-*

ne, & causa in judicium deducta, super jure possessionis vacillet ac dubitet. Pontas.

CASUS IV. Pipinus tutor Arnulphi reddita minorenni suo, ubi majorennitatem adeptus est, de administrata tutela ratione, immisit ipsum in possessionem omnium bonorum, & inter alia prædii cujusdam rustici 150. agrorum jugera ambitu suo complexi, exceptis tantum duobus jugeris prati cujusdam, quæ viginti aliis ad se proprie pertinentibus jugeris contigua erant. Pipinus serio persuasum sibi habens duo etiam hæc jugera sua esse, totum pratum locat Hyppolito, qui singulis annis persoluto fideliter pretio ex conventione debito, fundi hujus possessionem per 30 annorum nunquam interruptam ser em bona fide continuat. At vero Arnulphus invento postmodum documento authentico, ex quo constabat, duo præfata jugera sui solius dominii esse, de recuperanda prati possessione contra Pipinum agit, qui præscriptionem ipsi objicit fundatam in possessione decem annis ultra tempus a lege statutum continuata. Potestne Pipinus sæpe dictum pratum bona conscientia sibi retinere?

℞. Qualitas seu onus tutelæ non destruit in Pipino fundamentum legitimæ præscriptionis; quod quidem fundamentum est bona fides conjuncta tempori a jure taxato: adeoque absque ullo conscientiæ scrupulo pratum hoc sibi poterit retinere. *Pontas.*

CASUS V. Jam solidum effluxit vicennium, ex quo Constantinus a Clemente emit tria jugera vineæ, quorum proprietarius tunc erat minorennis quidam, quinque tantum annos ætatis habens. Minorennis hic majorennitatem adeptus inventis documentis titulum proprietatis in hac vinea sibi competentis demonstrantibus, de ejusdem restitutione contra Constantinum agit, salvo jure recursus adversus Clementem. Potestne Constantinus eximere se ab onere restitutionis per exceptionem præscriptionis, munitam titulo emptionis & tam diuturnæ possessionis bona fide usque in præsentiarum continuatæ?

℞. Non potest præscribi contra minorennes durante minorennitate ipsorum; immo nec inchoari contra ipsos præscriptio potest, antequam majorennitatem attigerint; & hinc vi legis *Non est.* 3. Cod. Lib. 7. Tit. 35. Constantinus tenetur restituere tria jugera vineæ. Unde sequitur, quod, si aliqua res, sive fundus sive jus v. g. servitus aut aliud pertineret indivisim ad majorennem & minorennem, illa præscribi non posset; quia minorennis nequit perdere proprietatem per præscriptionem durante minorennitate currentem. *Si communem,* ait,

ait Lex 20. ff. Lib. 8. Tit. 6. *fundum ego & pupillus habremus, licet uterque non uteretur, tamen propter pupillum & ego viam retineo.* Dicitur, *indivisim*: nam si fundus communis inter majorennem & minorennem divideretur, servitus posset præscribi contra majorennem, non autem contra minorem; quia in casu divisionis causa eorum non amplius communis erit. *Pontas.*

CASUS VI. Salvius bona fide per integrum novennium fuit possessor domus ad se titulo legati transmissæ a Joanne, licet hic ejusdem non esset verus proprietarius. Post tempus Salvius illam reliquit Bernardo hæredi suo, in cujus possessionem hic transiit decem mensibus a morte Salvii. Sed post trimestre inchoatæ possessionis lis ipsi fuit mota a Jacobo luculentis argumentis comprobante sibi, nec cuipiam alteri, præfatæ domus competere dominium. Teneturne Bernardus ad restitutionem domus? An vero potest opponere præscriptionem, non obstante intervallo decem mensium, quod a morte testatoris usque ad aditam possessionem intercesserat?

℟. Bona successionis a defuncto relictæ censentur possessa ab ipsa hæreditate; hinc temporis intervallum actuali possessore destitutum non interrumpit cursum præscriptionis. Adeoque Bernardus non tenetur reddere domum, de qua quæritur. *Vacuum tempus,* Leg. *Nunquam.* 31. §. 5. ff. Lib. 41. Tit. 3. *quod ante aditam hæreditatem, vel post aditam intercessit, ad usucapionem hæredi procedit. Pontas.*

CASUS VII. Jossellnus bona fide per novennium possedit jugerum sylvæ cæduæ a Bertrando emptæ, quam morti proximus Oliverio hæredi suo ex testamento reliquit. Post biennii possessionem ex parte Oliverii vicinus quidam per titulos authenticos apud judicem exhibitos jugeri hujus proprietatem evicit, sylvamque sibi reddi postulavit, maxime cum Oliverius ob possessionem duntaxat biennalem non possit opponere jus præscriptionis contra titulum a se productum ac probatum.

℟. Vicinus iste nullum habet jus inquietandi Oliverium in sua possessione. Quando possessor bonæ fidei moritur ante completam præscriptionem alicujus fundi, continuante interim ipsius hærede bona fide possessionem ad se translatam, tempora utriusque possessionis debent conjungi, sique taliter conjuncta adæquent tempus ad legitimam præscriptionem a jure requisitum, juxta Leg. *De accessionibus.* 14. §. 1. ff. Lib. 44. Tit. 3. præscriptio hæredi erit aquisita. Id tamen intelligendum est de casu, quo utraque possessio est bonæ fidei, ut

in præſenti caſu, & inſuper continua ſine interruptione; ita ut v. g. prima poſſeſſio non fuerit interrupta per poſſeſſionem tertii, aut per petitionem cum fundamento coram judice factam. *Pontas.*

CASUS VIII. Pantaleon Abbas Vitali vendidit ſylvam cæduam ad ſuam Abbatiam pertinentem, absque tamen conſenſu ſuorum Capitularium, aliiſque conſuetis ſolemnitatibus; pretium 2000. florenorum ab emptore ſibi perſolutum (magna quippe tunc temporis populum affligebat annonæ inopia) in pauperes erogavit. Poſſeſſione vero ſylvæ aliquamdiu poſt a Vitale in Robertum jure pariter emptionis translato, ſucceſſor Pantaleonis unacum ſuis Capitularibus in ſylvæ hujus poſſeſſionem reſtitui judicialiter petit, utut jam per continuos quadraginta annos a Roberto poſſeſſæ. Fundamentum monaſterii erat, quod contractus venditionis a Pantaleone celebratus vitioſus fuerit. Eximitne in caſu hoc Robertum a reſtitutione ſylvæ bonæ fidei poſſeſſio?

℟. Certum omnino eſt, quod non obſtante vitioſo titulo primi aquiſitoris, tertius qui bonum immobile eccleſiæ bona fide per 40. annos ut poſſeſſor tenuit, tuto ac bona conſcientia poſſit uti jure præſcriptionis contra Beneficiatum in poſſeſſionem redire cupientem. Si ita non eſſet, vix poſſibilis foret caſus, quo præſcriptio contra eccleſiam, licet per quadraginta annos bona fide continuata haberet locum. *Pontas.*

CASUS IX. Samuel in provincia Turonum degens bona fide ſexennio abhinc integro decem agri fertilis jugera tenet a quodam amico ſibi legata. Cyrillus in eadem provincia domiciliatus prætendit agri hujus proprietatem ſibi deberi vi tituli nuper a ſe inventi. In judicium ergo vocat Samuelem, ſed poſtquam aliquoties inter ipſos ultro citroque fuit diſputatum, ſponte liti renunciat, Samuele exhinc poſſeſſionem per quatuor annos continuante. Quæſtio jam eſt, an decem hi anni ſufficiant ad jus legitimæ præſcriptionis.

℟. 1. Si Samuel nunquam ceſſaverit eſſe poſſeſſor bonæ fidei tam durante inſtantia apud Judicem, quam poſtea, præſcriptionis tempus ſemper currit in ipſius favorem, non obſtante Cyrilli judiciali interpellatione. 2. Si durante inſtantia, utút lapſu trium annorum perempta, factus eſt malæ fidei poſſeſſor, ſive pendente adhuc cauſa, ſive ea deſerta a Cyrillo, non poterit deſcribere in foro interno. 3. Si Samuel rationabiliter dubitare incepit de bona fide ſua, ſive in ipſa judiciali inſtantia, ſive poſt inſtantiam, licet lapſu trium annorum negligentiæ jam peremtam, id non impedit, quo minus prodeſſe ipſi queat præſcriptio pro foro interno: præſcriptio

ptio quippe non cessat currere, licet tantum sit *possessor non bonæ fidei. Pontas.*

CASUS X. Calvimundus furto abstulit Luciano adamantem mille aureorum pretio æstimatum, & aliquanto post repente e vivis sublatus est. Stephanus filius ipsius & hæres unicus gemmam hanc inter alia hæreditatis mobilia inventam patris sui fuisse credidit, eamque per annos triginta & amplius bona fide penes se asservavit. Lucianus viso & mox agnito adamante pro illius restitutione agit, invictis argumentis demonstraturum se asserens, quod suus esset. Stephanus rei veritate perspecta & probata, teneturne ad restitutionem, non obstante longa sua possessione?

℟. Possessio tricennalis bonæ fidei hujus adamantis non eximit ab onere ipsum restituendi. Hæres universalis censetur una sola & eadem persona cum defuncto, in cujus bona succedit Leg. *Hæres.* 22. ff. Lib. 41. Tit. 3. Jam vero, cum Calvimundus fuerit possessor malæ fidei, ipsa hæc mala fides imputatur Stephano unico illius hæredi. Leg. Vitia. 11. Cod. Lib. 7. Tit. 32. Aliud dicendum foret, si Stephanus esset tantum donatarius vel legatarius particularis: in hoc enim casu juxta Leg. *An vitium.* 5. ff. Lib 44. Tit.3. posset uti præscriptione triginta annorum. *Pontas.*

CASUS XI. Hyppolitus bona fide emit ab Ursino rem, quam hic injusta usurpatione tenebat a suo vicino, eamque postmodum vendidit Theodosio, qui ejusdem mansit possessor bonæ fidei durante toto tempore ad præscriptionem requisito. Estne ergo legitimus proprietarius jure præscriptionis?

℟. Mala fides, quacum Ursinus rem possedit, non potest impedire jus præscriptionis respectu Theodosii, modo durante toto tempore ad præscribendum necessario nullam habuerit notitiam de mala fide Ursini. Ita definitur *Institut.* Lib. 2. Tit. 6. initio; id quod etiam probatur ex constitutione Imperiali Authent. *Malæ fidei.* Cod. Lib. 7. Tit. 33. ubi dicitur: *Malæ fidei possessore alienante cessat longi temporis præscriptio si verus dominus ignorat suum jus & alienationem factam: spectatur ergo triginta annorum defensio. Pontas.*

CASUS XII. Gustavus parochiæ Toparcha ultra quinquaginta jam annos possidet tractum prati vel agri horto suo olitorio contermini. Bertrandus parochus invictis argumentis probat; tractum illum olim fuisse partem cœmeterii, & idcirco pro ejus restitutione instat. Renuit Gustavus opponendo possessionem bonæ fidei, & præscriptionem plus quam sufficientem contra bona Ecclesiæ. Habetne fundamentum hæc Toparchæ exceptio?

℟. Non

℟. Non possunt legitime præscribi, nisi quæ sunt de commercio humano, & quæ possunt cedere in dominium privatorum. Atqui res illæ, quas jus vocat *Sacras*, uti Ecclesiæ, Capellæ, eæque, quas *Religiosas* nuncupat, uti cœmeteria, quæque stilo Juris Romani vocantur *Sacræ*, veluti viæ publicæ, mœnia, & portæ civitatum &c. non sunt de commercio humano nec pertinent ad personas privatas; adeoque cum tractus ille terræ, de quo quæritur, sit de numero rerum *Religiosarum*, Gustavus non potest se tueri præscriptione, tenetur que ad restitutionem. Idem foret dicendum de pensione constituta pro adimplenda pia fundatione. Jus autem patronatus annexum alicui fundo sequitur sortem fundi quoad præscriptionem; cum sit accessorium fundi. Leg. *Quædam*. 62. ff. Lib. 41. Tit 1. *Pontas*.

CASUS XIII. Felicianus vir ditissimus tenetur Gualterio loci domino singulis annis in recognitionem dominii persolvere tres florenos cum dimidio. Gualterius sciens, Felicianum abundare pecuniis, volensque, ut singulæ hæ præstationes annuæ in summam excrescerent majorem, per triginta octo annos nec obolum ab eo petiit. Jam demum solutionem petenti respondit Felicianus, equidem verum esse, quod toto hoc tempore præstationem suam non persolverit, se tamen modo non teneri nisi ad præstationes viginti novem annorum, reliquis per legitimam præscriptionem extinctis. Teneturne in conscientia etiam solvere præstationes reliquorum novem annorum?

℟. Census aut pensio, vel quæcumque alia res jure debita nunquam subjacet præscriptioni, etiam quadraginta annorum, nisi debitor sit in bona fide; & leges Romanæ non permittentes, ut post tam longum temporis spatium possessores etiam malæ fidei turbentur, non possunt adoptari pro regula conscientiæ, utpote ex rationibus mere politicis ac civilibus conditæ; id quod evidentissime declaratum est a Concilio Lateranensi IV Can. 41. sub Innocentio III. Secus se res habet in pensionibus, ex quibus anteriores antiquioresque præstationes non aliter debentur quam ex lege Principis, cui contrahentes mutuo sese consensu subjecerunt, quique ob bonum publicum easdem fixit ad certum annorum numerum, ut præcaverentur ruinæ debitorum, qui vel ex solvendi impotentia vel ex negligentia paterentur, ut anteriorum præstationum numerus pene in immensum excresceret. Quare in casu proposito Felicianus non potest tuta conscientia eximere sese remedio præscriptionis, cum præstationes anteriores dominicales debeantur Domino ex ipsa natura rei. Adver

vertendum hic, quod in non nullis locis consuetudo recepta sit etiam contra famulos, ancillas domesticas, mercatores & operarios præscribendi, ita ut post lapsum certi temporis non amplius possint petere solutionem: quidquid sit de ejusmodi præscriptione legali vel consuetudinaria: certum est, ipsis coram Deo nunquam subtrahi posse solutionem, utpote debitam jure naturali ac divino, contra quod præscribi nunquam potest. *Pontas.*

CASUS XIV. Ennodius jam ab annis quadraginta & ultra possidet silvam, per testamentum sibi a patre relictam, qui & ipse totidem fere annis eandem ut suam tenuerat. At ecce! adsunt commissarii vindicandorum ac recuperandorum bonorum dominialium Principis negotio præpositi, qui restitutionem silvæ dominialium Principis partem constituentis ab Ennodio petunt. Juvabitne Ennodium hoc in casu jus præscriptionis?

℟. Quidquid in Gallia de dominio Regis est, est inpræscriptibile, nisi possessio integrum sæculum excedat; adeoque Ennodius restitutionem silvæ non potest negare Commissariis regiis. Noscuntur tamen etiam in Gallia casus, in quibus bona dominialia Regis alienari possunt & quidem ante tempus centenariæ possessionis, scilicet 1. in necessitate inevitabili gerendi bellum contra inimicos patriæ. 2. pro fundatione ecclesiarum, seminariorum vel hospitalium. 3. pro comparandis congruis redditibus Regis filiis. Verum perpetuo Rex gaudet jure reluendi bona ejusmodi alienata. *Pontas.*

NOTA. Usum hujus principii, *quod contra Principem non detur præscriptio*, non modo in aulas Imperatorum ac Regum, sed & inferiorum Germaniæ Principum adulatio invexit aulicorum.

CASUS XV. Poteftne Princeps suprema sua auctoritate malæ fidei possessori concedere dominium rei, toto tempore a legibus statuto ab eodem possessæ?

℟. Utut suprema sit & illimitata Principis auctoritas, nunquam potest sibi arrogare tantam potestatem. Auctoritas Principis ex doctrina D. Thomæ *Quodl.* 12. art. 24. ad 1. non aliter se extendit ad bona suorum subditorum, quam ut veris dominis suis eadem conservet, non vero auferat vel ea sibi retinendo, vel ad alios, neutiquam dominos, transferendo. *Pontas.*

CASUS XVI. Medardus per decennium possedit dimidium agri jugerum a Joanne emptionis titulo acquisitum, cujus tamen genuinus possessor erat Reinaldus ejus vicinus. Quod ubi innotuit Reinaldo, Medardum conveniri de agro redden-

do

do jussit ; at vero provocatio hæc nonnisi ad vesperam ultimæ diei decennium complentis facta est, ita ut quinque tantum vel sex horæ completo decennio deessent. Excipit ergo tenetque Medardus, tempus a lege statutum pro usu præscriptionis, expletum esse, si pauculas horas excipias, quas omnino non attendendas esse prætendit. Habetne sufficiens fundamentum assertionis suæ?

℟. Medardus non potest in conscientia recusare restitutionem dimidii jugeri: licet enim effectus præscriptionis sit favorabilis præscribenti, favor tamen hic non eo usque se extendit, ut tempus lege taxatum abbreviari possit ad spoliandum proprietarium. Regula illa: *illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil*, locum non habet in iis rebus, quæ sunt determinatæ & taxatæ per leges: sic enim v. g. Clericus non potest absque crimine, & pœnarum Canonicarum incurrendarum periculo suscipere Ordines sacros, antequam dies ultimus ætatis ab Ecclesia præscriptæ ex integro exspiraverit. *Pontas.*

CASUS XVII. Episcopus Almeriensis invenit antiquum documentum, ex quo apparet, prædecessores suos habuisse jus conferendi Decanatum ecclesiæ cathedralis per electionem capituli, conferendique Decano *curam ecclesiæ & animarum*, in cujus tamen juris possessione Metropolitanus hucusque a centum & amplius annis erat. Collatio ergo *cum cura animarum*, quam Metropolitanus hic nuper primum Lucio concessit, estne canonica jure præscriptionis?

℟. Quando præscriptio habet omnes conditiones necessarias ad hoc ut legitima sit, collatio Metropolitani canonica est: una quippe ecclesia potest legitime præscribere contra aliam ecclesiam. *Ecclesia*, inquit Alexander III. Can. *Illud*. 8. Lib. 2. Tit. 26. *se potest adversus ecclesiam quadragenaria temporis præscriptione tueri de re illa, quam inconcusse quadraginta annis noscitur possedisse.* Et hinc Lucius, cum sit idoneus, & ex præscripto canonum provisus fuerit, poterit tuto ac tranquilla conscientia frui suo Beneficio. *Pontas.*

CASUS XVIII. Crispinus debet censum plurium annorum ex domo sibi locata. Possuntne hæredes ipsius declinare solutionem ope præscriptionis?

℟. Si vel contra unicum dictorum hæredum judicialis interpellatio fuit in tempore instituta, non poterunt præscribere solutionem. *Fromageau.*

CASUS XIX. Cajus Marchio injuste usurpavit quatuordecim jugera agri ad viduam quamdam pertinentis, eaque communi cum reliquis fundis suis septo ambienda curavit. Tene-

neturne hæres ipsius ea una cum fructibus hucusque perceptis restituere ?

℞. Tenetur omnino: neque enim præscriptio poterit illum eximere ab hac obligatione; cum ea nihil prout hæredi, qui succedens in bona defuncti tenetur ad omnia onera & obligationes defuncti, tanquam eadem cum eo persona, ad quam etiam mala fides authoris transit. *Fromageau.*

Vide *Restitutio* cas. 5. 7. 8. 9. 10. 12. & 13.

PRECARIUM.

1. *Precarium* definitur, quod sit *commodatum revocabile ad nutum concedentis.* Precarium finitur 1. dum precario concedens rem concessam repetit: si tamen res precario data repeteretur tempore adeo importuno, ut notabile damnum inferretur ei, cui data est, æquitas postularet, ut pro ratione circumstantiarum dilatio restitutionis indulgeretur, juxta regulam juris: *In omnibus quidem, maxime in jure æquitas spectanda.* Finitur 2. per mortem concedentis, quandocumque demum contingat.

2. Precarium sumitur etiam in latiori significatione, ut dum quis dicitur precario possidere, id est, sub alio quam proprietatis titulo, vel possidere fundum cum onere restitutionis. Sic vidua non nisi precario gaudet usufructu bonorum, suo tempore ad hæredes defuncti mariti redeuntium; & Beneficiatus censetur possidere suum Beneficium ejusque gaudere fructibus tantum precario; quia non ad eum, sed ad ecclesiam spectat Beneficii proprietas.

CASUS. Liminius rogavit Tullium, ut sibi commodet vasa argentea & quædam peristromata, pacta conditione, ut illa ad nutum sit restituturus, his autem ad trimestre uti possit. Annuit Tullius, & post dies quindecim moritur. Teneturne Liminius in conscientia precario data absque cunctatione hæredibus defuncti reddere. An vero licet ea retinere, iisdemque uti ad finem usque pacti trimestris ?

℞. Distinguendum est inter duo hæc precaria: illud vasorum argenteorum est precarium proprie tale, seu *quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur,* ut habetur Leg. *Precarium.* 1. ff. Lib 43 Tit. 26. quodque, quamprimum concedenti repetere placuerit, restituendum est. Alterum peristromatum potius est *Commodatum* quam precarium, seu conventio, per quam unus alteri concedit rem ad certum ac determinatum usum, & quousque ea opus

opus habuerit, *nulla mercede constituta vel accepta.* Quare Liminius ocyus post mortem Tullii tenetur reddere vasa argentea: potest vero ad constitutum trimestre retinere peristromata. *Pontas.*

PRIVILEGIUM.

1. Definitur *Privilegium*, quod sit *jus privatum indultum a Principe contra jus commune.* Hæc verba, *jus privatum*, denotant 1. causam privilegii debere esse justam; quia alias nullum accederet jus illi, in cujus favorem confertur. 2. per privilegium revera importari exceptionem a jure communi respectu hominis privati, in cujus commodum immediate cedit; id tamen non obstat, quo minus concessio privilegii vertat etiam ad bonum publicum, licet remote solum ac indirecte.

2. Privilegium vel est *personale*, quod extendi non potest ultra personam, cui concessum est juxta regulam juris: *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.* Vel est *reale* & transiens ad hæredes illius, qui id obtinuit.

3. Quando privilegium datum est contra legem, absolute requiritur, ut contineat clausulam expresse derogantem legi. Bartolus dicit, ejusmodi clausulam privilegio semel appositam derogare omnibus legibus ac constitutionibus, quæ & in futurum conderentur, & privilegio adversarentur.

4. Omne privilegium est stricti juris, nec potest extendi ad casus in eo non contentos.

5. Princeps, qui concessit privilegium, aut successor ipsius potest illud restringere, limitare, & revocare pro libitu, maxime si vergat in detrimentum publicum. Privilegium tamen concessum integræ provinciæ aut civitati, ac diuturno usu jam confirmatum tam facile revocandum non est. Qui abutitur concesso sibi privilegio, dignus est, ut eo privetur.

6. Privilegio integræ communitati, societati vel corpori concesso membrum particulare renunciare non potest: non enim favorem privatorum, sed totius corporis respicit. Sic Clericus, Beneficiatus, studiosus academicus, aut Ecclesiæ servitio dicatus non potest renunciare privilegio Clericis, Beneficiatis, studentibus aut Ecclesiæ ministerio vacantibus concesso.

CASUS

CASUS I. Æneas & Sylvanus juris studiosi inter se disputant, cujusnam proprie sit jus concedendi privilegia? contendit Æneas id competere Papæ; Sylvanus vero defendit, jus istud in solo residere Principe sæculari. Cuinam assentiendum?

℟. Est principium passim & ab omnibus receptum, quod nemo possit concedere privilegia, nisi qui jus habet ferendarum legum & in iisdem dispensandi. Nec Æneas ergo nec Sylvanus bene ratiocinantur. Regulariter loquendo Papa, cujus amplissima est potestas per totam Ecclesiam quoad spiritualia, non potest concedere privilegia nisi in rebus spiritualibus, & si quæ concedat in temporalibus, ea concessa intelliguntur pro statibus, in quibus supremum principatum exercet. Privilegia solum temporale spectantia a solis Principibus supremam auctoritatem exercentibus dari possunt. *Papa in spiritualibus*, inquit Angelus de Clavasio v. *Privilegium.* n. 2. *& Imperator in temporalibus regulariter* privilegia concedere potest. Addit tamen, quod Princeps sæcularis possit etiam ecclesiis impertiri privilegia in rebus a ditione sua dependentibus, & bonum Ecclesiæ concernentibus. *Pontas.*

CASUS II. Anaximenes Acolythus, quod plagis male mulctasset æedituum parochialis ecclesiæ, ad tribunal judicis regii fuit evocatus. Ubi comparuit, fori hujus incompetentia objecta petiit remitti ad Officialem ob privilegium clericale, quo gaudere se existimabat. Recusat judex, causaque sibi vendicata Acolytum ad mulctam pecuniariam æedituo solvendam condemnat, simul & ad expensas. Teneturne sententiæ huic submittere se Anaximenes?

℟. Juxta Tridentinum Sess. 23. de refor. c. 6. *Clericus tonsura initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus non gaudet privilegio fori, nisi Beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.* Si ergo ex parte Aximenis nulla prorsus ex enumeratis conditionibus reperiatur, nullum profecto ipsi jus competit declinandi forum sæculare. Observandum hic 1. Qui, utut Clericus, est conjugatus, non gaudet privilegio clericali; quia matrimonium contrahendo eidem renunciasse censetur. 2. Si Clericus in eum statum deveniat, quo gaudere possit & debeat privilegio clericatus, non est in ejus potestate eidem renunciare; cum non sit dominus privilegii. 3. Clericus munus aliquod judiciarium exercens; eo ipso privilegium clericale amittit,

& potestati sæculari subjectus esse censetur. 4. Clericus commerciis & negotiationi se se immiscens nunquam potest allegare privilegium clericale, ut a jurisdictione sæculari sese eximat quoad rem commercialem. *Pontas.*

CASUS III. Sivranus obtinuit a Principe privilegium sub tenore verborum haud satis determinato & in varios sensus exponibili. Poteftne uti hoc privilegio in sensu, quantum fieri potest, latissimo, quotiescumque id in commodum proprium vergit?

℞. Decisio quæstionis hujus dependet a pluribus principiis ac regulis, ex quibus plurimæ difficultates hac in materia resolvi possunt. 1. Generaliter loquendo privilegia stricte sunt intelligenda & explicanda. Ratio est; quia privilegium est lex particularis, quæ juri communi derogat, illudque quasi vulnerat: *Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatæ leges*, ut loquitur S. Isidorus Can. *Privilegia.* 3. dist. 3. unde merito dici potest, *privilegium* ex eo appellari, quod sit *plaga legis.* 2. Quando privilegium non adversatur juri communi, sed solummodo consuetudini vel statuto particulari, potest favorabiliter exponi & sumi in sensu latiore. 3. Dum verba concessi privilegii sunt ambigua & æquivoca, solius concedentis est illud interpretari, fixumque sensum determinare. 4. Quando termini nec ambigui sunt nec obscuri, eorumdem tenori exacte insistendum est. 5. In dubio semper sensus magis expendendus & attendendus est, quam cordex verborum. 6. Verba privilegii favorabiliter interpretanda sunt, lateque, quantum rationabiliter fieri potest, extendenda, nisi privilegium versetur circa rem odiosam. 7. Denique interpretatio in nullius vergere debet præjudicium, nec notabiliter lædere jus commune. Et ex his principiis de Sivrani privilegio judicium ferendum est. *Pontas.*

CASUS IV. Sosthenes cum a Principe speciale privilegium obtinuisset, post octiduum moritur. Transitne hoc privilegium ad hæredes & successores ipsius?

℞. Si privilegium hoc est mere personale, non transit ad hæreredes Sosthenis: si vero est reale, eo gaudere possunt hæredes. *Personale privilegium extinquitur cum persona*, ait author Glossæ in leg. *Ætatem.* 3. ff. Lib. 50. Tit. 15. De privilegio autem reali loquens dicit: *Hoc enim transit cum re.* v. g. Officialis exercitus ob bene præstita servitia obtinet a Principe privilegium exemptionis ab omni tributo, tutela aut aliis hujusmodi oneribus; eo mortuo liberi aut alii hæredes nullum habent jus hoc privilegium in se transferendi; quia fuit concessum soli personæ defuncti, & facta in instru-

ſtrumento privilegii expreſſio neceſſario infert excluſionem omnis alterius. Non autem ita eſt circa privilegia realia: hæc enim tranſeunt ad liberos illorum, quibus fuere conceſſa. Sic ſi Princeps ignobilem ac hominem plebejum evexit ad ſtatum nobilitatis, hæc conceſſio etiam tranſit ad liberos, ſi quos habet; quamvis hæredes illius collaterales eandem ſibi non poſſint attribuere. Idem dicendum de privilegiis eccleſiaſticis; quia conceſſa ſunt clericatui, id eſt, toti Clericorum ſtatui. *Pontas*

CASUS V. Pollio creditor privilegiatus ſummæ 5000. florenorum Renato ad ædificandam domum commodatæ, & Ruſticus creditor pariter privilegiatus æqualis ſummæ eidem ad perficiendum ædificium mutuo datæ, diſputant inter ſe, quisnam alteri quoad ſolutionem præferendus ſit; eo quod mutuum Pollionis integro trimeſtri antiquius ſit mutuo Ruſtici. Poſt triennium ambo creditores ex decreto judicis immittuntur in domum Renati, prætenditque Pollio ſolutionem integram ſui debiti ante Ruſticum, qui prævidens periculum amittendi penitus ſuam ſummam, pro obtinenda concurrentia cum Pollione huic litem intendat. Poteſtne ſic agere ſalva juſtitia?

℟. Pollioni concurrentiam ad æqualem ſolutionem abnuenti juſtiſſime litem intentat Ruſticus: *Privilegia non ex tempore æſtimantur*, dicitur Leg. *Privilegia*. 32. ff. Lib. 4. 2. Tit. 5. *ſed ex cauſa; & ſi ejusdem tituli fuerunt, concurrunt, licet diverſitates temporis in his fuerint.* Licet ergo præfatæ Pollionis & Ruſtici ſummæ fuerint commodatæ trimeſtri temporis ſpatio una poſt alteram, commodatæ tamen fuerunt ad eundem uſum, in eundem finem & pro eadem domo conſtruenda. Aliud dicendum foret de duabus dotibus in eodem fundo aſſignatis: prima quippe ſecundæ eſſet præferenda; *Præterquam in duabus dotibus ab eadem ſubſtantia debitis*, ait Gloſſa in cit. legem, *tunc enim prærogativa temporis ſervatur.* Verum quando cauſæ mutui ſunt diverſæ, præferenda eſt illa, quæ majori digna eſt conſideratione, & iſta tribuit jus præferentiæ ſolutionis contra illum, qui ex cauſa minoris momenti pecuniam ſuam dedit mutuam. *Pontas.*

CASUS VI. Cato vendidit domum Radulpho, ſolutione ad diem præfixum facienda. Brevi poſt creditores emptoris immiſſionem in hanc ipſam domum & omnia alia ipſius bona immobilia impetrarunt. Opponit ſe Cato prætendens, ſibi competere privilegium prælationis præ aliis creditoribus quoad ſolutionem pretii pro vendita a ſe domo. Jurene credi-

tores reliqui concurrentiam cum Catone sibi arrogant, & ad eam obtinendam judicialiter agunt?

℟. Dubitari non potest, Catoni competere privilegium accipiendi integram solutionem pro vendita domo, antequam vel obolus solvatur reliquis creditoribus; injuste proin & absque omni fundamento petunt concurrentiam cum Catone. Qui vendit, non censetur transferre dominium rei venditæ in emptorem, nisi sub conditione pacti pretii sibi ab emptore persolvendi. *Pontas.*

Vide *Hypotheca.*

CASUS VII. Imperator Moscoviæ sanxit legem, qua omnes calumniatores in pœnam illatæ proximo injuriæ condemnat ad fustigationem. Quidam Clerici in transgressione legis istius deprehensi ex motivo pœnitentiæ & animo humilitatem exercendi subjecerunt se pœnæ huic corporali, renunciantes privilegio clericali, quo se eximere potuissent. Num peccarunt?

℟. Certe non potuerunt absque peccato renunciare privilegio suo characteri ac statui annexo, maximamque injuriam intulerunt universo Ordini clericali, cujus membra erant, & ad quem proprie privilegium hoc pertinet. *Cum ille canon,* inquit Innocentius III. Can. *Contingit.* 36. Lib. 5. Tit. 39. *non tam in favorem clerici ordinati, quam in favorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus.* Personali autem privilegio quivis pro suo arbitrio renunciare potest. *Pontas.*

PROCURATOR.

1. *Procurator* ad causas dicitur ille, qui jus habet repræsentandi personam, cujus causam in judicio tuetur: ministerium ipsius ultra instructionem processus se non extendit. Et hinc, dum agitur de conditionibus proponendis aut acceptandis, de liberanda re arresto subjecta, de venditione, de compromisso, de affirmatione jurata, de commodatione nominis sui ad falsum, de conflanda accusatione in aliquem, aut repudiatione judicis, potest recusari a parte sua, ac nomine proprio & privato condemnari ad damnum & interesse in favorem partis adversæ.

2. In multis religiosis Ordinibus Procurator vocatur persona a capitulo provinciali constituta, ad solicitandas urgendasque causas & alia negotia monasterii. Denique *Procuratorem Mandatarium* vocant, qui negotii gerendi scriptam authoritatem habet, id est, qui vel ex scriptura publica vel per privatum chirographum constitutus est ad gerenda utiliter al-

alterius negotia in causis civilibus vel ecclesiasticis. Atque de tali duntaxat Procuratore in præsentiarum sermo est.

3. Qui gerit procurationem bonis moribus vel justitiæ contrariam, & exinde incurrit damnum aliquod, nullam habet actionem nec recursum ad constituentem; quia sine peccato acceptare ejusmodi procurationem non poterat, multo minus eam exequi.

4. Procurator stricte & ad literam debet sequi terminos & clausulas suæ procurationis. Potestas ipsius & officium exspirat per revocationem procurationis ab eo momento, quo hæc ipsi fuit intimata. Cessat etiam per obitum ipsius procuratoris, & regulariter loquendo per mortem constituentis, si mandatarius aut procurator de obitu illius in tempore fuit certior factus, vel aliunde v. g. ex rumore publico eum facile scire potuit.

5. Procurator potest repudiare procurationem per declarationem *re adhuc integra* desuper factam; item quando constituens est satis capax, ut possit per semetipsum agere, vel alium constituere. Si acceptata procuratione vel neglecta declaratione de non acceptando constituens patiatur damnum aliquod, poterit contra procuratorem agere *actione mandati.*

6. Procuratio potest esse generalis vel specialis, terminis absolutis, vel pro determinato tempore aut sub aliqua conditione concepta; quo in casu procurator non potest agere post exspirationem procurationis aut ante eventum appositæ conditionis.

7. Fœmina non potest acceptare procurationem absque consensu sui mariti; quia ejusdem potestati subjecta est: imo si ipse maritus esset mandans seu constituens, requireretur, ut in ipso instrumento procurationis dato uxori expresse contineatur, quod de consensu & auctoritate mariti procurationem suscipiat.

8. In materia Beneficiorum procuratio *ad resignandum* dicitur instrumentum illud, quo Beneficiatus resignat Beneficium suum ad manus legitimi Superioris in favorem alterius; habetque ejusmodi scriptura vim potestatis procuratoriæ respectu procuratoris in Curia Romana ad obtinendas provisiones Beneficicii.

9. Potest capi possessio Beneficii per procurationem; debet autem procuratio esse dati anterioris & antiquioris tempore possessionis initæ.

CASUS I. Caſſander procuratores ſibi conſtituit Norbertum & Landfridum cum poteſtate tranſigendi cum Andrea comparte ſua adverſa ſuper pluribus articulis cauſæ, quam contra ipſum ſuſtinet. Poſt menſem Norbertus rerum forenſium intelligentior atque peritior ſolus cum Andrea tranſigit, non communicato prius cum Landfrido conſilio, ipſoque prorſus inſcio. Valetne hæc transactio, ita ut etiam in foro interno Caſſandrum liget?

℟. Transactio hæc non eſt legitima, & nec in foro interno nec externo Caſſandrum obligat: non enim ſoli Norberto cum Andrea tranſigendi poteſtas facta eſt, ſed utrique conjunctim, & neuter horum poterit dividere poteſtatem ex voluntate conſtituentis indiviſibilem. *Diligenter igitur fines mandati cuſtodiendi ſunt*, ait Lex *Diligenter*. 5. ff. Lib. 17. Tit. 1. *nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur. Pontas.*

CASUS II. Claudius a Juliano cum poteſtate procuratoris Amſtelodamum miſſus ad curanda ipſius negotia, ibidem mox ab adventu ſuo e vivis exceſſit. Filius Claudii patris in eo itinere comes, procurationem ad ſe tranſiiſſe ratus, gerit negotia Juliani. Teneturne rata habere Julianus, quæ pro ipſo geſſit Claudii filius?

℟. Regulariter loquendo non tenetur, cum Claudii filius egerit abſque mandato ac poteſtate :. Leg. *Mandatum*. 57. ff. Lib. 17. Tit. 1. Æquitas tamen naturalis poſtulat, ut, ſi in caſu præſente ageretur de negotiis celerem expeditionem depoſcentibus, conſtituens rata habeat, quæ benevole, animoque promerendi gratiam conſtituentis geſta ſunt. Cum itaque Claudii filius bona fide egerit, non decet, ut Julianus acta improbet. *Pontas.*

CASUS III. Aventinus ad cauſam ſuam Venetiis agendam procuratorem conſtituit Thomam civem Auguſtanum, qui duorum menſium tempore litem hanc ad finem perduxit. Ubi ex itinere rediit Thomas, petiit refarcitionem 200. florenorum, quos in cauſa hac expendiſſe ſe teſtabatur. At Aventinus jam aliunde amaro animo, quod cauſa cecidiſſet, putans, nimias eſſe has expenſas, non niſi centum quinquaginta ſolutorum ſe conſentit, cum ipſe, ſi cauſam hanc agitaſſet, non plus expenſurus fuiſſet. Recuſat id Thomas. Teneturne Aventinus in conſcientia exſolvere 200. florenos?

℟. Licet ipſemet Aventinus minores forſan quam Thomas hac occaſione expenſas feciſſet, nihilominus tenetur refarcire omnes ſumptus, quos rationabiliter & bona fide Thomas fecit. *Impendia mandati exequendi gratia facta*, inquit Lex *Si quis*. 27. §. 4. ff. Lib. 17. Tit. 1, *reſtitui omnimodo debent: nec ad*

ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere. Pontas.

CASUS IV. Alanus data Barnabæ speciali procuratione ad venditionem cujusdam fundi in remota provincia siti; moritur decimo quinto die a profectione Barnabæ, qui nesciens obitum Alani paulo post fundum vendidit. Estne valida venditio hæc? Teneturne Alani hæres eam ratam habere?

℟. Et legitima & valida est hæc venditio, nec potest hæres Alani eam improbare. Bona fides, quacum egit Barnabas, rebus ab ipso gestis tribuit effectum potestatis ab Alano factæ. *Utilitatis causa receptum est*, inquit Imperator Justinianus Instit. Lib. 3. Tit. 27. §. 10. *si eo mortuo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum; posse te agere mandati actione. Alioqui justa & probabilis ignorantia tibi damnum adferret.* Imo etiamsi procurator rescisset mandantis mortem; si tamen venditio non potuisset differri sine notabili damno hæredis v. g. si vendenda fuisset messis vel vindemia, nec potuisset prius hæres consuli, æquitas postularet, ut approbaret acta. Ratio est; quia sic mandatum exequens avertit grave damnum ab hærede, quod subiturus esset, si procuratio omitteretur. *Pontas.*

CASUS V. Victor, Vitalis & Valentinus constituerunt Godhardum procuratorem in negotio mercium nuper ex America advectarum. Confecta procuratione is petit compensationem laboris & expensarum a Victore; qui offert quidem solutionem tertiæ partis, & pro reliquis duabus tertiis eum remittit ad Vitalem & Valentinum. Godhardus autem petit integram solutionem a Victore. Potestne salva conscientia persistere in sua petitione? Num Victor ad integram solutionem tenetur?

℟. Justa est petitio Godhardi, Victorque tenetur ad solutionem totius debiti, salvo tamen recursu ad Vitalem & Valentinum: cum enim plures constituerunt procuratorem in eodem negotio, singuli erga ipsum obligantur in solidum ad solutionem expensarum, licet de hac obligatione in mandato non fuerit facta expressa mentio. Leg. *Si mandata.* 59. §. 3. ff. Lib. 17. Tit. 1. *Paulus respondit, unum ex mantatoribus in solidum eligi posse, etiamsi non sit conceptum in mandato. Pontas.*

CASUS VI. Maurillus domicilium suum in Angliam translaturus, ante abitum suum reliquit Sigeberto mandatum generale administrandi bona sua. Post sex menses simile mandatum dedit Lieboldo, non commonito desuper Sigeber-

 to;

to; qui, licet id comperisset, nihilominus prosecutus est munus procuratoris, & fructus ex Maurilli fundis collectos vendidit Petro, quos eodem pene tempore Lieboldus vendidit Paulo. Cujusnam venditio est de jure valida?

℟. Valet venditio Lieboldi: postquam enim Sigeberto innotuit procuratio in Lieboldum translata, nullum ille amplius habuit jus gerendi negotia Maurilli. Leg. *Si quis.* 31. §. 2. ff Lib. 3. Tit. 3. *Julianus ait, eum, qui dedit diversis temporibus procuratores duos, posteriorem dando priorem prohibuisse videri.* Si tamen Sigebertus bona fide eos fructus vendidit, non habens de secunda procuratione notitiam, Maurillus tenetur ratam habere eam venditionem. *Pontas.*

CASUS VII. Henricus ex Germania profecturus in Italiam constituit Landulphum generalem negotiorum suorum procuratorem & bonorum omnium administratorem. Is interea vi suæ procurationis transegit cum Carolo super quibusdam juribus, quæ Henricus prætendebat sibi competere ad certam successionem; alienavit insuper fundum pro solutione alicujus debiti, quod Henricus contraxerat. Reversus in Germaniam Henricus noluit approbare, quæ quoad duo hæc capita temere a Landulpho gesta fuerunt. Rectene improbavit?

℟. Mandatum generale ad gerenda negotia absentis non sufficit ad hoc, ut quis possit transfigere super ipsius juribus, & alienare ejusdem fundos: quippe tam quoad transactionem quam quoad alienationem requiritur speciale mantatum. Quoad transactionem dicitur Leg. *Mandato.* 60. ff. Lib. 3. Tit. 3. *Mandato Generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam.* Quoad alienationem habetur Leg. *Procurator.* 63. ibidem: *Procurator totorum bonorum, cui res administrandæ mandatæ sunt, res Domini neque mobiles vel immobiles sine speciali domini mandato alienare potest.* Ratio est; quia transfigendo & alienando minuuntur bona constituentis; procuratori autem licet quidem conditionem constituentis facere meliorem, sed non deteriorem. Leg. *Præterea.* 3. ff. Lib. 17. Tit. 1. Excipiuntur tamen ab hac regula fructus, & quidquid lapsu temporis facile corrumpi potest. *Pontas.*

Vide *Possessio.* Cas. 6. *Restitutio.* Cas. 40.

PROFESSIO RELIGIOSA.

1. *Professio religiosa* est protestatio publica & solemnis emissa ab aliqua persona in ordine ad amplectendam vitam regu-

regularem, & observanda toto vitæ tempore tria vota castitatis, paupertatis & obedientiæ. Vel potest dici extensius, quod sit publica & solemnis obligatio, qua semetipsum adstringit Religiosus ad observanda per omnem vitam suam consilia evangelica secundum regulam aliquam ab Ecclesia approbatam, emittendo tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ per protestationem publicam renunciandi negotiis ac occupationibus sæcularibus, bonis, honoribus & deliciis mundi, interdicto sibi omnium horum usu per pactum cum Deo initum, qui solus imposterum futurus est objectum cogitationum, cordis affectuum, & desideriorum Religiosi vel Virginis Deo dicatæ.

2. Ut valida sit professio Religiosi, requiritur, ut per annum integrum sustinuerit Novitiatum, ut compleverit ætatis annum decimum sextum, & ut duæ partes tertiæ vel major & sanior pars capitularium votis suis in professionem ipsius conspirent.

3. Minorennis potest emittere professionem non obstante qualicunque oppositione parentum ipsius. Attamen respectu puellarum regula hæc non procedit, nisi ex judicio Ordinarii vel Vicarii generalis vocatio Novitiæ habeatur ac pronuncietur legitima, & insuper emittenda ab ipsa professio sit ex omni parte libera. In casu dubii sequestranda interim est, donec veritas pateat.

3. Professio solemnis inducit mortem civilem, præbetque locum substitutioni testamentariæ. Ea probari non potest per testes, sed per instrumentum scriptum authenticum.

5. Professio alia est *expressa*, & alia *tacita*. Hæc posterior in Gallia non habetur pro valida, etiamsi quis religiosum gestasset habitum per triginta annos.

6. Licitum est in certis casibus reclamare contra solemnem professionem ad ejus nullitatem probandam: motiva reclamationis possunt esse metus gravis, vel defectus ætatis. Tridentinum determinavit primum quinquennium currens a die emissæ professionis in ordine ad ejusdem valorem impugnandum. Juxta idem Concilium, qui habitum Religionis seu Ordinis sui dimisit, non potest recipi ad impugnandam professionem suam, nisi antea redierit ad monasterium suum.

7. Omnes regulæ monasticæ prohibent, ne quidpiam exigatur a petentibus recipi in religionem. Verumtamen, si solam regulam S. Fructuosi Episcopi Bragensis exceperis, omnes reliquæ acceptari permittunt, quæ vel a canditatis vel eorum parentibus aut consanguineis ultro offeruntur. Omnes olim exactiones indiscriminatim fuerunt ab Ecclesia habitæ

pro fimoniacis ; cum autem numerus afpirantiam ad vitam regularem notabiliter crefceret, & bona fundationis ad fuftentationem omnium ad monafteria confugientium haud amplius fufficerent, ac infuper Religiofi a fucceffione in bona parentum ac confanguineorum fuorum excluderentur, quo jure in pluribus monafteriis prius gaudebant. relaxata demum fuit antiqua hæc feveritas ; docetque S. Thomas, quod, fi monafterium fit valde indigens, liceat tunc exigere, quantum pro fubfiftentia afpirantium requiritur, nihil tamen ultra neceffarium peti poffit. Hanc regulam etiam ftatuit S. Carolus Borromæus in Concilo fuo Mediolanenfi I. habito 1565.

NOTA. Hisce temporibus non folum in Gallia & Italia, fed etiam in Germania paffim a Principibus determinata fumma v. g. 1000. vel 2000. florenorum, ultra quam acceptare quidpiam feveriffimis pœnis interdictum; licet inter quinquaginta canditatos vix unus, cujus dos eo afcendat, imo vix unus inter viginti novitios, qui vel florenum fecum monafterio inferat.

CASUS I. Majoranus anno ætatis fuæ decimo fexto cum dimidio affumpfit habitum religiofum in quodam conventu S. Francifci die primo Januarii anno 1782. vergenteque ad finem novitiatu inftantiffime rogat, ut fibi liceat facra Deo vota nuncupare fequenti trigefimo vel trigefimo primo Decembris, qui dies ipfius natalis eft. Poteritne id ipfi permitti?

℞. Neutiquam id concedi poteft Maiorano ; profeffione ipfius fic emiffa foret nulla. In materia novitiatus & profeffionis quam rigorofiffime obfervanda eft difpofitio juris ftatuentis, ut annus novitiatus fit totaliter completus ad hoc, ut liceat emittere profeffionem. Alexander III. Cap. *Ad noftram.* 8. Lib. 3. Tit. 31. Juxta Fagnanum in c t. cap. fi vel pauculæ horæ deeffent novitiatui, profeffio nullitatis vitium contraheret. Non eft paritas inter receptionem Ordinum & profeffionem religiofam : nam fi refpectu Ordinum annus folum inchoatus fumitur pro completo, id fit ratione dignitatis, ad quam quis per Ordines evehitur. *In dignitatibus favor confideratur*, inquit Gloffa, *& ideo annus inceptus pro completo habetur : fed in regulæ obfervatione gravitas eft & labor, & fic odium ; & ideo annus completus exigitur.* *Pontas.*

CA-

CASUS II. Seleucus indutus habitu novitii in quodam conventu S. Francifci die primo Januarii anni bisfextilis, poteritne facere profeffionem die trigefimo primo Decembris ejusdem anni ?

℟. Non foret valida profeffio : nulla enim habetur ratio diei illius, qui intercalatur in Februario, fumunturque duo illi dies, qui notantur *bis fexto ante Calendas Martii*, pro unico. *Id biduum*, ait L. *Cum bis fextum* 98. ff. Lib. 50. Tit. 16. *pro uno die habetur* ; *fed pofterior dies* (fcilicet 25. Februarii) *intercalatur, non prior*, *id eft*, addit Gloffa, *non computatur pro die*, *& hoc quantum ad ætates*, *& anni terminum. Pontas.*

CASUS III. Aurelius abfoluto integro novitiatus anno in monafterio Religioforum reformatorum unanimi totius capituli confenfu admiffus eft ad profeffionem, quam folemni actu in manibus Superioris depofuit. Aft vero poft menfes fex ad inftantiam conventus electio hujus Superioris declaratur nulla ac irrita, utpote contra canones facta. Eftne valida Aurelii profeffio ?

℟. Sicut profeffio quæcumque folemnis abfolute nulla eft, quando fit ab eo, qui fe obligare non poteft Religioni, ut eft fervus vel conjugatus &c. ita non poteft effe canonica aut valida, fi non fuit acceptata ab eo, qui habet jus Religionem obligandi profeffo, hoc eft, a Superiore legitimo : nam profitens pro toto vitæ tempore fe obligat ad vitam religiofam, & ad obfervationem omnium regularum Ordinis, in quem fuit receptus ; & hic ipfe Ordo fe obligat profitenti ad communicanda omnia jura, gratias, emolumenta, favores ac privilegia Ordini annexa. Jam vero ejusmodi obligationes non poffunt contrahi nifi ab illis, qui habent poteftatem eas ineundi. Cum igitur Religiofus ille, qui tempore profeffionis Aurelii Superiorem feeffe prætendebat, verus Superior non effet, non potuit obligare Religionem Aurelio profitenti, ficut Aurelius fe fe obligaverat Religioni. Et confequenter, quia obligatio non fuit reciproca ex defectu legitimæ poteftatis in eo, qui nomine monafterii profeffionem recepit, nulla eft ex parte Aurelii, ficut fuit nulla ex parte illegitimi Superioris. *Pontas.*

CASUS IV. Ladislaus annos fere octodecim natus cum feptem jam menfes in Novitiatu tranfegiffet, convenit Capitulum, eumque declaravit ad Religionem ineptum, ac juffit, ut fe difponat ad recipiendum habitum fæcularem ac relinquendum monafterium. Recurrens autem ad Definitorium denuo admiffus fuit ad inchoandum de novo novitiatum

Nun

Nunquam a primo ingressu dimisit habitum religionis, nec monasterium, in quo habitum assumpserat; & post quinque vel sex menses unanimi Capitularium consensu ad sacram professionem admittitur, condonatis ipsi residuis sex vel septem mensibus. Estne valida ipsius professio?

℟. Est sine dubio valida, ut Sylvius resolvit Resol. var. V. *Professio monastica.* 6. habet enim competentem ætatem, & explevit suum novitiatum nunquam dimisso habitu. *Pontas.*

CASUS V. Bernardinus septemdecim annos natus, novitius cujusdam monasterii, hernia affectus cum aliis quatuor connovitiis solemnem professionem emisit, quin defectum hunc Superiori detegisset, qui tamen singulis expresse declaravit, se non habere intentionem acceptandi professionem illius, qui occulta aliqua infirmitate corporali laboraret. Obstne hæc declaratio valori hujus professionis, maxime si etiam statuta loci prohibeant ad professionem admitti eos, qui hujusmodi infirmitate affliguntur? Potestne talis Religiosus post quatuordecim aut quindecim annos ab emissa professione ex suo monasterio aut Ordine discedere?

℟. Valida est Bernardini professio tam ex ipsiusmet quam ex parte Superioris. Protestatio Superioris, quæ sola posset obstare valori professionis, non potest esse prætextus nullam declarandi professionem, nisi in casu, quo defectus occultus Religiosum redderet inhabilem ad exercitia & onera Religionis. Ponitur autem in casu, his omnibus Bernardinum satisfecisse per annos quatuordecim aut quindecim. *Pontas.*

Vide *Ordo.* cas. 25.

NOTA. Videtur, professionem hanc esse invalidam: quia præsumendum, quod Superior & Capitulares in admissione Novitii ad professionem ac in prævia declaratione non ipsi eventui, sed periculo sinistri eventus suam alligaverint intentionem.

CASUS VI. Galeatinus Novitius Cisterciensis falsum exhibuit testimonium baptismale, & emisit professionem anno ætatis decimo quinto cum dimidio. Teneturne in conscientia vi professionis hujus invalidæ religionem ingredi aliam, aut renovare novitiatum & professionem in eodem monasterio?

℟. Omnis religiosa professio ante ætatem requisitam facta, est nulla juxta Concilium Tridentinum Sess. 25. de regular. c. 15. Adeoque Galeatinus non tenetur amplecti statum religiosum in alio Ordine. Quod si vero professio nulla foret ex alia causa, v. g. si fuisset emissa in aliquo Ord'ne, quem

quem novitius erronee existimasset approbatum a Sede Apostolica, licet re ipsa non sit approbatus, Canonistæ in varias abeunt opiniones: quidam enim tuentur, teneri ipsum ingredi alium Ordinem; alii vero dicunt, professionem absolute esse invalidam, nullamque parere obligationem. Prior opinio pro conscientia videtur esse securior. *Pontas.*

CASUS VII. Navigius surdus & mutus a nativitate in quodam monasterio recipi petit ad novitiatum. Poteritne Superior cum consensu totius Communitatis ipsum admittere ad probationem, eaque completa ad professionem?

℟. Triplici modo fieri potest religiosa professio, scilicet verbo, scripto & signo. Non reperitur ullus Canon, ex quo appareat, vivam vocem aut scripturam absolute requiri ad valorem professionis; consequenter permissum est tertio modo illam edere, nempe signo, juxta illud juris principium: *Omnes admittuntur, qui non expresse prohibentur.* Hoc supposito Navigius legitime profiteri potest; dummodo evidentia consensus sui signa edere valeat. Confirmatur id exemplo matrimonii, quod surdus & mutus valide contrahit, prout declaravit Innocentius III. Cap. *Cum apud.* 23. Lib. 4. Tit. 1. ubi ait: *Cum prohibitorium sit editum de matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur; videtur, quod si talis* (surdus & mutus) *velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari: cum quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Jus civile in hoc conforme est juri canonico. *Pontas*

CASUS VIII. Scipio occultus hæreticus finito anno novitiatus solemniter Religionem professus est. Redditne hæc hæresis professionem invalidam?

℟. Juxta Sylvium V. *Professio monastica.* 7. professio hæc non est invalida ob hæresin *occultam*; foret autem invalida, si hæresis esset notoria ac *publica*, juxta constitutionem Bonifacii VIII. cap. *Statutum.* 9. Lib. 5. Tit. 2. in 6. quam Theologus iste allegat, qui cum Laurentio Portello dicit: *Novitius occultus hæreticus, si profiteretur in Ordine Minorum, non faceret professionem ipso jure nullam.* Nihilominus observat Sylvius, id esse intelligendum in casu, quo non detur statutum a Sacra Sede approbatum, quo professio Novitii occulti hæretici declaratur nulla; aut Superior ipsum interogans de orthodoxia non expresse declaret, intentionem monasterii non esse ipsum recipiendi ad professionem, nisi vere sit catholicus. *Pontas.*

CA-

CASUS IX. Flodoardus in quodam monasterio absolvit novitiatum, & ad professionem fuit admissus a solo Abbate contra voluntatem Capitularium omnium. Estne valida ipsius professio ?

℟. Si ex privilegio, vel consuetudine, vel vi statutorum Ordinis aut monasterii Abbas vel Superior habeat jus, ut solus & absque consensu Capituli possit Novitium admittere ad professionem, valida erit professio, etsi Capitulum in eandem nullatenus consenserit. Juxta hanc regulam igitur de validitate vel nullitate professionis Flodoardi judicium ferendum est. Ita docet Fagnanus in Cap. *Porrectum* 13. de Regular. n. 22. 34. & seq. Doctrina hujus Canonistæ fundatur in constitutione Bonifacii VIII. Cap. *Si ad solum.* fin. Lib. 3. Tit. 14. in 6. cujus verba sunt : *Si ad solum Abbatem pertineat creatio monachorum, eo defuncto nequibit novus monachus a conventu creari : alias poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumque. Pontas.*

CASUS X. Vigilianus suum novitiatum absolvit in monasterio S. Hyppoliti, & postmodum fuit admissus ad professionem a Superiore & toto Capitulo. Oritur paulo post rumor, ipsum affligi morbo caduco. Interrogatur itaque a Superiore, qui ipsi declarat voluntatem suam nullatenus esse recipiendi ipsum ad professionem, si res ita se haberet. Respondit novitius, nullum se unquam exinde passum fuisse incommodum, unde gravari monasterium potuisset; prostratum se quidem vi mali fuisse aliquoties durantè novitiatu, neminem tamen unquam id observasse. Post emissam professionem ex hoc morbo lapsus est quinquies vel sexies intra unius anni decursum; quare Superior ipsum cogitat dimittere ex prætextu, quod invalida fuerit ipsius professio. Potestne hoc prætextu ipsum expellere ?

℟. In casu proposito solus Vigilianus consensit in professionem; cumque Superior ipsum non aliter nisi conditionate admiserit, juxta Sylvium l. c. poterit dimitti. Dum autem fit dimissio, magna adhibenda est prudentia, ut omne præcaveatur scandalum. *Pontas.*

CASUS XI. Defuncto Abbate monasterii S. Pontii, Religiosi in Capitulo congregati vacante adhuc abbatiali sede simplicianum ad professionem recipiunt. Estne valida hæc professio ?

℟. Quando jus admittendi ad professionem pertinet ad solum Abbatem, Capitulum regulare post ipsius obitum neminem poterit admittere; potest vero, quando hoc jus pertinet cumulative ad Religiosos & Abbatem. Ita Bonifacius

cius VIII. Cap. *Si ad solum.* supra citato. *Pontas.* Vide Cas. 9.

CASUS XII. Hipparchus annos non nisi quindecim completos natus, ingressus est monasterium cujusdam Ordinis in Occitania florentis, in quo habitus Novitiorum nihil differt a Professorum habitu. In hoc monasterio per biennium sponte & cum plena advertentia ac cognitione omnes functiones solis professis proprias obivit. Estne habendus propterea pro tacite & valide professo?

℞. Jus distinguit tria professionum tacitarum genera: *primum* est, quando quis sponte & cum perfecta cognitione peragit functiones Religiosis professis de jure vel consuetudine proprias, ut est v. g. dare votum in Capitulo, recipere Ordines vi obedientiæ Superioribus præstandæ instar professorum: *secundum*, quando quis assumpto professorum habitu eundem per triduum continuum gestat; *tertium* denique, dum quis annos pubertatis adeptus per integrum annum post absolutum novitiatum portavit habitum religiosum Novitiis & professis communem, ita ut nullum quoad exteriora discrimen reperiatur. Putant aliqui Theologi, Tridentinum tantum abrogasse duo prima genera professionum tacitarum; alii vero cum majori fundamento contendunt, illud nedum duo hæc, sed tertium quoque abrogasse. Nulla professio debet haberi pro valida, quam quæ transacto & vere completo anno 16. ætatis expresse emittitur post integrum annum novitiatus. Adeoque Hipparchus non ligatur hac sua qualicunque tacita professione. Cabassutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 1. c. 20. n. 10. memorat, in Gallia huic doctrinæ tam firmiter insisti, ut testamentum conditum ab eo, qui habitum religosum jam per viginti & octo annos portaverat, publica authoritate validum declaratum fuerit ac legitimum; eo quod professionem expresse nunquam emisisset. *Pontas.*

CASUS XIII. Aurelia novitia in quodam monasterio ab uno & amplius anno, examinata ab Episcopo diœcesano & ad professionem admissa, in morbum valde periculosum incidit. Priorissa in defectu Abbatissæ, quæ & ipsa gravissime ægrotans jam pene ad extrema redacta erat, timens, ne novitia ante professionem e vivis excederet, propria sua auctoritate facit ipsam profiteri solemniter in præsentia duarum vel trium monialium, dissimulans votum perpetuæ clausuræ ab eadem pariter exigendum & emittendum. Moritur interim eodem ipso die Abbatissa; Aurelia vero post electionem novæ Abbatissæ pristinæ sanitati redditur. At vero tam hæc, quam pleræque ceterarum monialium nolunt eam agnoscere

pro

pro professa, deque ipsa dimittenda consilium ineunt. Potestne Aurelia expelli tuta conscientia?

℞. Professio Aurelliæ est nulla & quidem ex principio indubitato; quia videlicet fuit recepta a Superiorissa eam recipiendi jure destituta; & hinc absque ullo scrupulo dimitti poterit. Ex eadem ratione Aurelia non tenetur persistere in monasterio, etiamsi recens electa Abbatissa & tota Communitas eam retinere vellent; idque propter defectum legitimæ acceptationis. *Pontas.*

CASUS XIV. Clara filia Balduini sexdecim annos nata ingreditur monasterium. Pater promittit quingentos florenos pro vestitu, mensa & impensis novitiatus solvendos, ac insuper centum alios tanquam pensionem usufructuariam ad dies vitæ dotis loco. Admittitur ergo ad professionem per conclusum Capitulare tum Superioris monasterii, tum Superiorissæ, utriusque proprio etiam chirographo confirmatum: interim vero ante solemnem professionem gravi morbo corripitur, & jam morti proxima instanter rogat, ut priusquam moriatur, vota sua solemnia præmittere sibi concedatur. Annuente Superiorissa & monialibus omnibus pronunciat formulam professionis in suo lecto & pene moribunda, sed tamen cum pleno rationis ac sensuum omnium & potentiarum usu. Sanitati præter spem omnem reddita, per integrum annum tractatur ut aliæ professæ absque ullo discrimine; postea vero ex consilio sui confessarii gratiam sibi a Superiorissa fieri supplicat, professionem suam nuper factam cum solemnitatibus & formalitatibus alias consuetis renovandi. Qua petitione audita Superiorissa Balduinum vocat, ab eoque mille argenti libras exigit, quas Balduinus daturum se negat. Repulsam hanc iniquius ferens Superiorissa, oretenus præcipit septem vel octo monialibus suis, ut detracto Claræ velo & professarum habitu sæcularem ipsi habitum redderent; tum ex locis regularibus abire jussa, paulo post etiam ex toto monasterio a duobus domesticis abstrahitur sub prætextu, quod vota sua distincte non pronunciaverit. Quæritur jam, an Clara pro moniali vere professa sit habenda? An præcise ad supplendas omissas formalitates in prima votorum suorum nuncupatione teneatur renovare suam professionem? An Communitas, a qua fuit admissa ad professionem, habeat jus revocandi absque auctoritate Superioris monasterii conclusum Capitulare admissionis cum debitis formalitatibus & chirographo confectum ac munitum? An Superiorissa potuerit oretenus tantum præcipere, ut Clara spolietur habitu religionis, ut absque consuetis formalitatibus,

tatibus, nec observato juris ordine e conventu expellatur? ac tandem: An detur locus appellationi ab hoc Superiorissæ verbali mandato ejusque executione?

℞. 1. Absque omni prorsus dubitatione Clara est vere professa; cum nihil eorum defuerit, quæ esse [illegible] ad legitimam professionem requiruntur: habuit enim ætatem a Concilio Tridentino præscriptam, complevit integrum annum probationis ab eodem Concilio requisitum, emisit professionem cum plena cognitione & perfecto rationis usu, nec denique in ejusdem moribus occurrebat quidquam reprehensione dignum. 2. Neutiquam est necessarium, ut solemniter renovet vota sua; cum in prima illius professione nullus essentialis defectus intervenerit: essentia enim religiosæ professionis consistit in eo, ut quis se tradat actu Communitati regulari a Pontifice approbatæ, eaque traditio fiat in manus legitimi Superioris, & nomine totius Communitatis acceptetur ab eo, qui legitime præest Communitati: id autem omne contigit in dicta professione. 3. Nec Superiorissæ nec integræ Communitati competebat jus spoliandi ipsam habitu Religionis & expellendi ex monasterio. 4. Superiorissa non potuit id præcipere, nec præcepti executionem imperare. Nec tamen consultum est confugere ad appellationis remedium, licet eidem absolute locus esset: magis naturale est, & Spiritui Ecclesiæ conformius adire Episcopum, cujus jurisdictioni monasterium subjacet, ut ipsius auctoritate Clara in sua jura ex integro restituatur. Observandum præterea est, Superiorissam, moniales, illosque domesticos, qui Superiorissæ mandatum executi fuerunt, excommunicationem majorem ipso facto incurrisse, propositionemque Balduino ex parte Superiorissæ factam esse simoniacam, adeo ut si Balduinus fuisset persuasus de nullitate professionis, ejusque renovationem esse absolute necessariam, non potuisset salva conscientia & absque simoniæ crimine solvere illam summam simul cum dote expresse pacta. *Pontas.*

CASUS XV. Faustinus solemniter professus est, sed invalide; & postquam post anni lapsum professionem suam ratam habuerat, a Sede Apostolica obtinuit rescriptum, quo vinculo votorum suorum solvebatur. Poteritne tuta conscientia rescripti hujus ratificationem sibi procurare, illiusque executionem petere?

℞. Certum est, Faustinum non posse uti hoc rescripto: ejusmodi enim Brevia Pontificia semper continent expressam hanc clausulam: *dummodo professionem hujusmodi tacite vel*

expresse non ratificaverit. Cum ergo Faustinus ratificaverit professionem suam, rescriptum obtentum nullum parit effectum, si habuit notitiam de nullitate professionis suæ eo tempore, quo illam ratificavit. Verum si illam ratificavit eo tempore, quo nullitatem nondum cognoscebat, & illa cognita mox reclamavit, dici posse videtur, quod talis ratificatio nequeat ipsum privare jure reclamandi. Non conveniunt omnes Authores circa modum, quo ratificatio fiat. Navarrus & Barbosa existimant quod Religiosus, qui recipit Ordines sub titulo paupertatis, censeatur ratificasse professionem suam: alii econtra tenent, professionem & receptionem Ordinum esse duo valde diversa, atque adeo ex receptione Ordinum nihil posse concludi in favorem ratificationis. *Ex separatis*, inquit Glossa, *non fit bona illatio de uno ad aliud, neque quoad positionem, neque quoad remotionem.* Quidquid sit de hoc, semper tenendum id, quod dictum est, per nullam scilicet ratificationem sive tacitam sive expressam validam reddi posse professionem in se nullam, quando ratificatio facta est eo tempore, quo nullitas necdum fuit cognita. *Pontas.*

CASUS XVI. Lævius ingressus est Religionem, ut patris id præcipientis voluntati obtemperaret, eodemque motivo probationis annum transegit; quo tamen ad finem vergente declaravit patri, non posse se tantum imperare sibi, ut ad solemnem professionem procedat. Respondit pater, si professionem facere detrectet, non solum exhæreditandum penitus, sed etiam tristem satis in paterna sua domo vitam posthac acturum. Lævius concepto ex hujusmodi minis timore prostratus, simulque consilii inops de futuro vitæ statu, formulam professionis suæ nonnisi *oretenus*, melius dixeris, *ficte* pronunciavit, exarata simul & chirographo suo signata contra hanc suam professionem protestatione. Finxit interim solidum quadriennium absque votorum renovatione, vidensque quintum quoque annum ad finem vergere, palam impugnavit professionem a se factam implorato Episcopo diœcesano, cujus jurisdictioni monasterium subjacebat. An Episcopus sola ac propria sua auctoritate, & insuper invito Superiore regulari, potest ex monasterio dimittere Lævium, eidemque potestatem facere, ut deposito Religionis suæ habitu sæcularem reassumat?

℟. Quando Episcopo huic, cujus jurisdictioni monasterium Lævius subest, evidenter constat de veritate eorum, quæ a Lævio sibi fuerunt exposita, potest sola sua auctoritate, præsente tamen aut saltem debite vocato Superiore regulari,

lari, declarare, Lævium non vere esse professum, nec teneri ad regulam, quam ore solum ac ficte, & nequaquam mente ac seria voluntate professus est: professio enim ista certe nulla est coram Deo & hominibus, Conciliumque Tridentinum Episcopo ac Superiori regulari conjunctim attribuit potestatem cognoscendi super nullitate professionis. *Quicumque Regularis*, inquit Seff. 25. de regular. c. 19. *prætendat, se per vim & metum ingressum esse religionem... velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario, Pontas.*

CASUS XVII. Fabiola sæpius aspere admodum habita a parente suo, volente, ut religiosam vitam in aliquo virginum cœnobio amplecteretur; minis etiam additis, ipsam filiæ loco haud habendam posthac amplius, ni jubentis voluntati obsecundaret. Religionem ergo ingressa, ut rigidissimi patris asperitates evitaret, quinquennium & ultra ab emissa professione in eadem monialis conversata est. Estne valida taliter dispositæ professio? Posito quod sit invalida, poteftne defuncto patre reclamare? Dumque adhuc vivit in conventu, teneturne ad onera Religionis, ut reliquæ professæ?

℟. Professio Fabiolæ est nulla; & si non voluntarie ac libere renovavit & ratificavit sua vota, non tenetur vi suæ professionis ad observationem votorum religionis. Quia vero non reclamavit intra constitutum quinquennium, in conscientia tenetur se quoad omnia externa conformare reliquis monialibus, ac si esset vere professa, v. g. tenetur abstinere ab omni actu proprietatis, interesse choro, recitare & cantare Officium, omnesque alias obire functiones religionis; ne præbeat scandalum aliis, qui eam vere professam arbitrantur; & maxime quia hucusque gavisa est, & etiamnum gaudet prærogativis, privilegiis, libertatibus ac commodis vere professarum. Si reclamasset contra professionem intra tempus a Tridentino constitutum, scandalum qualecumque demum ipsi imputari non posset. Cum autem beneficio temporis usa non fuerit, imposterum jure haud amplius reclamare poterit, etsi causas obtendat etiam justissimas. Excipiendus tamen casus est, quo per violentiam fuisset impedita a reclamatione debito tempore interponenda: tunc enim Fabiola metu cessante etiam lapso quinquennio haud dubie ad proponendam ac probandam professionis nullitatem admitteretur. *Pontas.*

CASUS XVIII. Jacobus & Marcellinus fratres violentia ac gravi comminatione patris sui adacti religionem ingressi ac professi sunt. Defuncto autem post biennium parente reclamant contra professionem suam, supplicem libellum offerentes Officiali diœcesano, qui sub requisitis formalitatibus vota eorum nulla declaravit, illosque in pristinum sæcularium statum restituit. Suntne legitime a votis liberati, licet nullum Roma rescriptum petierint aut obtinuerint?

℟. In casu professionis solemnis ad reclamationem professi annullandæ ex disciplina priorum sæculorum non erat moris recurrere ad Papam; sed penes Episcopum ejusque Officialem erat tota potestas & competentia judicandi de ejus nullitate. At vero nostris hisce temporibus absolute necessarium videtur rescriptum Pontificium. Et hinc absolutio a solo Officiali obtenta, sine rescripto Pontificio, plenam, certam, ac nulli prorsus controversiæ expositam securitatem reclamantibus præstare non potest. *Pontas.*

NOTA. Cum in ejusmodi reclamatione non petatur stricte dicta dispensatio, sed tantum declaratio, quod nulla erga religionem contracta fuerit obligatio; eo quod professio emissa fuerit contra ordinem & formam a sacris Canonibus requisitam; & consequenter agatur de simplici facto, ejus cognitio atque decisio denegari haud posse videtur Ordinario, aut ipsius Officiali.

CASUS XIX. Paula puella septemdecim annorum religiosum ordinem professa est, coacta ad hoc per sævam disciplinam patris, hominis in iram ad furorem usque proni. Circa finem quinti anni ab emissa professione audit, jus sibi adhuc competere impugnandi vota sua; sed tempus, quod adhuc reliquum habebat ex quinquennio, brevius erat, quam ut ante finem ipsius anni hujus potuisset obtinere rescriptum a Sede Apostolica; hinc nonnisi sexto anno jam inchoato illud ex Urbe recepit. Interim tamen quinquennio suo necdum finito protestata est contra professionem suam juxta formam a jure præscriptam. Potestne ipsi prodesse quidpiam rescriptum Pontificium?

℟. Sufficit quod Paula satisfecerit decreto Tridentini ante finem quinquennii; satisfecit autem per protestationem suam in forma debita factam. Concilium non sustulit impugnationem professionis post quinquennium, nisi ex præsumptione, quod post lapsum hujus termini quis mutaverit suam mentem, & vota ratificaverit. Estque præsumendum quod Paula obtinuisset rescriptum a Sede Apostolica insinuando suam protestationem, si habuisset sufficiens tempus, occasionem, & libertatem. In similibus casibus

casibus ad tollendas omnes fraudulentias petendum est, ut exprimatur in rescripto restitutio etiam post lapsum quinquennii; simulque maxime curandum, ut protestatio fiat in debita ac optima forma, adeo ut, si ea foret solum verbalis aut etiam scripta, non tamen facta coram Superiorissa monasterii, in quo professio emissa fuit, & coram Episcopo diœcesano, ac utrique significata, nulla foret, utpote non conformis juri stabilito a Concilio Tridentino. *Pontas.*

CASUS XX. Amalia finito in quadam Abbatia suo novitiatu, communibus omnium suffragiis fuit admissa ad professionem; at vero Abbatissa solemnem votorum nuncupationem jam a semestri differt ac procrastinat. Estne in arbitrio vel potestate Abbatissæ, differre tanto tempore ipsius professionem?

℟. Quando Abbatissa nullam prorsus habet justam causam differendi professionem Amaliæ, injuriam certe ipsi facit, peccatque directe contra decretum Tridentini, imo in Deum quoque. Quodsi vero justam habeat causam, nullo modo peccat; cum Concilium solum dicat: *finito tempore novitiatus*, & non, *mox finito tempore.* Justæ autem rationes forent differendi professionem, si v. g. Novitia quamdam infirmitatem contraxisset, ut strumam, epilepsiam aut similem morbum, quem curari prius oporteret; si dos promissa necdum foret parata, & sine ea monasterium professam non posset alere; si necdum attigisset ætatem canonicam; si nondum fuisset satis instructa circa constitutiones ac regulas Ordinis &c. *Pontas.*

CASUS XXI. Telesphorus juvenis religionis habitum assumpsit in aliquo Ordine austerissimæ observantiæ anno ætatis suæ duodecimo; fuitque post novitiatum admissus ad professionem. Verum uno anno ab emissa professione nimiæ hæ Ordinis austeritates ad talem statum ipsum redegerunt, ut per integrum annum æger lecto decubuerit, & exinde etiam variis morbis frequentissime affligeretur, adeo ut nulla spes esset, ipsum longiori tempore posse sustinere rigorem regulæ. Completis nihilominus sexdecim ætatis suæ annis debuit renovare vel reiterare suam professionem; at ille pro certo habet, quod non aliter ratificaverit suam professionem quam ex principiis conscientiæ erroneæ, non obstante, quod sæpius ipsi dictum inculcatumque fuerit, ipsum non minus teneri & obligari suis votis in foro interno, ac alios, cum tacite sit professus, semperque hactenus participaverit de privilegiis expresse professorum. Estne valida secunda ipsius professio? Teneturne perseverare usque ad mortem? Poteritne

teritne tuta conscientia a Papa petere Breve saecularisationis, atque ad parcendum sumptibus melius tractandi negotii sui causa Romam petere *incognito* ?

℞. Secunda ipsius professio aeque, ac prima, nulla est, nec quantum ad forum internum tenetur perseverare in religione. Cum tamen plusquam annos duodecim transegerit in Ordine, quin unquam contra vota sua reclamaverit, difficile admodum erit in foro externo probare nullitatem suae professionis, & obtinere Breve saecularisationis. Aliud ergo vix superesse ipsi videtur remedium, quam ut sollicitet Breve, vi cujus ipsi concedatur transire *ad laxiorem* ordinem, quod facile impetrabit, si forte invenerit *benevolum receptorem*. *Fromageau*.

CASUS XXII. 1. Estne valida professio religiosa, quando nulla praecessit informatio de moribus ? 2. Religiosus, qui occultavit notabilem defectum, super quo expresse fuit interrogatus, potestne dimitti, quando hujusmodi defectus primum post professionem innotuit ? 3. Professio peccatoris (publici) vel ejus, qui est infamis infamia juris aut facti, estne invalida, vel saltem illicita ?

℞. *Ad* 1. Juxta Bullam Sixti V. de anno 1588. ille, de cujus vita & moribus nulla praecessit informatio, est inhabilis ad professionem. Attamen Clemens VIII. in Bulla 83. de anno 1602 constitutionem Sixti V. moderatus est, eamque quoad nullitatem professionis juri communi adaptavit. *Ad* 2. Si quis defectum valde notabilem, ac respectu Ordinis & constitutionum loci essentialem ante professionem celavit, professio nulla est, taliterque professus dimitti potest. *Ad* 3. Professio peccatoris publici ac notorii de jure communi illicita quidem est, sed non invalida; licet vi statutorum Ordinis aut loci invalida esse possit. Quod attinet infames infamia tum juris tum facti, non sunt quidem inhabiles ad religiosam professionem; illicite tamen ad eam admittuntur. *Fromageau*.

CASUS XXIII. Liborius adolescens durissime habitus a suis parentibus, qui volebant ipsum cogere ad ingressum religionis, actu emisit professionem declinandae iniquae hujusmodi tractationis gratia, quae mox ab emissa professione cessavit. Teneturne hac sua professione ? An non habet sufficientem causam impugnandi vota sua ?

℞. Professio hujus adolescentis est nulla; cumque sat manifeste possit probare violentias sibi a parentibus illatas, haud difficulter impetrabit, ut nulla declarentur ipsius vota. *Fromageau*.

CA-

CASUS XXIV. Cassander juvenis emissa in Ordine S. Benedicti professione in sæculum redire constituit ex his rationibus : quod timuerit iram patris importunissime urgentis, ut religiosum Ordinem ingrederetur, secus nulla amplius ab eodem subsidia recepturus ad continuanda studia, & unice religionem intraverit ad ineundam patris gratiam : quod durante novitiatu edoctus non fuerit obligationes & officia vitæ regularis : quod ante professionem sæpius abeundi consilium mente agitaverit, certissime abiturus, si alicubi asylum patuisset, nec timendum sibi fuisset odium patris absque ulla spe veniæ incurrendum : & tandem quod anno secundo cum dimidio a sua professione actu reclamaverit contra vota sua. Quid consilii, ut Religiosus iste absolutionem a votis suis obtineat ?

℞. Professio Cassandri non potest declarari irrita, nisi ipsi suppetant probationes convincentes de intentata comminatione patris, & quidem tam gravi, ut necessariam ad amplectendum hunc statum libertatem ipsi ademerit. Si id probandi argumenta sat fortia in promptu esse existimet, supplicandum est pro rescripto Pontificio, monito prius Ordinario, quod ad Papam recurrendi consilium ceperit. *Fromageau.*

Nota. Videtur cum pluribus Theologis sentiendum, vota etiam solemnia dubii valoris non esse reservata Papæ, sed Episcopo, a quo prom discuti & judicari possunt.

CASUS XXV. Cimelius novitius fecit professionem adjecta quadam conditione. Estne valida ?

℞. Pro foro interno est nulla. Verum in foro externo habetur pro absoluta ; licet actus professi testentur de contrario. *Fromageau.*

Vide *Abbatissa* cas. 9. *Dispensatio in votis in genere. Dispensatio in votis Religiosorum. Monialis. Religiosus. Transactio. Votum.*

PROMISSIO.

1. Sub nomine *Promissio* charta vel syngrapha privata, propriæ tamen manus chirographo signata venit, qua quis se obligat ad solvendam summam mutuo acceptam, vel ex alio titulo debitam ; ad denotandam differentiam ab alia obligatione ejusdem tenoris, quæ tamen a Notario confecta in favorem creditoris obtinet vim hypothecæ in bonis debitoris. In sensu autem, quo in præsenti articulo sumitur promissio est *deliberata & spontanea fidei obligatio de re possibili gratâque promissa-*

missario, qua nempe quis se adstringit ad aliquid alicui dandum, faciendum aut prætermittendum, quod est in potestate promittentis.

2. Dicitur, *deliberata & spontanea*; quia procul abesse debet omnis violentia, error, dolus aut metus, promissioque fieri debet cum perfecta cognitione eorum, quæ naturam atque substantiam obligationis attinent. Additur, *de re possibili*, id est, de re, quæ non solum ex natura sua possibilis est, sed etiam absque peccato fieri potest. Dicitur denique, *grata promissario*, ut excludatur omne promissum mali cuiquam inferendi, seu comminatio.

3. Promissio fieri potest Deo æque ac hominibus; quæ fit Deo, dicitur *votum* aut *sponsio voti*, quæ autem fit hominibus, simpliciter vocatur *promissum*, *promissio* aut *pollicitatio*.

4. Promissio vel est pura & simplex, vel conditionata, vel denique juramento firmata.

5. Ratio non solum conscientiæ, sed & honoris quemque obligat ad servandum promissum quantumcunque simplex, saltem nisi notabilis mutatio interveniat: si enim v. g. cuiquam promisissem largitionem centum florenorum, is autem interea fieret inimicus aut persecutor meus, non tenerer exequi promissum: aut si facta cuidam promissione centum florenorum res meæ adeo dilaberentur, ut sine notabili damno proprio non possim promissum adimplere, cessat obligatio. Extra hos aut similes casus obligatio promissionis adeo certa est, ut etiam pagani eam agnoverint. *Quod affirmas*, inquit Cicero de Offic. *quasi Deo teste promiseris, id tenendum est.* Hinc est, quod viro honesto nil fere probrosius objici possit, quam quod fidem promissi sui fefellerit. Nihilominus ultra recensitos dantur adhuc alii casus, in quibus nec debet nec potest adimpleri promissum, ut ex sequentibus responsionibus patebit.

CASUS I. Cyrillus adhuc minorennis promisit matrimonium Eudoxiæ, a qua promissum recepit reciprocum. Cum autem nimiam sibi in eam indulsisset licentiam, cœpit illam fastidire; eo quod & aliis amatoribus adeo facilem eam fore autumaret. Poteritne hæc sola ratio ipsum excusare a servando promisso, licet puella oblatum pinguius matrimonium recusaverit, sola spe freta, potituram se nuptiis Cyrilli?

℞. Si consentiant parentes Cyrilli in nuptias cum Eudoxia, tenetur in conscientia stare promisso, non obstante usu corporis sibi ab eadem tam facile permisso. Si autem parentes consensum suum denegent, non potest absque peccato eam ducere. Ratio est; quia Ecclesia semper detestata est matrimonia a filiisfamilias inita sine consensu patrum, matrum, tuto-

tutorum & curatorum, ut loquitur Concilium Tridentinum Seff. 24. de reform. matrim. c. 1. Et parentes ipfi fuafione quidem adduci poffunt ad præftandum confenfum in matrimonium Cyrilli, fi graves rationes non habeant fe fe opponendi; cogi autem in rigore nunquam poffunt. In Gallia pœna exhæredationis lata eft in liberos invitis parentibus matrimonium contrahentes. *Pontas.*

CASUS II. Gafto Leonidi, cui ex pluribus titulis erat obftrictus, luculenta daturus grati animi argumenta, ferio promifit quingentos florenos, ut primum recepiffet 1000 florenos a quodam tertio fibi debitos. Gratum & ratum habuit promiffum hoc Leonides. At vero Gafto perfolutis fibi poft unius menfis lapfum mille florenis nolebat Leonidi dare plus quam partem dimidiam promiffæ fummæ. Teneturne in confcientia ad folutionem totius fummæ promiffæ?

℟. Si Gafto non habet juftam ac urgentem caufam ab adimpletione totius promiffi excufantem, tenetur Leonidi folvere integram fummam. *Si autem licitum eft & poffibile, quod promittit*, inquit S. Antoninus Summ. 2. part. tit. 10. c. 1. §. 4. *non fervando, cum poteft, utique peccat; quia omne promiffum debitum jure naturali fervandum eft.* Difficile tamen eft determinare qualitatem peccati ab eo commiffi, qui promiffum fallit, quibusdam mortale peccatum, aliis veniale duntaxat effe afferentibus. Videtur autem, non poffe hac in re folidum ferri judicium, nifi prius mature examinentur gravia vel levia damna & præjudicia, quæ exinde refultare poffunt. *Pontas.*

Nota. Cum primum obligans fit ipfe gratuitus promiffor, ab ejus intentione dependet modus obligationis. In dubio præfumitur intentio fe leviter obligandi, ubi violatio promiffi non poteft caufare gravem contriftationem vel damnificationem.

CASUS III. Damafus Juliano promifit rem de fe juftam, poffibilem ac rationabilem; fed mox a facto promiffo fupervenit notabilis mutatio. Teneturne hoc non obftante ftare promiffo?

℟. Regulariter loquendo datur obligatio exequendi promiffum, fi executio eft poffibilis & licita. Nihilominus tamen certum eft, quod Damafus non teneatur facto promiffo, quando mutatio fuperveniens eft tanta, ut poffit ipfum excufare a contracta obligatione; v. g. fi non poffit exequi promiffum fine præjudicio proximi, aut fine notabili detrimento proprio, aut abfque violatione juftæ prohibitionis fibi a

Superiore ecclesiastico vel sæculari factæ. Sic docet D. Thomas in Ep. ad Rom. 15. Lect. 3. *Pontas.*

Nota. Ea rei mutatio excusat ab obligatione adimplendi promissum, de qua si fuisset cogitatum & tractatum, verosimiliter promissio non esset facta.

CASUS IV. Alipius Petro promisit quinquaginta dupliones aureos, sed ex mera officiosa urbanitate, & absque omni intentione adimplendi promissum. An in conscientia tenetur illud exequi?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. nullum promissum importat veram obligationem, si desit consensus promittentis. Unde sequitur, quod, quamvis Alipius peccaverit contra sinceritatem & bonam fidem promittendo absque animo promissum adimplendi, non tamen obligetur vi hujus promissionis ad tradendos Petro quinquaginta dupliones. *Si autem est licitum*, ait S. Antoninus Summ. 2. part. tit. 10. c. 1. §. 4. *& possibile, quod promittit, sed servare non intendit, utique peccat; quia mendacium dicit.* Si tamen Alipius ficta promissione intendisset decipere Petrum, eique per hoc damnum intulisset, ad hujus reparationem dubio procul teneretur. *Pontas.*

CASUS V. Julianus per silvam iter faciens incidit in latronem, qui præsentem ipsi mortem minitatur. Ad evitandum periculum Julianus promittit ipsi viginti dupliones intra viginti quatuor horas sub arbore a latrone indicata deponendos, attamen cum expressa intentione pro summæ hujus restitutione apud judicem agendi. Teneturne Julianus stare suo promisso? Num promittendo commisit mendacium?

℟. Non tenetur juxta S. Thomam 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2. exequi promissum ex metu adeo gravi latroni factum. Nec etiam mendacii condemnari potest: vere enim & ex animo voluit dare pecunias evitandæ mortis causa, quam latro minitabatur, ut idem S. Thomas docet in 4. dist. 29. q. un. art. 3. ad 4. *Pontas.*

CASUS VI. Anatolius celebris nummularius in summo discrimine constitutus omnia sua bona amittendi, nisi fixo die habeat 5000. florenos, convenit Manilium amicum suum notorium usurarium, eumque rogat, ut ad sex menses commodaret sibi hanc summam. Nolente autem id obsequii gratis præstare Manilio, Anatolius oretenus ipsi promittit censum decem florenorum pro centum; eoquod timeret jacturam bonorum, fidei apud socios, & famæ, ni exhibere posset hanc summam. Teneturne Anatolius in conscientia solvere has usuras?

℟. Di-

℞. Distinguitur duplex metus, *juste* nempe & *injuste* incussus. Promissio facta ex metu justo, utcumque gravi, modo non fuerit tantus, ut penitus sustulerit deliberationem voluntatis, parit obligationem: nam, cum motivum metus supponatur esse justum, datur obligatio promittendi, & consequenter servandi promissum; vel saltem illud opere exequendi, quia factum est voluntarie ac ex justis rationibus. Argumentum simul & exemplum ministrat lex *Si mulier*. 21. ff. Lib. 4. Tit. 2. *Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se esse ingratam, cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in servitutem redigatur, cessat edictum* (scilicet quod possit repetere, quod solvit) *quia hunc sibi metum ipsa infert.* Si vero motiva metus injusta sunt, ut in præsenti casu, cessat omnis obligatio. *Ille, qui vim intulit*, ait S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. *hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Pontas.*

CASUS VII. Scævola promisit Thomæ decem duplione aureos ea conditione, ut occidat, vel saltem graviter percutiat ac contumeliis oneret inimicum suum. Pactam conditionem explevit Thomas. Teneturne Scævola in conscientia Petro solvere promissam summam?

℞. Neque pro foro interno, nec pro externo ad id tenetur: omnis enim promissio ac conventio, quæ mediante summa pecuniaria vel alia remuneratione tendit ad committendum aliquod crimen, estque prohibita legibus divinis vel humanis, nullam omnino nec ante nec post producit obligationem: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ait regula juris 64. in 6. Et hinc Scævola ad nihil aliud tenetur, nisi ad sinceram pœnitentiam. Doctrina hæc fundatur in pluribus decretalibus, & leges civiles quoque hac in re omnino sunt conformes constitutionibus canonicis. Omnes hæ leges fundantur in jure naturali, quod nunquam sufferre potest, ut actio mala digna censeatur recompensatione. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio ejusque ratio confirmat sententiam, quod contractus initi sub conditione turpi sint jure naturæ invalidi.

CASUS VIII. Jordanus prostitutæ pudicitiæ mulieri promisit sex aureos tanquam pretium perpetrandi peccati. Teneturne suo promisso?

℞. Tantum abest, ut teneatur servare promissum, ut etiam peccaverit promittendo, maxime si facta fuit promissio animo diutius cum ea continuandi carnale commercium. Novum peccatum committeret ex eo fine promissam pro flagitio mercedem persolvendo. *Augustinus dicit supra Joannem*, ait Doctor angelicus 2. 2. q. 108. art. 3. ad 3. *quod donare res*

suas

suas histrionibus vitium est immane; nisi forte aliquis histrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subveniendum. Pontas.

CASUS IX. Euprepia matrona famulæ suæ cubiculariæ donum nuptiale promisit centum florenorum, & insuper augmentum salarii viginti florenorum. Teneturne coram Deo implere promissum, licet tantum verbaliter factum?

℟. Tenetur, si per ipsius facultates id licet, simulque promissio a cubicularia fuit acceptata. *Fromageau.*

CASUS X. Pollio famulus cujusdam villici, credens filiam heri sui esse virginem, cum ea fornicatur, addita ad facilius impetrandum usum corporis promissione matrimonii. Verum advertens, puellam jam ab alio fuisse corruptam, sententiam suam quoad matrimonium cum ipsa contrahendum mutavit, caute tamen hoc animi sui consilium eidem occultans; immo constantiam suam in amore, quo ipsam deperibat, sæpius in faciem declarat, consuetisque visitationibus probat. Teneturne vi promissi eam ducere?

℟. Tenetur ducere puellam: nam posito etiam, quod Pollio salva conscientia potuerit mutarè mentem suam, postquam cognovit vitium puellæ, quod tamen negant Lugo & Giribaldus; certissimum tamen est, quod non amplius resilire possit, dum cognita prostitutione fœminæ nihilominus continuavit cum ipsa flagitiosam consuetudinem dissimulata retractatione promissi matrimonii. Ratio est; quia, cum bene sciret, puellam non consensisse in copulam nisi ob promissionem matrimonii sibi factam, sub eadem conditione saltem tacite censetur etiam deinceps petiisse & acceptasse consensum juvenculæ in opus carnale, sicque ratificasse veterem suam obligationem per novum contractum onerosum, qui utramque partem obligat. C. B.

Nota. Confer responsionem ad hunc & sequentem casum cum responsionibus ad casus 7. & 8. & videbis, quantum distent principia compilatoris casuum Bononiensium circa doctrinam moralem de contractibus turpibus a principiis Pontasii, scilicet velut æra lupinis: hic autem præbuit Deo & naturæ intus loquenti, ille autem probabilistis, qui ab omni vento doctrinæ quoquo versum abripiuntur.

CASUS XI. Albertus centum Imperiales promittit sicario, si Petrum occiderit. Teneturne Albertus secuto effectu adimplere promissum?

℟. Sunt quidem, qui negant eum teneri; eo quod ex actione injusta, ut est homicidium, non possit oriri obligatio justitiæ. Alii tamen, nominatim D. Thomas, Lessius, Lugo, Diana & Tamburinus communius affirmant, Albertum teneri ad explendam promissionem. Rationem sententiæ

tiæ

tiæ suæ hanc afferunt; quia pecuniæ non fuerunt promissæ tanquam pretium peccati, sed intuitu periculi, cui se sicarius commissurus erat perpetrando homicidium. Cum ergo hic, exponendo se tanto periculo, acquisiverit jus exigendi hanc summam, Albertus ex eadem ratione contraxit obligationem eandem solvendi. C. B.

Nota. Fœtida hæc responsio eandem Probabilismi cloacam olet, quæ responsionem ad casum præcedentem exhalavit.

PROMOTOR.

1. *Promotor* dicitur Officialis ecclesiæ, qui in rebus concernentibus jurisdictionem ecclesiasticam easdem exercet functiones, quas Procurator Principis in forensi Curia, ut est petere informationem aut comprehensionem Clericorum gravis delicti reorum, urgere expeditionem causarum ad Officialem delatarum, invigilare juribus, libertatibus, ac immunitatibus ecclesiæ, tueri vigorem ac robur disciplinæ ecclesiasticæ &c.

2. Cum per sacros Canones non liceat laicis accusare Clericos, nisi in certis quibusdam casibus, ad Promotoris officium non potest assumi nisi persona ecclesiastica: cujus enim est persequi Clericos delinquentes coram judicio episcopali, & ipsum Clericum esse convenit.

3. Ex sequentibus decisionibus plura elucescent, quæ Promotores concernunt, quibusque insistendum ipsis in administratione officii sui.

Nota. Hoc nomen *Promotor* in Gallia potissimum, Hispania ac Italia in usu est: illius tamen officium etiam in ecclesiis cathedralibus Germaniæ obtinet, ubi, qui eo fungitur, *Fiscalis* dicitur.

CASUS I. Sextius Promotor cujusdam Curiæ episcopalis, simulque parochus inquisitionem habuit ex officio contra Gualterium clericum sandalosæ vitæ infamia notatum, & propterea accusatum; vocatisque ac citatis duobus vel tribus parochianis accusati amicis, præsens ipsemet interfuit informationi & interrogationibus accusati Clerici, imo etiam testium cum reo confrontationi, eo fine, ne se præsente testes variarent in depositione, vel celarent veritatem factorum, de quibus antea testimonium dixerant. Potuitne hoc facere absque peccato contra justitiam?

℟. Non potuit præsens interesse interrogationi, testificationum collationi seu prælectioni, vel confrontationi, aut informationi testium contra accusatum: processus enim criminalis debet esse secretus, & Promotor est pars publica, ex jus-

jusque functio est incompatibilis cum officio Judicis. Gualterius igitur contra hanc formam judicialem potest excipere, ac petere declarationem nullitatis. *Pontas.*

CASUS II. Romilius Promotor diœcesis Albensis acceptavit resignationem Pœnitentiariæ ecclesiæ hujus cathedralis in suum favorem factam. Poteftne licite exercere simul functiones hujus Beneficii, & munus Promotoris?

℟. Pœnitentiarii & Promotoris officia non possunt exerceri ab una eademque persona. Pœnitentiarius vi officii tenetur absolvere reum de commissis peccatis serio dolentem, Promotor econtra ex obligatione justitiæ debet agere ad ejus punitionem. Juri naturæ & gentium, imo etiam disciplinæ ecclesiasticæ repugnat, eundem esse accusatorem, assessorem in tribunali, & judicem. Hinc Romilius alterutrum horum officiorum eligat necesse est, & alterum dimittat. *Pontas.*

CASUS III. Ruffinus Promotor cujusdam diœcesis evidenter scit, Alexium presbyterum reum esse criminis, attamen occulti. Teneturne in conscientia petere ab Officiali licentiam inquirendi in hoc crimen vel personam criminosi?

℟. Non solum non tenetur informationem instituere contra Alexium, sed ne quidem potest: notandum enim est, quod in Gallia maxime & Hispania, dum agitur de crimine occulto, Promotor in judicium provocans Clericum exhibere debeat denunciatorem, qui in casu, quo id opus fuerit, cavere possit de damno & interesse accusati. Ad hæc, si accusatus per sententiam absolutus & declaratus innocens, scire petat denunciatorem a Promotore, hic eum manifestare tenetur, ni ipse præstare velit omnes litis impensas. *Pontas.*

CASUS IV. Rhotodus ecclesiæ cathedralis Canonicus & Promotor prætendit, habendum se esse ut præsentem in choro, adeoque lucrari posse distributiones quotidianas absque onere frequentandi chorum; prætensioni autem huic contradicit Capitulum cathedrale. Poteftne cum securitate conscientiæ hac in re litem movere Capitulo?

℟. Si Capitulum persistat in sententia negandi ipsi distributiones, dum actualiter occupatur in exercitio muneris sui, jure potest petere sententiam contra Capitulum; aliis vero temporibus tenetur assistere choro. Dicitur: *dum actualiter occupatur in exercitio muneris sui:* sicut enim Pœnitentiarius, dum in confessionali non occupatur, & Scholasticus extra tempus necessarii studii aut prædicationis Verbi divini tenentur interesse choro, ita & Promotor. *Pontas.*

Vide *Officialis.*

PROVI-

PROVISIO BENEFICII.

1. *Provisio* est titulus a legitimo Superiore collatus Clerico habili ac idoneo ad possidendum Beneficium ; & sine hoc titulo in nullo casu legitime obtineri potest Beneficium qualecumque demum, juxta Bonifacium VIII. reg. jur. 1. in 6. *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.* Titulus iste consistit in litteris patentibus, quibus collator declarat, se hoc Beneficium hac ratione vacans conferre huic, & quæ vel diriguntur ad eum, qui providetur, vel ad illos, quorum est provisum recipere, & in possessionem immittere.

2. Provisio obtinetur per simplicem renunciationem seu cessionem prioris Beneficiati, per resignationem in favorem, ex causa permutationis, vel in titulum Commendæ.

3. Omnis provisio est nulla, ubi intervenit simonia vel confidentia ; aut dum confertur personæ inhabili ad possidendum Beneficium, ut est laicus, clericus excommunicatus, bigamus, illegitimus, aut quocumque alio impedimento canonico laborans.

4. In provisionis instrumento debet exprimi, an collatio sit libera vel coacta. *Libera* est, quæ ex sola voluntate collatoris dependet. *Coacta* est, quam collator non potest recusare, ut quæ fit ad præsentationem Patroni intra debitum tempus factam.

CASUS I. Romulus filio suo Aollio sex tantum ætatis annos habenti procuravit provisionem ad Capellam simplicem. Estne valida & canonica istiusmodi provisio ?

℟. Nec valida est nec canonica : ut enim quis censeatur legitime provisus hujusmodi Beneficio, requiritur, ut habeat annos ætatis septem completos. Regula hæc : *Annus inceptus pro completo habetur* non habet locum quoad Beneficia simplicis tonsuræ, sed solum quoad Beneficia honoraria, pro quibus ad canonicam provisionem sufficit solummodo inchoasse annum de jure requisitum. *Qui ingressus est certum annum, dicitur ad ipsum pervenisse*, ut ait Zacharias Pasqualigi. *Pontas*.

CASUS II. Euphronius diaconus ætatis solum viginti trium annorum & unius mensis fuit provisus quadam parochia. Estne canonica hæc provisio ? Et si post annum integrum a provisione computatum non receperit sacerdotium, estne ipso jure privatus suo Beneficio ?

℟. Juxta

℟. Juxta constitutiones plurium Conciliorum, & specialiter Tridentini Sess. 24. cap. 12. de reform. & Sess. 22. cap. 4. de reform. requiritur ad provisionem Beneficii & ad quasdam dignitates in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis ætas viginti quinque annorum. Hoc tamen disciplinæ punctum non ubique observatur in omni suo rigore juxta Cabassutium; sicque, si Beneficium foret litigiosum, sufficeret recipere presbyteratum post annum adeptæ pacificæ possessionis. Dantur vero alia Beneficia, quæ non possunt aquiri, nisi quis habeat Ordines vi fundationis aut consuetudinis iisdem annexos. Hac occasione notari meretur, quod, quando Beneficium tantum vacat *ipso jure*, titulari adhuc competat jus illud resignandi vel permutandi; quod si vero vacet *ipso facto*, non possit amplius de eodem disponere. *Pontas.*

CASUS III. Valesius diaconus annos natus viginti quinque provisus fuit aliqua Capella. Verum cum titulus fundationis expresse contineat, ut non nisi presbytero conferatur, dubitat, an provisio sit valida, & num sufficiat, si intra annum a die adeptæ possessionis sacerdotium suscipiat.

℟. Provisio Valesii est nulla, nec sufficit intra annum recipere presbyteratum. *Qualitas juncta verbo intelligitur secundum tempus verbi, quod adiicitur.* Argum. Leg. 4. §. 1. ff. Lib. 9. Tit. 4. *Pontas.*

CASUS IV. Callimachus habens Capellam, cujus annui redditus non excedunt 15. florenos, provisus fuit per obitum Prioratu 400. florenorum. At vero in sua supplicatione ad Papam nullam fecit mentionem hujus Capellæ. Præjudicatne hæc omissio ipsius provisioni?

℟. Absolute necessarium est, ut, qui Papæ supplicat pro Beneficio in forma gratiosa, in supplicatione exprimat, an etiam possideat alia Beneficia; horumque naturam, dignitatem & redditus, utut modicos, fideliter & accurate indicet. Sic Lucius III. cap. *Ad aures.* 8. Lib. 1. Tit. 3. Adeoque provisio Callimachi est nulla. *Pontas.*

Nota. Beneficium adeo tenue non censetur habere taxam Romæ, ac proin haberi & habendum relate ad finem intentum pro nullo.

CASUS V. Rudolphus in Curia parochiam resignavit Saturnino, cui ante sex menses Joannes resignaverat Capellam; de qua tamen resignatione nec Rudolphus nec Saturninus ullam habuit notitiam. Estne valida obtenta in Curia provisio, licet in supplicatione non fuerit expressum jus, quod Saturnino competebat ad Capellam?

℟. Pro-

℟. Provisio hæc habetur pro valida; quia, dum ea data est, Saturninus necdum acceptavit resignationem Capellæ. *Justa & probabilis ignorantia impetrantem excusat*, ut ait Cabassutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 2. c. 21. n. 21. Idem declaravit Bonifacius VIII. Cap. *Gratia*. 7. in 6. Lib. 1. Tit. 3. Verumtamen, quia Saturninus turbari posset in possessione parochiæ, eoquod forte suam de Capellæ resignatione ignorantiam satis probare haud valeat, perbene faciet, si secundam sibi provisionem procuret, licet ea in foro conscientiæ non indigeat; sicut id juxta non nullos Authores necessarium non est in resignationibus factis causa permutationis. *Pontas.*

CASUS VI. Castrucius annos viginti & unum natus per resignationem sibi in Curia Romana factam obtinuit præbendam sacerdotalem cum hac clausula in provisione expressa: *Quod tu, quatenus dicti Canonicatus & præbenda sacerdotales existunt, cum primum ad ætatem legitimam quemcumque Ordinem sacrum suscipiendi perveneris, proximis inde futuris temporibus Ordinem ipsum, quem ætas postulaverit, videlicet subdiaconatus, diaconatus & presbyteratus suscipere omnino tenearis; alioquin primo dicti Canonicatus & præbenda etiam vacent eo ipso.* Obtenta igitur provisione adiit possessionem sui Beneficii; sed per integrum biennium neglexit suscipere subdiaconatum, eoque primum fuit initiatus anno ætatis vigesimo tertio cum dimidio. Amisitne suam præbendam vi verborum provisioni insertorum, *eo ipso vacent*; quin opus sit sententia amissionis declaratoria?

℟. Non obstante clausula provisioni inserta, & licet præscripto tempore subdiaconatum non receperit, non amisit suam præbendam ipso jure. *Etiamsi lex vel statutum pœnam imponat ipso facto vel ipso jure*, ait Sylvester de Prierio. v. *Pœna*. q. 25. *adhuc ad executionem necessaria est sententia. Pontas.*

CASUS VII. Decius a viginti annis est in possessione cujusdam præbendæ, quam in Curia Romana simoniace obtinuit. Modo autem resignat hoc Beneficium Cajo nepoti suo; qui & ejusdem possessionem nactus est. Estne provisio Caji canonica?

℟. Est invalida; & si de simonia Decii notitiam habet, præbendam tuta conscientia retinere non potest. Ratio est; quia Simoniacus non potest esse legitimus Titularis Beneficii simoniace aquisiti, quantocumque illud tempore possederit; & consequenter non habet jus de eo disponendi in favorem alte-

alterius juxta communem hanc regulam: *Nemo dat, quod non habeat. Pontas.*

CASUS VIII. Decentius ecclesiæ cathedralis Canonicus vult resignare suam præbendam Francisco nepoti suo sub onere reservatæ sibi pensionis, non obstante antiquo statuto capitulari per Bullam Pontificiam confirmato, quo Canonici prohibentur capere possessionem alicujus Canonicatus, cui pensio est imposita; nec in supplicatione statuti hujus & Bullæ ulla facta est mentio. An non tam provisio quam constitutio pensionis ob hanc omissionem censentur esse subreptitiæ?

℞. Utraque est subreptitia & nulla: Papa enim certe nunquam provisionem concessisset, aut in reservationem pensionis consensisset, si habuisset notitiam de hoc statuto a Sede Apostolica confirmato. Capitulum nequit in gremium suum admittere Franciscum sine violatione statuti & Bullæ confirmatoriæ. Nec Decentius ullum habet jus ad hanc pensionem, utpote fundatam in titulo illegitimo. *Pontas.*

CASUS IX. Octavius supplicat apud Curiam pro obtinendo Prioratu simplici S. Blasii; sed per errorem & ex ignorantia exponit, Beneficium hoc esse curatum. Valetne ipsius provisio?

℞. Falsum quidem exposuit Octavius; non tamen ea intentione, in quam cadere posset culpa fraudis vel deceptionis. Hinc provisio ipsius valida est & canonica. Ita & sentit Navarrus Concilior. L. 1. Concil. 15. n. 1. & 2. dum ait: *Taciturnitas ejus, quo expresso æque Princeps fecisset gratiam, non nocet, Pontas.*

CASUS X. Eulalius acolythus incurrit irregularitatem ob matrimonium contractum cum vidua, ex qua etiam prolem suscepit. Defuncta uxore provisus est Prioratu simplici, nulla petita vel obtenta dispensatione. Estne legitima ipsius provisio?

℞. Omnis irregularitas orta sive ex delicto sive ex defectu est impedimentum excludens ab Ordinibus & Beneficiis. *Viam ad Ordines & Beneficia præcludunt irregularitates*, ait Cabassutius Lib. 5. c. 19. Et hinc provisio Eulalii nec valida est nec canonica. *Pontas.*

CASUS XI. Florianus dimittere cogitat Beneficium Capellæ, idque procurare Gastoni nepoti suo; renunciat proin pure ac simpliciter in manibus collatoris, & postea eum rogat, ut illud conferat Gastoni, quem secum adduxerat. Precibus Floriani annuens collator Capellaniam confert Gastoni, qui obten-

obtenta provisione possessionem Beneficii mox arripuit. Estne canonica hæc provisio ?

℞. Cum nulla intervenerit cum collatore conventio vel pactum, nec ex parte Floriani nec ex parte Gastonis, provisio est canonica. Florianus absolutum Beneficii dominium reliquit collatori, dum absque omni limitatione ipsi reddidit Capellam, & consequenter plenam ei dedit libertatem nepoti suo eam conferendi vel denegandi. *Pontas.*

CASUS XII. Januarius Clericus sæcularis annos viginti natus provisus fuit Prioratu pertinente ad quamdam abbatiam Benedictinam in titulum Commendæ: ingreditur autem Ordinem S. Benedicti, ac in eo post annum novitiatus professionem emittit, nihil omnino disponens de Prioratu, quem sibi retinere cogitabat, utpote aliunde jam a suo Ordine dependentem. Interim vero Laurentius in Curia impetrat provisionem pro dicto Prioratu tanquam vacante per solemnem professionem Januarii. Poteſtne citra conscientiæ labem uti hac provisione ?

℞. Laurentius est legitime provisus hoc Prioratu, vere vacante per professionem solemnem Januarii, qui illum non nisi titulo Commendæ possederat. *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur*, ait Bonifacius VIII. cap. *Beneficium.* 4. Lib. 3. Tit. 4. in 6. *non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat assensus, aut constet, quod professionem expressam fecerit. Pontas.*

CASUS XIII. Pachomius Abbas regularis & Conventus neglexerunt nominare ad Prioratum regularem suo a monasterio dependentem. Duo Clerici sæculares hoc Beneficio successive provisi illud per annos triginta pacifice possederunt; & defuncto ultimo Titulari Lampridius pariter sacerdos sæcularis provisionem obtinuit ab Ordinario. Estne provisio ipsius canonica? Poteritne sic provisus retinere Beneficium, maxime si nemo ipsi desuper controversiam moveat ?

℞. Provisio Lampridii non est canonica, nec tuta conscientia poterit retinere Prioratum: sicut enim Regularis non potest possidere Beneficium sæculare, ita etiam vice versa Sæculari non potest conferri Beneficium regulare. Nec prodest Lampridio allegare continuatam per triginta annos a Sæcularibus possessionem hujus Prioratus: nam licet verum sit, statum & naturam Beneficii mutari posse per consuetudinem, certum tamen est, hanc consuetudinem non habere vim legitimæ præscriptionis, nisi post tempus quadraginta annorum completorum. *Pontas.*

CASUS XIV. Basilides parochus regularis aliquot ante obitum suum septimanis Davidi resignavit parochiam suam. David interim, donec reciperet provisiones suas, petiit ab Episcopo obtinuitque licentiam exercendi functiones parochiales. Ut vero sumptibus parceret, ultra decennium neglexit urgere expeditionem provisionum; semper tamen interea exercuit munia parochialia, titulumque parochi in omnibus actibus publicis ac prærogativam sibi assumpsit. Num bene?

℟. Peccavit certe Davides arrogando sibi titulum ac prærogativam parochi, qui ipsi neutiquam competebat. Peccavit quoque percipiendo fructus ex Beneficio, cujus legitimus Titularis non erat ante obtentam provisionem. Potuit nihilominus obire functiones parochiales, & correspodentes fructus percipere de licentia & consensu Ordinarii ad parochiæ servitia illum deputantis. Cæterum evidens est, talem agendi modum valde affinem esse intrusioni; quia, cum hic presbyter peteret ab Episcopo permissionem parochiæ deserviendi, usquedum Romanam reciperet provisionem, præsumendum non est, Episcopum habuisse intentionem id concedendi ad decem annos, quod tamen ausus est David, de procuranda expeditione provisionis parum sollicitus. Et in hoc casu intrusionis, si res non sit notoria, Episcopus posset eum absolvere ac rehabilitare a pœna canonica, quam facile incurrere potuisset. *Pontas.*

CASUS XV. Amalarius Romam misit supplices litteras ad obtinendum Prioratum regularem Ordinis Cluniacensis *pro cupiente profiteri*, nullam tamen habens intentionem profitendi hunc Ordinem. Accepit ergo sub dicta clausula suam provisionem, & Beneficii possessionem adiit. Estne valida hæc provisio, ita ut Amalarius Beneficium juste retinere possit?

℟. Certum est, Amalarium non esse legitime provisum: Papa enim expresse ipsi provisionem concessit solum sub hac conditione, ut Ordinem Cluniacensem ingrederetur, quod ipse facturum se spoponderat, scilicet ficte. Cum ergo Amalarius in supplicatione sua falsum exposuerit, & quidem circa articulum essentialem, provisio subreptitia est, & consequenter nulla, teneturque dimittere Beneficium; id quod evidenter deducitur ex Cap. *Ex parte.* 2. Lib. 1. Tit. 3. *Pontas.*

CASUS XVI. Sertorius actu suspensus ab exercitio Ordinum, aut ligatus excommunicatione majore ob crimen occultum:

cultum : acceptavit oblatum sibi Beneficium. Estne valida & canonica ipsius provisio ?

℞. Nulla est ac invalida : plures enim Canones ut inhabiles ad Beneficia declarant eos, qui sunt innodati censuris, utut occultis. *Pontas.*

CASUS XVII. Baldericus subdiaconus, qui ob homicidium voluntarium, prorsus tamen occultum, irregularitatem incurrerat, obtinuit Beneficium Capellæ. Valetne hæc provisio ?

℞. Non valet : provisio enim irregulari facta ipso jure nulla est ; sive dein ejusmodi irregularitas ex delicto publica sit, sive occulta. *Cum etiam*, inquit Concilium Tridentinum. Sess. 14. c. 7. de reform. *qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari avelli debeat ; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica Beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat ; sed omni Ordine, ac Beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat. Pontas.*

CASUS XVIII. Pirminius Clericus operam suam & auxilium contulit ad occultandum corpus defuncti Beneficiati, ut lucraretur tempus obtinendi hoc Beneficium a Sede Apostolica. Num valet sic obtenta provisio ?

℞. Clericus iste reddidit sese inhabilem ad possidendum hoc Beneficium, provisio ipsius est nulla, ac pro intruso habendus est, licet pœnas canonicas non incurrerit. *Fromageau.*

CASUS XIX. Lucianus Episcopus Clerico cuidam confert Canonicatum, quem vacare existimabat per cessionem Titularis factam a fratre hujus Clerici, cujus tamen consanguinei, ut mentita hæc cessio speciem veri præseferret, mortem celaverunt. Benene ac legitime est provisus hic Clericus ?

℞. Si ita egerunt consanguinei vel parentes Clerico inscio, bene est provisus, & legitimus possessor Canonicatus; quem etiam poterit resignare pro suo beneplacito, quin a quopiam molestari & inquietari desuper possit. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Collatio. Devolutio. Permutatio. Resignatio.*

PROXENETA.

1. *Proxeneta* dicitur, qui ad ineundos ac concludendos contractus in variis negotiis, ut emptionibus, venditioni-

bus, mutuis, pactis nuptialibus, aut in taxando pretio ac æstimando valore rerum suam interponit operam ac industriam.

2. Licet præcipua proxinetæ obligatio esse debeat, ut sit fidelis, nulla tamen reperitur professio, in qua fraus, mendacium ac deceptio frequentius in usu est, ac in ista; ita ut olim proxenetæ in causis ac negotiis, quibus sese immiscuerunt, testes esse non possent, nisi de consensu omnium partium.

3. Proxenetam adhibendi nulla datur obligatio; cum quisque per semet ipsum sua gerere possit negotia. Proxenetæ neutiquam se vades constituunt ac fidejussores de successu ac eventu negotiationum suarum. Semper consulere debent secundum notitiam ac conscientiam suam. Si debitores solvendo non sint, nequaquam proxenetæ conveniri possunt, etiamsi eos solvendo esse affirmaverint: tenentur tamen de dolo.

4. Pro negotiationibus licitis debetur proxenetis salarium; imo, ubi ejusmodi consuetudo viget, ab utraque parte illud petere possunt.

CASUS. Petrus indiget mille florenis; accedit ergo Carolum proxenetam, ejus industria summam hanc a quocumque demum mutuam recepturus. Carolus accedit Paulum hominem avarum ac notum usurarium, & obtinet ab eo pro Petro mille florenos, petito autem censu annuo immodica, & justos limites notabiliter excedente. Potuitne Carolus operam suam locare ad negotiationem hanc?

℞. Peccavit graviter Carolus Paulo occasionem dando ex pecuniis suis usurarium ac injustum lucrum capiendi. Teneturque, Paulo non restituente, ipse ad restitutionem. Potest tamen Carolus retinere salarium ob collatam operam suam perceptum. *Fromageau.*

Vide *Usura.*

PUERPERIUM.

CASUS. Licetne in puerperio periculoso extrahere infantem, prius in utero materno baptizatum, si certo constet, ipsum exinde esse moriturum? Et num sacerdos id consulere potest?

℞. Si infans certo enecandus sit, non potest sic eximi absque peccato mortali; neque sacerdos id dare consilii potest, quin graviter peccet, & irregularitatem incurrat. *De Lamet.*

NOTA.

Nota, Hæc responsio admitti potest, si mater conservari potest in vita: si enim jam obierit, aut æque probabile, perituram matrem cum partu, aliter sentiendum, prout docet Cangiamilla in suo præclaro opere: *Embriologia.*

PUPILLARES PECUNIÆ.

1. *Pecuniarum pupillarium* nomine veniunt bona minorennium vel pupillorum, ac proventus, quos ad eorum alimentationem & sustentationem tutores ac curatores inde percipiunt. Bona hæc aut sunt mobilia aut immobilia: bona mobilia, quæ non fructificant, ac facile perire possunt tenetur tutor vendere, quamprimum fieri poterit, redactasque exinde pecunias pro utilitate pupilli elocare. Si tamen bona ista mobilia consistant v. g. in pecoribus prædii, in vasis vinariis necessariis ad vindemiam &c. servari debent, ut & gemmæ, picturæ, aliaque pretiosa. Notandum autem, si tutela brevi tantum duret tempore, tutorem non teneri ad venditionem bonorum mobilium pupilli, quæ utiliter servari non possunt.

2. Juxta opinionem communissimam pecuniæ ex mobilium venditione redactæ & proventus ex immobilibus impendi debent ad expungenda debita passiva & removenda onera, quodque reliquum est, ad comperandos fundos aut redditus annuos, non autem ad census usurarios ex mutuo. Hinc tutores ac curatores ex pecuniis pupillorum ac minorennium census exigere nequeunt absque vero ac legitimo titulo. Si nulla tutoribus occasio sese obtulit utiliter collocandi pecunias pupillorum suorum, & probare non possint, se omnem adhibuisse industriam, sollicite occasionem quæsiisse, ac insuper consilia hac super re cum consanguineis pupillorum contulisse, ipsimet ad compensationem damni condemnantur.

3. In pluribus provinciis maxime Germaniæ tutores ex pecuniis pupillorum mutuo datis censum percipiunt; & hæc praxis omnium tribunalium authoritate firmatur. Et eapropter sequens proponitur

CASUS. Census ex pecuniis pupillaribus, prout in usu est in non nullis locis, aliquibus videtur usurarius, & ab aliis excusatur ab usura. Quid sentiendum?

℞. Prior sententia in conscientia securior est: non enim licet pecunias pupillares fœnori dare pro censu annuo; cum usura suapte natura mala sit, legique tam naturali quam divinæ contraria, ac consequenter nulla lege humana

aut consuetudine firmari possit. Non potest exigi indemnitas ex mutuo, si nullum concurrit periculum sortis. *Fromageau.*

Nota. Cum illustria tribunalia usu & sapientia præstantia, ut merito supponitur, censum ex pecuniis pupillaribus mutuo datis sua authoritate probent ac roborent, non est præsumendum, eum omni justo titulo destitui. Vide *Usura.*

Q.

QUADRAGESIMA.

1. *Quadragesimæ* vocabulo designantur quadraginta sex dies præcedentes festum Paschatis, quorum dierum spatio fidelibus Ecclesia jejunium præcipit, & quemcumque carnis esum sine legitima causa & dispensatione interdicit.

2. Patres identidem declararunt, jejunia nihil prodesse, nisi pravæ cupiditates compescerentur, & ad proprium officium & orationem diligentius incumberetur. Quia porro nemo unus est, qui, nisi omnino non possit, se a pœnitentia eximere debeat, certum est, eos omnes, qui jejunium servare valent, ad id obligari.

CASUS I. Castulus homo ditissimus quotidie tempore quadragesimali opipare prandet, eaque lautitia tam in cibo quam in potu, ut ampliorem nemo dives, quicumque sit, desiderare posset. Violatne jejunium ab Ecclesia præceptum, etsi tantum unicam hanc sumat refectionem, & quidem hora consueta?

℞ Non violat quidem jejunium; peccat tamen contra temperantiam, agitque contra rationem pœnitentiæ, quæ hujus præcepti finis est. *Intentio Ecclesiæ est*, inquit Tostatus in c. 6. Matth. q. 166. *homines per jejunium affligere, & ad hoc determinavit modum, qui est abstinere a talibus cibis, & semel tantum comedere. Licet ergo quis non affligat se ipsum, dum semel tantum comedat, & abstineat a cibis vetitis, non frangit jejunium, licet agat contra intentionem legislatoris. Fromageau.*

CASUS II. Titius habet licentiam in Quadragesima vescendi carnibus; eoquod cibi esuriales obsint ipsius valetudini; sed omnino non jejunat. Num peccat?

℞. Peccat graviter; quia præceptum jejunandi in Quadragesima, & præceptum abstinendi a carnibus sunt distincta præcepta, ita ut ad unum quis maneat obligatus, etsi quoad

ad alterum fit difpenfatus. Hinc fi Titius vefcens carnibus non fentiret detrimentum fanitatis fuæ, unicam tantum fumendo refectionem, peccat contra præceptum jejunandi fumendo duplicem. Ita S. Thomas in 4. dift. 15. art. 5. C. B.

CASUS III. Amadeus paterfamilias, qui habet licentiam vefcendi carnibus in Quadragefima, petit a medico, ut licentiam hanc extendat ad totam fuam familiam, ne diverfi generis cibos majoribus impenfis fubminiftrare teneretur. Licetne hoc?

℟. Non licet; quia paterfamilias ifte petit aliquid a medico, quod nullatenus ille concedendi jus habet: medici enim folum eft judicium ferre de morbis, conftitutione corporis ac ftatu valetudinis; neutiquam autem is determinare poteft, utrum familia quædam fit adeo pauper, ut non poffit diverfi generis cibos fibi comparare. C. B.

QUIETISMUS.

Quietifmus confiftit in erroribus difcipulorum Michaelis de Molinos contentis in libro, cui titulus: *Communio Spiritualis*, in quo adftruitur, fublimiffimam perfectionem confiftere in oratione quieta, quæ nihil aliud eft, quam fimplex contemplatio absque ulla reflexione.

CASUS. Scaliger legit librum, cui titulus: *Communio Spiritualis*, ejusque perverfa fequitur dogmata. Quid agendum hominis hujus confeffario?

℟. Liber ifte, utpote continens doctrinam falfam & temerariam, eft damnatus, ac confequenter omnium manibus eripiendus. Qui ejusdem fequitur prava dogmata, in manifefto errore verfatur; & non folum confeffarius ejusdem lectionem fuis pœnitentibus prohibere tenetur; fed etiam, & multo magis, ipfismet confeffariis interdicendus eft illius ufus ad directionem animarum. *Fromageau.*

R.

RAPTUS.

1. *Raptus* eft violenta abductio perfonæ ex loco in locum matrimonii contrahendi caufa. D. Thomas docet, raptum committi etiam tunc, dum perfona abducitur invito patre, etfi ipfa in abductionem confenferit. Qui cooperantur ad

raptum, æque ut ipsi raptores per leges civiles pœnæ mortis subiiciuntur.

2. Juxta Innocentium Cap. *Accedens.* 7. Lib. 5. Tit. 17. matrimonium inter raptorem & raptam habetur pro legitimo, quando apparet, intervenisse postea consensum reciprocum absque suspicione ullius violentiæ ac doli: *Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere; dummodo ad contrahendum legitimæ sint personæ.*

3. Raptus alius est *violentus*, alius *voluntarius*, qui etiam vocatur raptus *per seductionem* vel *subornationem*; hic quoque, licet minus criminis habeat, severissime tamen punitur.

CASUS. Estne eadem ratio raptus, sive rapiatur puella aut fœmina a masculo, sive masculus a puella aut fœmina?

℟. Fœmina aut puella rapiens adolescentem rea est raptus, sicut masculus puellam rapiens. In hujusmodi casibus semper intervenit seductio & subornatio ex parte fœminæ; & hæc seductio matrimonium reddit nullum. *Fromageau.*

Vide *Impedimentum Raptus.*

RELIGIO.

1. Vocabulum *Religio* interdum accipitur pro monasterio vel communitate religiosa aut conventu, quandoque pro ipsa professione vitæ regularis, non nunquam etiam adhibetur ad denotandam hominis pietatem ac integritatem.

2. In proprio suo sensu religio est virtus moralis inclinans voluntatem creaturæ rationalis ad exhibendum Deo cultum latriæ debitum.

3. Neque vero virtus tantummodo moralis est religio, dum dirigit mores secundum leges rationis & justitiæ; sed etiam inter cæteras quascumque virtutes primum locum obtinet. Imo, quamvis non sit virtus theologica, eoquod Deum non respiciat tanquam objectum suum immediatum, licet ad Deum tendat ut finem suum proprium, & versetur potissimum circa cultum Deo debitum; proxime tamen accedit ad rationem virtutis theologicæ; quia justum cultum Deo defert ut tributum a creatura Creatori præstandum.

4. Actus religionis sunt vel interni vel externi, ut 1. adoratio Dei. 2. Servitium Deo exhibitum cum vero pietatis affectu ac fervore charitatis, quæ juxta S. Augustinum est

est

eſt inſeparabilis a vero Dei cultu : *Pietas cultus Dei eſt*, inquit, *nec colitur ille niſi amando*. 3. Oblatio precum & ſacroſancti Sacrificii. 4. Votorum nuncupatio. 5. Invocatio Dei in teſtem per legitimum juramentum ad affecurandam rei affertæ veritatem.

5. Vitia virtuti religionis oppoſita maxima ex parte ſunt idololatria, impietas, blaſphemia, magia, maleficium, divinatio, ſacrilegium & ſuperſtitio.

6. Quamvis religio ſolum Deum ſpectet ut primarium ac præcipuum objectum, non tamen excludit cultum B. Virginis, Angelorum & Sanctorum, quos honoramus & precibus noſtris invocamus tanquam amicos Dei, noſtroſque ad ſupremam Dei majeſtatem interceſſores; ita ut, ſicut religio exigit, ut veneremur Reliquias & Imagines Sanctorum relative ad ipſos, ſic etiam exigat, ut honoremus ipſos Sanctos propter eorum eminentiam ac ſanctitatem relative ad Deum, qui omnis eminentiæ ac ſanctitatis fons eſt atque principium.

7. Omnes populi ac nationes in hoc mundo habent aliquam ſpeciem religionis; hic tamen ſolum agetur de religione Chriſtiana, & examinabitur, quandonam liceat occultare ſuam religionem, ac quandonam detur obligatio eam manifeſtandi.

CASUS I. Marcellinus catholicus in regione conſtitutus hæretica, ubi vera religio perſecutioni eſt expoſita, in pluribus occaſionibus diſſimulat, ſe eſſe catholicum, licet glorioſum ipſi fuiſſet profiteri religionem ſuam. Eſtne coram Deo peccati reus?

℟. Non eſt abſolute neceſſarium ad ſalutem ſemper publice profiteri ſuam fidem ac religionem coram hæreticis eandem perſequentibus: in certis tamen occaſionibus id omnino neceſſarium eſt, ut 1. ſi quis tanquam catholicus in vincula conjectus a magiſtratu vel judice de ſua religione interrogaretur. *Sed in caſu*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 1. *eſt de neceſſitate ſalutis, quando ſcilicet aliquis a perſecutore deprehenſus de fide ſua requiritur, quam confiteri tenetur*. 2. Quando religio ſine læſione honoris & gloriæ Deo debitæ occultari non poſſet, *Quando ſcilicet*, ait idem 2. 2. q. 3. art. 2. C. *per omiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo*. 3. Dum agitur de ſalute ac bono ſpirituali proximi, *aut etiam utilitas proximis impendenda, puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret; & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide. In hujuſmodi*

caſibus

casibus, subnectit ibidem S. Thomas, *confessio fidei est de necessitate salutis. Pontas.*

CASUS II. Gordius ob varia negotia per tres menses detinere se cogebatur in provincia, ubi persecutio grassabatur in catholicos: hinc vestem induit ministris hæreticis usitatam, ne agnosceretur, quod esset catholicus, sed hæreticus esse crederetur. Potuitne id fieri absque peccato?

R. Quamvis de se peccaminosum non sit vestes induere ad morem aliarum nationum, si id prava intentione non fiat; prægrande tamen peccatum est, si fiat animo præseferendi professionem cujuscumque falsæ religionis; ut Tertullianus docet *de idololatria* c. 18. Gravissime ergo peccavit Gordius juxta authorem Conferentiarum Andegavensium mense Majo 1713 q. 3, quod commodum suum temporale perfide prætulerit religioni suæ, alienissimus ab illo Eleazaro Machabæo. *Pontas*

CASUS III. Valerius catholicus deprehensus in quadam regione, in qua sub pœna capitis interdictum est exercitium religionis catholicæ, in custodiam traditur, & coram magistratu de hoc exercitio accusatur. Teneturne aperte profiteri fidem suam, utut certo sciat, pœnam mortis sibi fore subeundam? An non evitandæ mortis causa saltem responsione æquivoca uti poterit?

℟. Indispensabiliter tenetur profiteri fidem suam, nec absque peccato gravissimo aut silere, aut æquivocationis beneficio uti licet, etsi de subeundæ mortis supplicio foret certissimus: *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. v. 10. Innocentius XI. 2. Martii 1679. hanc perniciosissimam cujusdam casuistæ doctrinam damnavit dicentis: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. Pontas.*

Vide *Fides. Monasterium. Monialis. Professio religiosa Religiosus.*

RELIGIOSUS.

1. Proprie loquendo *Religiosus* dicitur, qui emisit professionem solemnem votorum castitatis, paupertatis, & obedientiæ in religione ab Ecclesia, vel a summo Pontifice approbata. Religiosus, ut observat Rebuffus, novem diversis vinculis ligatus tenetur: scilicet 1. voto castitatis, quo refrenatur luxuria. 2. voto paupertatis, quo appetitus inordinatus coercetur ad bona temporalia. 3. voto humilis obedien-

dientiæ, quo superbia reprimitur. 4. obligatione ad vitam communem, qua invidia coarctatur. 5. vinculo sobrietatis ac mortificationis, quæ virtutes opponuntur gulæ, luxui & incontinentiæ. 6. vinculo charitatis, quo ligantur passiones, præsertim motus iracundiæ. 7. adstrictione ad silentium, quo lingua ligatur, ne in maledictiones erumpat & murmurationes. 8. labore manuum & intellectus, quo omnis acedia ac otiositas repellitur. 9. denique vili abjecto vestitu Religiosis proprio, quo conservatur modestia ac humilitas, vanaque arcetur gloria.

2. Nomine Religiosorum veniunt etiam novitii habitum Ordinis gestantes durante anno probationis.

3. Religiosus est persona mundo mortua, cujus occupatio unice versatur circa cultum divinum, & curam salutis propriæ ac proximi, si hæc ipsi ab Episcopo commissa est, aut aliorum Religiosorum subditorum, amandatis procul a se negotiis sæcularibus. *Monachus*: inquit Papa Eugenius Can. *Placuit*. 8. 16 q. 1. *mundo mortuus est, Deo autem vivit*.

4. Nihilominus authores celeberrimi testantur, Religiosos admissos fuisse ad varia munia & dignitates in Ecclesia v. g. Vicarii generalis aut Officialis: alii tamen authores excludendos esse existimant Mendicantes ab ejusmodi prærogativis, utpote professioni illorum non convenientibus, saltem absque dispensatione.

5. Gelasius Papa Can. *Si quis*. 28. 16. q. 1. statuit; ut Episcopus sacerdotium conferat Religioso digno ad instantiam sui Abbatis, cujus opera dein uti possit ad omnes functiones sacerdotales.

6. Religiosus cum licentia sui Superioris potest esse executor testamenti; sed non facile permittitur, ut in ejusdem potestate detineantur bona mobilia testatoris.

7. Quælibet persona religiosa potest ex bonis feudalibus homagium præstare domino feudi ob Beneficium vel monasterium, cui præest.

8. Religiosus beneficiatus potest absque violatione voti paupertatis disponere de fructibus sui Beneficii ad mentem sacrorum canonum & Ecclesiæ.

9. Religiosus non potest transire ad alium Ordinem, nisi strictiorem, absque dispensatione Papali, ab Officiali diœcesano servato juris ordine verificanda & executioni danda; teneturque in novo Ordine, sive strictiore sive laxiore, sustinere novum probationis annum, eoque finito de novo profiteri.

10. Religiosis non licet prædicare verbum Dei etiam in propriis suis ecclesiis absque licentia Ordinarii.

11.

11. Religiosus ad Episcopatum promotus non potest succedere suis propinquis, saltem in Gallia; nec etiam quidquam aquirit pro suo monasterio, sed solum in commodum episcopatus sui.

12. Religiosus illegitimis natalibus ortus per professionem solemnem legitimatur quidem; absque speciali tamen dispensatione promoveri non potest ad officia publica Ordinis.

13. Provocatio ad superiorem judicem a Religioso facta in materia disciplinæ regularis, & emendationis morum non sortitur effectum suspensivum, sed tantum devolutivum.

14. Prælatus aut Prior claustralis nullum potest admittere novitium sine consensu Capituli.

15. Religiosus ante professionem suam per testamentum potest disponere de bonis suis; non tamen sibi reservare potest ullam pensionem vitalitiam; quia ejusmodi reservatio prorsus adversatur voto paupertatis, quo se obstricturus est.

16. Nulla hic mentio fit de pluribus Congregationibus sæcularibus; quia viventes in iis non sunt veri Religiosi, & vel vota edunt tantum simplicia, ut Missionarii S. Lazari, vel nullum prorsus emittunt votum, ut presbyteri Oratorii, qui pro suo arbitrio Congregationi valedicunt.

CASUS I. Pammachius viduus habet liberos teneræ adhuc ætatis, qui pro sua educatione & elocatione curis ipsius paternis vel maxime indigent. Potestne religioni nomen dare, liberis divinæ providentiæ relictis?

℟. Si nec consanguineos nec amicos habent, qui possint & velint in se suscipere curam horum liberorum, tuta conscientia nequit eos derelinquere. *Non licet alicui filios habenti*, ait D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. C. *religionem ingredi, omnino prætermissa cura filiorum, id est, non proviso qualiter educari possint.* Ratio est 1. quia illos ita destitutere, ut ex parte sua ad ipsorum necessitates nihil contribueret, idem esset ac tentare Deum, & ab eo aliquod miraculi genus exspectare. 2. Quia obligatur jure naturali ac divino ad liberos suos nutriendos, promovendos, juvandosque, quantum est possibile. Idem S. Doctor dicit de eo, qui religionem ingrederetur, & patrem suum relinqueret indigentem, cui tamen in sæculo labore suo ac industria succurrere posset. *Pontas.*

CASUS II. Martinus peritissimus artifex pauperes habet parentes, jam plane impotentes comparando sibi victui. Potestne iis Dei providentiæ relictis religionem ingredi?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. non potest: id enim esset vera tentatio Dei. Clemens VIII. in Bulla, *Regularis.* decernit, omnes ad Novitiatum admitti postulantes super hoc articulo interrogandos: *An & eorum parentes ope-*

ra

ra & subsidio eorum indigentes destituantur. Nihilominus idem S. Doctor Quodlibet 10. art. 9. C. dicit, quod talis posset ingredi religionem, si videat, se in sæculo non posse vivere sine peccato mortali. Hæc autem hypothesis videtur metaphysica, & de raro contingenti. *Pontas.*

CASUS III. Scipio militiam professus, debitisque supra modum oneratus poteſtne religionem ingredi non solutis antea debitis, posito quod sit solvendo? Vel si non est solvendo, an tenetur remanere in sæculo, & pro viribus laborare, ut creditoribus satisfaciat?

℞. Non potest religionem ingredi, nisi exsolutis omnibus debitis, si facultates suppetant ad id præstandum. Si vero non sit solvendo, nec unquam se futurum prævideat, tenetur juxta D. Thomam 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. saltem facere, quod potest, nempe cedere bonis suis in favorem creditorum; & sic potest ingredi religionem. Idem ipsi licet, si in sæculo constitutum se cernat in morali impotentia consequendi salutem; etsi nihil prorsus possideat, quo creditoribus satisfacere possit. Si tamen arbitretur, se intra breve temporis intervallum in eum statum deventurum, ut omnia possit expungere debita, videtur obligari ad differendam in aliud tempus propositi sui de ingredienda religione executionem: professio enim religiosa est solum de consilio; obligatio autem solvendi debitum est de præcepto, ac de jure naturali. Et in hoc sensu intelligenda est Bulla 71. Sixti V. de anno 1587. qua Papa prohibet ad religiosam professionem recipi eos, qui necdum omnia sua persolverunt debita. *Pontas.*

CASUS IV. Sigebertus Religiosus satis frequenter transgreditur observantias exteriores a regula & constitutionibus Ordinis præscriptas. Peccatne mortaliter?

℞. Si transgressio ista non concernit illas observantias exteriores, ad quas obligatur vi votorum professionis religiosæ, nec intervenit contemptus formalis, non erit mortaliter peccaminosa juxta S. Thomam 2. 2. q. 186. art. 9. C. Frequentiores tamen transgressiones etiam minutissimarum constitutionum vel disponunt ad contemptum, vel contemptum saltem interpretative produnt. *Pontas.*

CASUS V. Theodatus & Cornelius Religiosi professi, primus Ordinis S. Dominici, alter S. Benedicti, suas regulas ac constitutiones quandoque non observant. An semper peccant, saltem venialiter, si id fiat ex indevotione aut negligentia?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. Theodatus Ordinis S. Dominici non peccat, si observantiæ illæ, quibus deest, non versantur circa essentialia religiosæ professionis,

si

si non sunt expresse præceptæ a Superiore, & si easdem non transgreditur ex contemptu. Sed non est eadem ratio respectu Cornelii Benedictini: licet enim hic non peccet, dum agit contra regulam suam circa ea, quæ ab eadem non aliter præscribuntur, quam per modum piæ ac salutaris ordinationis tantum sub pœna obligantus, peccat nihilominus per omissionem eorum, quæ a regula statuuntur per modum præcepti; peccatum autem est tantum veniale. *Non profitentibus quidem*, ait S. Bernardus *de Præcept. & Dispens.* c. 1. *monita tantum seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata; cum tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.* Foret tamen etiam peccatum mortale, si negligentia vel indevotio conjuncta esset cum contemptu saltem interpretativo, aut si accederet scandalum. *Pontas.*

CASUS VI. Placidus Religiosus Benedictinus interdum vescitur carnibus, licet nulla detineretur ægritudine. Peccatne mortaliter in locis, ubi inter Benedictinos viget abstinentia a carnibus?

℞. Si abstinentia a carnibus non est præceptum formale, sed solummodo res meræ disciplinæ, non peccat mortaliter, excepto casu expressæ inobedientiæ erga Superiorem, vel casu scandali. *Abstinere autem a carnibus*, inquit Doctor angelicus Quodl. 1. art. 20. *non ponitur in regula B. Benedicti ut præceptum, sed ut statutum quoddam; unde monachus comedens carnes non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobedientiam, vel contemptum.* Idem habet 2. 2. q. 186. art. 9. C. Non autem hic sermo est de quibusdam Congregationibus Benedictinorum, quæ ex hoc puncto disciplinæ fecerunt præceptum formale, in rigore sumentes hæc verba regulæ S. Benedicti Cap. 39. *Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos*; & alia c. 36. *At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant. Pontas.*

CASUS VII. Gontranus Religiosus professus, necdum sacris Ordinibus initiatus, totus occupatur circa ingens opus a se elucubrandum pro bono Ecclesiæ. Licitene omittit Horas canonicas? Teneturne ad recitationem Breviarii sub reatu peccati, maxime dum versatur extra monasterium?

℞. Quilibet Religiosus professus tenetur vi professionis solemnis recitare Breviarium: nec studia, nec absentia a monasterio poterunt eum eximere ab hac obligatione; peccatque mortaliter, nisi satisfaciat. *Tenentur ad Horas Religiosi professi*, ait S. Antoninus 3. part. Summæ Theol. Tit. 13. c. 4. §. 1. *& hoc ratione suæ professionis; quia non solum sunt insti-*

instituta hujusmodi Religionis ad orandum particulariter pro se; sed etiam ad orandum pro universali utilitate fidelium. Pontas.

CASUS VIII. Auxilius Religiosus Ordinis reformati immiscet se interdum negotiis temporalibus suæ familiæ, vel quorumdam amicorum suorum quorum causas quandoque urget, easque commendat judici. Potestne id fieri absque peccato?

℟. Clericis sæcularibus non licet implicare se negotiis sæcularibus, multo minus Religiosis; si id fiat ex motivo avaritiæ vel proprii interesse. *Causa cupiditatis*, ait S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 2. C. *sæcularia negotia gerere nec monachis nec Clericis licet.* Verum juxta eundem S. Doctorem possunt ejusmodi curare negotia de licentia Superioris ex solo motivo charitatis, & absque ullo respectu ad commodum proprium: *Causa vero charitatis*, ait ibid. *se negotiis sæcularibus cum debita moderatione ingerere possunt, secundum Superioris licentiam in ministrando & dirigendo. Pontas.*

CASUS IX. Josephus Religiosus pensionem recipit vitalitiam 75. florenorum, quam ad manus proprias sibi traditam apud se servat, ad privatas suas necessitates expendit, deque eadem disponit absque licentia sui Superioris. Peccatne contra votum paupertatis?

℟. Juxta decretum Concilii Tridentini Sess. 25. *de Regular.* c. 2. peccat mortaliter. Ex eodem decreto etiam colligitur, quod nec ipsi Superiores alicui Religiosorum suorum possint permittere usum ac fruitionem bonorum stabilium ac permanentium. *Nec deinceps liceat Superioribus*, ait, *bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, monasteriorum seu conventuum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Pontas.*

CASUS X. Marcus Religionem professus constituta a patre suo 100. florenorum pensione vitalitia gaudet pro privatis ac personalibus necessitatibus, & quidem permittente Superiore. Cum vero pater ipsius post quinquennium aut sexennium ad angustiorem fortunam radactus fuisset, rogat filium, ne ultra a se exigat pensionem, quo facilius rei familiaris onera sustinere posset. Licetne Marco pensionem penitus condonare patri absque licentia Superioris sui?

℟. Juxta Sylvium resol. var. v. *Religiosus*. 5. Marcus utpote Religiosus professus non habet jus condonandi pensionem hanc absque expresso consensu Superioris sui. Ratio est;

quia hæc pensio per professionem solemnem Religiosi jam aquisita est monasterio : nullus autem Religiosus privatus in particulari potest disponere de bonis monasterii, sicut nec ea possidere potest ut propria, utpote incapax ad hoc per votum paupertatis. *Pontas.*

Nota. Si pensio hæc constituta est in favorem monasterii ad parcendum ejus sumptibus, optime fuit responsum. Si vero tantum servit ad inutiles ac superfluas expensas Religiosi, variasque singularitates vitæ communi ac regulari disciplinæ inimicas; & insuper si administratio penitus relicta est Religioso, etiam facultas renunciandi illi relicta esse videtur.

CASUS XI. Theophanes procurator vel sacrista monasterii interdum sibi applicat pecunias administrationis suæ ad procurandas sibi res vere ac certo necessarias. Peccatne mortaliter, si id fiat absque permissione Superioris? aut si petita licentia denegata ipsi fuisset?

℞. In primo casu peccat mortaliter. *Religiosus*, ait Cabassutius Jur. Can. Theor. L. 1. c. 22. *usurpans sibi necessaria absque Superioris licentia, eoque inconsulto peccat mortaliter, ac dupliciter, tum ratione furti, tum ratione sacrilegii, contra paupertatis votum usurpando sibi proprietatem & dominium.* In altero autem casu Theophanes non peccaret; cum Superior denegando licentiam irrationabiliter ageret ac contra justitiam: *tunc enim*, ut idem subjungit, *Superior iste irrationabiliter invitus est, & subditus ille Religiosus habet ab ipsa naturæ lege jus suis necessitatibus succurrendi. Pontas.*

CASUS XII. Athanasius Superior monasterii cujusdam laxioris observantiæ quot annis cuilibet Religioso tradit 75. florenos, quibus ipsemet sibi vinum & vestimenta comparare debebat. Clemens parcius utendo his pecuniis œconomica sua industria corrasit summam 100. florenorum, quam apud se retinebat, in variis urgentibus necessitatibus usui futuram. Athanasius autem id sciens hoc peculium sibi tradi postulat custodiendum. Teneturne Clemens morem gerere huic jussioni Superioris?

℞. Sylvius resol. var. v. *Religiosus.* 5. ad similem casum sic respondet : *Religiosi tenentur Superiori jubenti, vel petenti tradere, quidquid comparserunt, seu parce vivendo asservaverunt de pecunia, quam vel a Prælato, vel de Prælati permissu acceperint. Imo & antequam Superior petat vel jubeat, semper debent esse animo parati totum tradere mox, ut, fuerint requisiti : alioquin committunt peccatum proprietatis.* Idem sentiunt Canonistæ ac Theologi fere omnes. Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regul. c. 2. ait : *Quod si aliquis quid-*

quam

quam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ & Ordinis constitutiones puniatur. Hinc Clemens in conscientia tenetur memoratos 100. florenos Superiori tradere; nec eos sine ipsius permissione secum retinere potest, quin proprietatis vitium incurrat. *Pontas.*

CASUS XIII. Olodimirus Canonicus regularis Præmonstratensis in parochia quadam, cui ut Prior curatus præerat, constituit instituere ludimagistram cum assignatione reddituum stabilium ac sufficientium. Coacervavit sibi suo ex Beneficio parcius vivendo 1500. florenos, eaque ex summa emit prædium rusticum, quod cuidam agricolæ in feudum concesserat, sub onere annuatim solvendi 75. florenos. Hæc autem aquisitio facta est inscio Superiore Olodimiri, qui constanter negabat, ratum se habiturum contractum; acrem etiam reprehensionem sustinuit Olodimirus suo ab Episcopo, quod hujusmodi pecunias ex parsimonia comparatas non impenderit in sublevamen pauperum parochiæ, & pro necessitatibus ecclesiæ parochialis. Sed cum negotium jam fuisset confectum, & aliunde etiam hic parochus esset persuasissimus, se posse hunc fundum convertere pro suo arbitrio in pios usus, per testamentum a se conditum, destinavit dimidiam fundi partem pro institutione ludimagistræ ad perpetuos annos perduratura; alteram vero dimidiam assignavit pro fundatione duarum missarum singulis septimanis in perpetuum in solatium animæ suæ legendarum. Potuitne Olodimirus legitime aquirere hoc prædium? Et postquam aquisivit, num modo jam dicto de eodem disponere potuit? Teneturne successor ipsius in conscientia legere has missas? Num poterit sibi applicare stipendia ex iisdem percepta? An non magis convenit ea expendere in eleemosynas pauperum, & indigentias suæ ecclesiæ ac in singulis missis solum meminisse Olodimiri?

R. Non potuit Olodimirus legitime ac propria authoritate hanc aquisitionem facere, manifesteque egit contra votum paupertatis & canones Ecclesiæ. Imo peccavit etiam contra justitiam coacervando & apud se retinendo summam adeo notabilem. Complevit vero peccatum suum per testamentum injustum ac nullum, continens duplam fundationem, & quidem alteram in propriam ac personalem ipsius utilitatem. Cumque testamentum hoc prorsus injustum ac nullum sit, successor ipsius obligari non potest, ut satisfaciat ejusdem dispositionibus; sed rogandus erit judex, ut

75. floreni annuatim solvendi dividantur inter ludimagistram, eoquod ejusdem institutio vere sit utilis, ac plurimum conducat ad instructionem juniorum parochiæ puellarum, & inter pauperes parochianos. Successor tamen pie aget, si in missæ sacrificio animam Olodimiri Deo commendet. *Pontas.*

Nota. Parochi aut Vicarii Religiosi expositi in parochiis etiam quoad temporalia incorporatis monasterio absolute nullam habent potestatem disponendi, nisi circa partem pertinentem jure veteri ad pauperes parochiæ, confusam & commixtam cum redditibus parochialibus.

CASUS XIV. Isidorus Superior monasterii, in quo quinque tantum vel sex reperiuntur Religiosi, potestne cuidam illorum jam morti proximo facultatem impertiri in favorem amici disponendi de libris suis, supellectile, & modica pecuniæ portione a consanguineo pro occurrentibus necessitatibus accepta?

℟. Juxta Sacros Canones *quidquid aquirit monachus aquirit monasterio*, non sibi; cum ipsum omni jure proprietatis privet solemne votum paupertatis, cui circa essentialia præjudicare non potest Superior regularis. *Adeo verum est*, inquit Emanuel Rodericus qq. Canon. & regular. Tom. 3. q. 69. art. 2. *quod Prælatus inferior Papa non potest facere Religioso facultatem testandi, ut id intelligatur, etiamsi ad pias causas disponat. Pontas.*

CASUS XV. Hierophilus Religiosus, a longo jam tempore confessarius sæcularium ordinarius in ecclesia monasterii sui, derepente mortuus est & sepulcho illatus. Paulo post ipsius Superior reperit in cellula ejusdem 500. florenos, nemine prorsus sciente, undenam vel cujus esset hæc summa. Estne Religiosus iste pro proprietario habendus? Quid faciendum de his pecuniis?

℟. Non est temere nec præcipitanter judicandum de hoc Religioso; quia, cum per longum tempus sæcularium confessiones excepisset, fors hæc summa a non nemine ipsius custodiæ fuit concredita per modum depositi, aut ipsi tradita ad faciendam restitutionem, aut denique in illius manus deposita pro utilitate monasterii, nec tamen repentina morte præoccupatus eam Superiori tradere potuit. Omnes istæ præsumptiones rationi sunt conformes considerata conditione confessarii; maxime si vita ipsius ac conversatio fuit exemplaris, nec unquam circa vitium proprietatis sinistræ suspicionis ansam præbuit. *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4. *debemus*

eum

eum ut bonum habere in meliorem partem interpretando, quod dubium est. Prudentis igitur Superioris erit, pecunias hasce per notabile tempus, v. g. unius anni spatio asservare; & si elapso hoc tempore nemo eas repetat, nec, cujus sint, innotescat, in pias causas erogare, præcipue in eleemosynas, aut etiam in bonum monasterii, si tenues admodum sint facultates ipsius. *Pontas.*

Vide *Depositum.*

CASUS XVI. Nicodemus Canonicus regularis provisus Beneficio curato intra territorium sui monasterii privata authoritate disponit de proventibus Beneficii sui casualibus, seu redditibus stolæ, eosque ad pios usus applicat. Poteſtne hoc facere tuta conscientia, quin peccet contra vota paupertatis & obedientiæ?

℟. Juxta Navarrum Comment. 2. de regular. n. 10. & 11. ac Sylvium resol. var. v. *Religiosus* 1. Nicodemus potest sic disponere de redditibus Beneficii sui fortuitis; idque Authores isti probant ex variis textibus juris, speciatim ex constitutione quadam Clementis V. Cap. *Quoniam.* 2. Lib. 3. Tit. 1. ubi Pontifex discrimen inter Religiosum Beneficiatum & Religiosum simplicem in eo posuisse videtur, quod ille habeat jus de redditibus Beneficii sui disponendi in causas pias, quin indigeat licentia Superioris sui. *Pontas.*

Nota. Hæc vera sunt, si Beneficium est sæculare. Si autem est regulare, dicta solum procedunt de Beneficiis, in quibus viget adhuc divisio bonorum in quatuor partes; prout viguit in Beneficiis incorporatis monasterio, in quo Navarrus professionem emiserat.

CASUS XVII. Pachomius Religiosus professus, vir apprime doctus, ac insigni pollens ingenio ambit munus Superioris per emendicationem suffragiorum; illudque etiam consecutus est. An peccavit?

℟. Absque omni dubio peccavit: si enim juxta S. Thomam non licet pro se petere Beneficium curatum, & solum simplex quærere licet illi, qui necessarias ad id qualitates possidet, eoque ad suam sustentationem indiget, multo minus Religioso permissum est officium Superioris affectare. Cum Pachomio peccarunt etiam suffragantes, qui ex ipsis ejusdem sollicitationibus ac machinationibus ambitionem illius deprehendere, ac eo ipso ut indignum rejicere debuissent. *Pontas.*

CASUS XVIII. Palemon Religiosus professus, quem reliqui Religiosi in Superiorem eligere cogitabant, convenerat cum quodam confratrum suorum, quod si ille sibi daret vo-

tum ad superioratum, ipsi daturus esset suum ad Provincialatum. An conventio hæc utrinque acceptata & executioni data non est vitiosa?

℟. Certe est vitiosa, utpote continens quamdam speciem simoniæ: omnes enim ejusmodi conventiones circa spiritualia labe simoniæ commaculant contrahentes, saltem nisi accedat legitimi Superioris authoritas, id est, Papæ vel Episcopi, juxta naturam scilicet conventionis. S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. C. expresse docet, simoniam committi, quando res spiritualis non datur gratuito, v. g. dignitas aut aliud officium monasterii. Hinc facultas Theologica Parisiensis 16. Julii 1658. merito ut falsam & juri canonico adversantem condemnavit sequentem propositionem: *Non est simoniacum, dum duo Religiosi conveniunt inter se hoc modo: suffragare mihi, ut promovear ad dignitatem Provincialis, & ego vicissim tibi suffragabor, quo promovearis ad dignitatem Prioris. Pontas.*

CASUS XIX. Fabianus Religiosus in quodam pago forte commoratus, rogatur, ut extremam unctionem administret cuidam ægrotanti instanter hoc Sacramentum flagitanti; & cum parochus esset absens, nec alius sacerdos in parochia haberi posset, Fabianus decumbenti illud confert. Incurritne excommunicationem ipso facto latam a Concilio generali Viennensi anno 1312. sub Clemente V.?

℟. Hæc excommunicatio eos tantum Religiosos afficit, qui temere in administrationem Sacramentorum sese ingerunt, eamque potestatem independenter a parocho sibi arrogant; ut ex ipsis Bullæ verbis depromitur. Fabianus autem non temere, sed optima fide egit, & ex unico charitatis motivo, dum rogatus in absentia parochi periculose decumbenti Sacramentum extremæ unctionis contulit. Hinc, cum non solum nullam culpam commiserit, quæ tamen ad incurrendam excommunicationem necessario requiritur, sed & bene fecerit ac laudabiliter, tam procul ab eo abest omnis excommunicatio, ut potius vituperandus esset, si in hisce circumstantiis ex superstitiosa scrupulositate id charitatis obsequium indigenti ac petenti exhibere renuisset. *Pontas.*

CASUS XX. Cyprianus Superior cujusdam conventus mendicantium non potuit ab Episcopo diœcesano impetrare licentiam exponendi SS. Sacramentum in quibusdam diebus festis sui Ordinis; & hoc non obstante illud exposuit. Num peccavit?

℟. Su-

℟. Superior uſurpavit ſibi jus, quod privative ſpectat ad Epiſcopum, peccavitque contra obedientiam Ordinario ſuo debitam. Clerus Gallicanus art. 2. Conſtitutionum pro Regularibus conditarum omnibus Eccleſiaſticis tam ſæcularibus quam regularibus interdicit publicam SS. Sacramenti expoſitionem ſub quocumque prætextu, niſi jubente aut ſaltem conſentiente Epiſcopo; id quod jam antea a S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum anno 1644. deciſum fuit. *Pontas.*

Nota. De expoſitione SS. Sacramenti Rituale Auguſtanum part. I. Tit. 18. hæc habet: *Nullibi Euchariſtia exponatur, niſi ob graviſſimas cauſas, & ſemper de licentia Epiſcopi; & quando faciendum erit, & conceſſa fuerit licentia, a quibuscunque etiam exemptis ſemper habenda, reverentia & pietas omnimodo ſerventur, ſicut & ritus diœceſani . . . . Omnes ergo illæ ſolemnes expoſitiones, niſi ab Ordinario approbatæ aut conceſſæ ſint, abuſus, & ſacratiſſimi Myſterii inhonoratio potius dicendæ ſunt, quam actus meritorii Religionis.*

CASUS XXI. Panthenes Religioſus duo enormia & ſcandaloſa commiſit crimina quorum in pleno Capitulo fuerat convictus. Ille ſeſe offert ad agendam pœnitentiam, quæcumque delictis ſuis proportionata videbitur. Superior & novemdecim Religioſi Capitulares eum ex conventu eiiciendum judicarunt; viginti autem reliqui carceri mancipandum cenſuerunt ad ſex menſes; ad quam pœnitentiam ſuſtinendam promptiſſimum quoque exhibuit ſe delinquens. Poteſtne ſine peccato ex religioſa communitate eiici?

℟. S. Thomas Quodlib. fin. art. fin. docet, Religioſum ejusmodi ſine læſione charitatis ex communitate non poſſe eiici; cum Eccleſia neminem puniat pœna ſpirituali, niſi induratum & obſtinatum in ſuo peccato. *Dicendum*, inquit, *quod nullus eſt niſi propter contumaciam expellendus; ſed eſt ſequeſtrandus in carcere, vel alio modo. Pontas.*

CASUS XXII. Olympius Religioſus Ordinis reformati cum in graviſſimum impegiſſet flagitium, Superior inſtituta informatione juridica juxta conſtitutiones Ordinis contra eum hanc protulit ſententiam, ut religioſo habitu exutus per anni ſpatium in carcere tetineretur. Sententia ad executionem deducta Olympius occaſionem nactus eſt elabendi ex cuſtodia. Potuitne ſine peccato effugere? An non in conſcientia tenebatur redire in carcerem? Id ſi non fecerit, commiſitne novum peccatum aſſumendo habitum ſæcularem, ut ſecurius lateret?

℟. Cum sententia in Olympium lata ex omni parte justa esse supponatur, eidem in conscientia sese subjicere tenebatur, & redire ad carceres, ex quibus nunquam sine peccato potuit effugere : non tamen commisit novum peccatum, dum ad certiorem sui occultationem assumpsit habitum sæcularem. Notandum tamen, quod, si sententia cum excessiva severitate fuisset executioni mandata, Olympius absque peccato ex carcere aufugere potuisset. *Pontas.*

CASUS XXIII. In pluribus conventibus Religiosorum mendicantium exstat statutum particulare, quo expresse decernitur pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ contra eos, qui judicii declinandi causa ab Ordine contra se instituti vel instituendi implorant alium judicem sive ecclesiasticum sive laicum. Palemon Religiosus hisce in circumstantiis comprehensus se convertit ad Episcopum; eo quod metueret, ne a Provinciali suo condemnetur ad carceres, vel ad jejunium nimis austerum. Incurritne excommunicationem ?

℟. Si agitur de facto solum concernente disciplinam regularem ac claustralem, Palemon non potest recurrere vel appellare ad Episcopum vel alium judicem in casu, quo contra ipsum Superior agit criminaliter, quin incurrat excommunicationem ; dummodo memoratum statutum a legitima potestate sit approbatum & confirmatum. Si vero agitur de casu, cujus cognitio pertinet ad Ordinarium vel alium judicem etiam laicum, ad hunc absque omni periculo incurrendi excommunicationem tuta conscientia poterit recurrere Religiosus, ut sib conformiter ad postulata jus dicatur. *Pontas.*

CASUS XXIV. Lucianus Religiosus fuit institutus parochus titularis ad S Jacobum, quæ parochia incorporata est monasterio a jurisdictione Ordinarii exempto, in quo professionem emisit. Cum autem commisisset culpam gravem ac notabilem in administratione Sacramenti pœnitentiæ, Episcopus post juridicam causæ cognitionem eum suspensum declaravit. Potuitne juste sic contra ipsum procedere Episcopus ?

℟. Justissime sic egit Episcopus contra hunc Religiosum in hoc casu : juxta Innocentium III. enim Cap. *Ex ore* 17. Lib. 5. Tit. 33. & Innocentium IV. Cap. *Volentes.* 1. Lib. 5. Tit. 7. in 6. omnis parochus de jure subjacet jurisdictioni Episcopi; quamvis parochia sit regularis, & incorporata monasterio exempto. Observandum hic, quod Episcopis etiam competat jurisdictio latissima in omnia Beneficia curata dependentia

dentia ab Ordine militari Melitensi, & quosvis Religiosos etiam exemptos eorum jurisdictioni esse subjectos, si attentarent prædicare in diœcesi invito Episcopo, si absque justa causa publicis processionibus institutis ab Episcopo interesse recusent, si a casibus Episcopo reservatis absolvere ausi fuerint, si extra suum monasterium in diœcesi commorantes delictum committerent castigatione dignum, si parochiam ab Episcopo dependentem administrare præsumpserint. Cabassutius addit tres alios casus, qui sunt crimen hæresis, scandalum publicum, & seductio mulierum per confessionem. *Pontas.*

CASUS XXV. Amadæus Religiosus clam absque dimissione & obedientia discessit ex suo monasterio, quod jurisdictioni Episcopi subjacet. Audiens jam Episcopus, eum in quadam paroecia suæ dioecesis vicarii munus exercere, jussit ipsum comprehendi & custodiæ tradi. Poteśtne Episcopus eum punire absque participatione Superioris regularis, Religiosum sibi tradi postulantis?

℟. Episcopus potest, imo etiam debet punire hunc Religiosum, utpote jurisdictioni suæ ordinariæ subjectum, ac consequenter sub sua potestate constitutum. Idem jus asserit Episcopo Concilium Tridentinum Sess. 25. *de Regular. & Monial.* c.4. etsi Religiosus in ejusmodi casu non subesset jurisdictioni Episcopi. *Nec liceat Regularibus*, inquiunt Patres Concilii, *a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* *Pontas*

CASUS XXVI. Potamius cum Religionem professus esset in Ordine non reformato, vehementer urgetur ac identidem stimulatur a Victorino, ut relicto suo monasterio transeat ad Ordinem strictiorem. Peccatne Victorinus sic hortando?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 9. ad 3. non peccat Victorinus. Ratio S. Doctoris est; *quia in majori includitur minus.* Aliud dicendum foret, si Potamius voto aut juramento se obstrinxisset ad emittendam professionem in Ordine reformato: tunc enim Victorinus non posset eum hortari, ut transeat ad Ordinem laxiorem, nisi ex aliqua speciali causa, justa ac evidenti, idque cum legitima dispensatione Superioris. *Pontas.*

CASUS XXVII. Christophorus Religiosus professus sæpissime velut homo triobolaris despicitur, calumniis appetitur, & aliis modis quam indignissime habetur a suo Superiore, qui ex falsis rumoribus ac injustis delationibus eum aver-

aversatur & odit. Poteftne tuta conscientia ob hanc rationem transire ad aliud monasterium? An indiget ad hoc Superioris sui licentia? Quid si denegatur ipsi licentia?

℞. Sufficientissimam Christophorus habet rationem secura conscientia transeundi ad aliud monasterium, etiam diversi Ordinis: oportet tamen, ut observet formalitates requisitas, obtineatque licentiam sui Superioris, si monasterium, ad quod transiturus est, non sit strictioris observantiæ, ac illud, ex quo migraturus est. Quod si Superior petitam deneget licentiam, Religioso huic recurrendum erit ad Superiorem majorem. *Per professionem in suo monasterio factam*, ait Sylvius var. resol. v. *Religiosus* 9. *est obligatus ad illud monasterium, & ad particularem ejus Prælatum. Non est autem ullum jus commune, quod ei tribuat facultatem se ab ista obligatione eximendi . . . Non potest ergo sine Superioris licentia migrare ad aliud monasterium.* Si vero monasterii, quod ingressurus est, strictior est observantia, obtento a Pontifice Brevi translationis suæ satisfaciet, si a Superiore suo petat licentiam; & sic transire poterit ad illud monasterium, etiamsi Superior petitam licentiam denegaverit. Ratio est; *quia*, ut ait Innocentius III. Cap. *Licet.* 18. Lib. 3. Tit. 31. *privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Pontas.*

CASUS XXVIII. Philostratus Religiosus Ordinis reformati gravissimam ac stabilem contraxit infirmitatem. Poteftne sine peccato ob hanc solam rationem transire in alium Ordinem minus rigidum?

℞. Si infirmitas ista eum reddit inhabilem ad observantiam regulæ, quam professus est, potest autem observare regulam mitioris Ordinis, juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. C. licite transit ad ejusmodi Ordinem, cum dispensatione tamen. Notandum autem, quod dispensatio neutiquam securitatem præstet in conscientia, si ratio, ob quam a summo Pontifice concessa est, in causa legitima non fundetur. *Pontas.*

CASUS XXIX. Eustachius Religiosus Ordinis valde rigidi, cum videret in eundem sensim introduci laxitates, regularemque disciplinam pessime observari, se vero hujusmodi corruptelis infensum reliquorum dicteriis ac persecutionibus esse expositum, transire cogitat ad alium Ordinem minus rigidum; in quo tamen exactior viget disciplina, constitutionumque observantia. Scit insuper, in omnia reliqua sui Ordinis monasteria laxitatem hanc irrepsisse, ita ut in nullo regulam professionis suæ exacte ac quiete observare possit. Poteritne tuta conscientia hoc exequi propositum?

℞. Jux-

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. C. & in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. bonum quidem non est Religioso suam deserere Religionem, & amplecti aliam sine gravi necessitate aut notabili utilitate; non solum quia ejusmodi transitus præbet scandalum Religiosis, quibus valedicitur, sed etiam quia ordinarie facilius est pervenire ad perfectionem & vitæ sanctitatem in Religione, cui se quis semel mancipavit, quam in alia, cui quis necdum est assuefactus. Addit tamen S. Doctor: *Potest tamen laudabiliter de una Religione transire ad aliam propter declinationem Religionis a debita perfectione; puta si in aliqua Religione arctiori incipiant Religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis ad Religionem, etiam minorem, si melius observetur.* Licite ergo Eustactius in præsente casu transit ad alium Ordinem mitiorem: consulendus tamen desuper erit Superior, & ipsius judicio aquiescendum. Postremo tandem recurrendum est Romam. *Pontas.*

CASUS XXX. Chrisimus Religiosus Ordinis non reformati a Superiore suo petit licentiam ingrediendi Ordinem strictiorem, quæ ipsi rotunde fuit denegata. Potestne exequi hoc suum propositum etiam invito Superiore, quin peccet contra votum obedientiæ?

℟. Ad transitum Religiosi ad aliam Religiorem tria requiruntur: 1. Ut in illa Religione, ad quam transire cogitat, sit strictior & disciplina & actualis observantia 2. ut Religiosus ad hanc mutationem non trahatur temeritate aut levitate animi, sed sincero desiderio perfectius pœnitendi & sanctius vivendi. 3. Ut a Superiore suo petat licentiam instituendi hanc mutationem, sicque debitam ipsi submissionem exhibeat. His præsuppositis juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. potest Religiosus transire ad Ordinem strictiorem, resistente licet Superiore, quin peccet contra obedientiam. Hæc jam olim sententia fuerat Alexandri III. Cap. *Sane.* 10. Lib. 3. Tit. 31. præcipientis Episcopo Amblanensi, ut non infestet Canonicum Regularem, qui sine permissione Superioris sui monachum induerat in monasterio strictioris ac exactioris observantiæ; ac erat domus professionis ab eo derelicta. *Pontas.*

CASUS XXXI. Benignus Religiosus mitioris Ordinis absque obedientia & insciis Superioribus suis discessit a suo monasterio, animo nunquam amplius revertendi; migravitque in provinciam remotissimam, habitu tamen Ordinis nunquam deposito. Potestne in rigore haberi pro vero apostata?

℟. Si

℟. Si hic Religiosus aliud monasterium ingressus non est, ejusdem Superiori sese submissurus, ac regulam loci observaturus, dubitandum non est, quin reus sit criminis apostasiæ, & tanquam apostata puniri mereatur. Gregorius IX. Cap. *Ne Religiosi*. fin. Lib. 3. Tit. 31. jubet, ut Abbates ejusmodi fugitivos censura excommunicationis feriant. *Pontas*.

CASUS XXXII. Martialis Religiosus professus videt patrem suum decrepita jam ætate morbis afflictum, & in magnam conjectum miseriam, ita ut sibi comparare jam non possit, unde vivat. Cogitat ergo egredi ad tempus ex suo monasterio, ut patri succurrat. Num tuta conscientia sic agit?

℟. Prætextus hic quidem speciosus ac plausibilis est, multisque exoptabilis, quibus magis arridet mundus quam claustrum, maxime cum Casuistæ non pauci faveant. Sed juxta S. Thomam ratio hæc non excusat Martialem a peccato: ait enim S. Doctor 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. *Ille vero, qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo. Unde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consepelitur, & se iterum sæcularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, salva sui Prælati obedientia & suæ Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.* Advertendum tamen, quod, si necessitas parentum foret ea, quæ *extrema* dicitur, jus naturale ac divinum, quod omni obligationi votorum præferendum est, juxta unanimem Theologorum sententiam obligaret ejusmodi Religiosum, ut succurrat parentibus. Igitur in præsente casu Martialis tenetur opem ferre patri suo omni modo possibili cum consensu Superioris sui, cætera autem relinquere paternæ supremi Numinis providentiæ. *Pontas*.

CASUS XXXIII. Lieboldus Prior claustralis potest quidem, si velit, introducere reformationem in suum monasterium. An etiam tenetur ad hoc in conscientia?

℟. Si in ejus monasterio viget claustralis disciplina, ejusdemque Religiosi observant regulam & constitutiones Ordinis, Superior, etsi facile & absque repugnantia possit, non tenetur introducere reformationem, ad quam se obligandi nullam fors Religiosi habuerunt intentionem, dum professionem emiserunt. *Pontas*.

Nota. Non solum exterior regularis disciplina, plerumque consistens in observantiis externis, est ad quam obligantur Religiosi cujuscumque demum Ordinis, sed etiam observatio legum naturalium, divinarum & ecclesiasticarum, v. g. devota psalmodia, devota celebratio

bratio missæ cum debita præparatione ac subjuncta gratiarum actione, pie quotidie instituenda meditatio, examina conscientiæ rite obeunda, utilis lectio, competens studium, fuga otii, honestas vitæ clericalis ac religiosæ ædificatoria populi, & aliena a vanitatibus & pompis sæculi. Circa hæc reformare suos tenetur Superior sub gravi peccato, si deficiant.

CASUS XXXIV. Philibertus Abbas regularis in suum monasterium introduxit reformationem, convenitque utrinque, inter reformatos scilicet & veteranos, ut hi interessent missæ majori & vesperis diebus Dominicis ac festis; vicissim vero a reformatis acciperent habitationem & 250. florenorum pensionem annuam; solvendam singulis, in quocumque demum loco fuerint, vel quodcumque Beneficium aut officium haberent posthac. Post initam hanc conventionem Alexius veteranorum unus migravit ad aliud monasterium, in quo ex officio claustrali ipsius curæ & administrationi commisso lucratur, quidquid pro alimentatione, sustentatione & habitatione necessarium est: nihilominus tamen a prioribus confratribus reformatis petit debitam sibi & necdum persolutam unius anni pensionem; quæ autem ipsi negatur, eo quod non amplius esset membrum monasterii, & ex officio in alio monasterio satis provisum sit ipsius necessitatibus: Alexius tergiversantibus objicit conventionem ultro citroque initam. Quæritur 1. Utrum conventio inita, vi cujus Alexius tantum interesse tenetur diebus Dominicis ac festis missæ majori & vesperis, eum securum reddat in conscientia, si non assistat etiam reliquis Horis canonicis in choro dicendis. 2. Utrum vi conventionis jure ipsi debeatur promissa pensio, non obstante, quod in alio monasterio possideat officium claustrale?

℞. Veterani tenentur in conscientia & sub reatu peccati quotidie assistere toti Officio Horarum canonicarum in suo monasterio etiam post introductam reformationem, non tantum vi solemnis professionis, sed vel maxime etiam ex eo; quia ex monasterio percipiunt alimentationem, aliaque necessaria. Adeoque conventio inita non eximit Alexium ab obligatione comparendi quotidie ad omnes Horas canonicas, a qua utique ipsum liberandi jus ac potestas non erat penes Religiosos reformatos. Quod attinet ad pensionem constitutam, hæc ipsi non debetur, nisi resideat in suo monasterio, ibidemque omnibus suis obligationibus satisfaciat; supposito etiam, quod eadem indigeret ad suam sustentationem. Adeoque ex eo momento, quo migravit ex suo monasterio, & incepit possidere officium claustrale, quod necessaria ad

vitæ

vitæ fuftentationem ipfi fuppeditare poterat, expiravit penfio a monafterio profeffionis ipfi conftituta. *Pontas.*

CASUS XXXV. Religiofi quidam mendicantes prætendunt jus mendicandi in aliena diœcefi conventui fuo conterminа a tempore vindemiarum usque ad finem anni absque licentia Epifcopi diœcefani. Num jus hoc fundatum eft?

℞. Certum eft, non licere Religiofis mendicantibus in aliena diœcefi absque licentia proprii ejus diœcefis Epifcopi eleemofynarum collectationem exercere; quod patet ex Concilio generali Lateranenfi fub Innocentio III. Cap. *Cum ex eo.* 14. Lib. 5. Tit. 38. & ex Tridentino Seff. 21. c. 9. Conventus generalis Cleri Gallicani de anno 1645. fpecialiter id prohibet omnibus indifcriminatim Religiofis mendicantibus. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Blafius facerdos ob publica & fcandalofa crimina condemnatus eft ad triremes; obtenta autem a Principe gratia fententia executioni data non fuit. Poteftne admitti in Ordinem religiofum?

℞. Poteft admitti, fi habeatur moralis certitudo de vera ipfius refipifcentia, ac fincera converfione: priusquam tamen recipiatur, quam diligentiffime examinanda eft ipfius vocatio: fi enim ideo folum ad Religionem confugeret, ut legum ac judiciorum feveritatem declinet, impunitatemque inveniat, nequaquam foret recipiendus. *Fromageau.*

CASUS XXXVII. Lucianus Religiofus privatus videt in familiam fuam irrepfiffe abufus intolerabiles, vigereque jam effrenatam vivendi licentiam. Ingemifcens tantis malis libenter vellet adhibere remedium; fed nefcit, qua ratione id poffit exequi. Quid ipfi confulendum?

℞. Si Religiofus ifte per fe ipfum non poffit mederi malis hisce religiofam familiam depravantibus, primo adeundi funt Superiores regulares, & de omnibus inftruendi. Si & iftis operam fuam curando malo commodandi aut voluntas aut animus defit, implorandus eft Ordinarius. *Fromageau.*

CASUS XXXVIII. Coriolandus Religiofus percipit pinguiffimos redditus tam ex penfionibus quam ex Beneficiis, negotiatur, thefaurizat, &, ut melius poteft, opes fibi accumulat. Licitene & tuta confcientia?

℞. Etfi Religiofus ifte tam amplos redditus fors ex difpenfatione percipiat; tenetur tamen eos adminiftrare conformiter ad mentem Ecclefiæ & facros Canones: indubitato graviter peccat, qualemcumque demum exerceat negotiationem, quæ ipfi a Superiore interdicenda eft cum comminatione

ne ſuſpenſionis a celebratione miſſæ tam publice quam privatim; nec etiam a confeſſario abſolvi poterit, ni reſipiſcat. Cum tamen Religioſo huic collato titulo Beneficii etiam collata fuiſſe cenſeatur ejuſdem adminiſtratio, non tenetur Prælato ſuo reddere rationem proventuum beneficialium, dummodo eos impendat in cauſas pias, in ſublevamen pauperum, ac in neceſſitates eccleſiæ beneficialis juxta præſcriptum Canonum. *Fromageau.*

CASUS XXXIX. Cornelius Religioſus profeſſus in domo fratrum hoſpitalitatis ſeceſſit ad Abbatiam ſeptem fontium Ordinis Ciſtercienſis, ibidemque ſolemnem profeſſionem emiſit abſque licentia ſui Superioris. Poſtea ex Pœnitentiaria Apoſtolica obtinuit Breve, qua facultas ipſi concedebatur tranſeundi Ciſtertium. Quid cenſendum de hac agendi ratione.

℟. Non potuit deſerere ſuam Congregationem, ut ad Abbatiam ſeptem fontium diſcederet. Profeſſio Cornelii ibidem emiſſa eſt nulla. Breve Pœnitentiariæ Romanæ pariter eſt nullum, teneturque Religioſus iſte redire ad ſuos confratres Hoſpitalitatis. *Fromageau.*

CASUS XL. Benedictini quidam formulæ profeſſionis ſuæ addunt hæc verba: *coram Deo & Sanctis ejus.* Num veram juramenti rationem habent verba iſta?

℟. Non habent de ſe rationem veri juramenti, nec aſſertorii nec promiſſorii: poteſt tamen fieri, ut verum juramentum contineant vel ex intentione expreſſa profitentis, vel ex conſuetudine Ordinis. Juramentum autem hoc ſolum foret promiſſorium, cujus violatio ob parvitatem materiæ poteſt eſſe peccatum veniale, cum violatio juramenti aſſertorii etiam in re levi ſemper ſit peccatum mortale; quod ex damnata ab Innocentio XI. propoſitione 24. colligitur: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam Deus velit, aut poſſit damnare hominem. Fromageau.*

CASUS XLI. Nectarius Religioſus ſuper obedientia ſibi impoſita appellavit ad judicem ſuperiorem tanquam de abuſu. Cum autem ejuſmodi appellationes per conſtitutiones Ordinis a ſummis Pontificibus approbatas, & a Religioſis acceptatas interdicantur ſub pœna excommunicationis, Nectarius ab omnibus habetur pro excommunicato. Eſtne vere excommunicatus?

℟. Non videtur, quod ratione hujus appellationis poſſit haberi pro excommunicato; cum excommunicatio non ſit lata ipſo facto. Et ſi etiam lata foret ipſo facto, cum appellationes hujuſmodi de abuſu poteſtatis paſſim jam ſint, ſal-

tem

tem in Gallia, confuetudine introductæ, neutiquam apparet, quomodo poffit excommunicari, qui jus confugiendi ad hoc remedium propriæ defenfionis gratia fibi competere exiftimat. Accedit, quod via hæc noftris his temporibus confideretur tanquam via juris, quam in compluribus occafionibus arripere permiffum eft. Nihilominus tamen magis expedit fubiicere fe fuo Superiori. *Fromageau.*

CASUS XLII. Sempronius religionem profeffus eft, etfi exacte & fecundum totam extenfionem non fciret omnia onera & obligationes ftatus religiofi. Eftne valida ipfius profeffio?

℟. Eft habenda pro valida; imo non foret invalida, fi in ejusdem receptione etiam fimonia fuiffet commiffa. Hinc ejusmodi Religiofus, etfi extra monafterium degat, & nihil ex eo recipiat, tenetur tamen ad omnes Horas canonicas. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Carolus evidenter fcit, regulam monafticam, quam amplexurus eft, usque adeo effe fupra vires fuas, ut ejusdem aufteritatibus brevi fit fuccubiturus, mortemque fibi accelaraturus. Poteftne tuta confcientia eam amplecti?

℟. Non poteft amplecti hujusmodi regulam, quin acceleratæ propriæ mortis culpam fibi adfcifcat. Objectio de Ordine Carthufienfium ad perpetuam abftinentiam a carnibus adftrictorum, quibus earum efus ne quidem in extremo morbo permittitur, non ftringit; quia homo abfolute poteft carere hoc nutrimento, & aliunde rigor circa abftinentiam a carnibus fpectat bonum commune totius Ordinis, quod femper præferendum eft bono privato Religiofi particularis. *Fromageau.*

CASUS XLIV. Erat fchifma in Ordine S. Francifci, & Superior generalis totius Ordinis officio fuo amovit omnes Provinciales totius Galliæ. Suntne profeffiones durante hoc fchifmate emiffæ in Gallia validæ?

℟. Sunt validæ: Superiores enim, in quorum manibus hæ profeffiones emiffæ fuerunt, habebantur pro legitimis, & pro fe habebant titulum faltem coloratum. *Fromageau.*

CASUS XLV. Confpirarunt ac contractum jam inierunt quatuor Religiofi, ut inamovibiles fe reddant ab officiis, quibus in Ordine fungebantur. Suntne fecuri in confcientia?

℟. Conventio hæc eft fimoniaca, & omnibus legibus adverfatur. Quatuor hi Religiofi funt excommunicati, ac proin inhabiles ad omnia prorfus officia Ordinis. *Fromageau.*

CA-

CASUS XLVI. Bruno Religiosus Carthusianus pœnitentiæ fuit subjectus ob leviores quasdam regulæ transgressiones, & aliquanto post pertæsus iniquæ suæ conditionis apostatavit ab Ordine; sed mox pœnitentia ductus iterum petiit admitti ad suam Carthusiam. Admissus quidem est, non impune tamen; cum pene ad decennium squalores carceris sustinere debuerit. At vero egressus aliquando e custodia videndorum suorum confratrum causa, fuit declaratus pro incorrigibili, decretumque, ut ex claustro ejiceretur. Perculsus terrore minarum sibi interea intentatarum, nondum insinuata, ut moris erat, ejectionis sententia iterum fuga sese subduxit. Secunda hæc evasio estne habenda pro nova apostasia? Poteratne sententia ejectionis eidem significanda auferre omnem spem redeundi ad monasterium? Poteritne rehabilitari in ordine ad missam celebrarandam ab Episcopo, a quo sacros Ordines suscepit?

℞. Secunda hæc evasio potest excusari ab apostasiæ crimine. Dein Superiorum est examinare, an juxta mentem constitutionum Ordinis Religiosus iste promeritus fuerit eiici penitus absque ulla spe redeundi. Denique Episcopus in præsenti casu non potest ipsum rehabilitare ad celebrandam missam; sed recurrendum est ad summum Pontificem. *Fromageau.*

CASUS XLVII. Anacletus Religiosus, qui a solo Abbate ad novitiatum & ad professionem admissus est, Capitulo nunquam desuper consulto, septimo post professionem mense in mentis imbecillitatem incidit. Poteſtne hæc professio nulla declarari, & sic professus in sæculum remitti?

℞. Pertinet ad Capitulum generale Ordinis decidere, an vi constitutionum Ordinis aut monasterii ejusmodi defectus professionem reddat nullam, jusque tribuat remittendi denuo taliter professum ad sæculum. Posito autem, quod valida sit ipsius professio, ob imbecillitatem mentis non potest a religione dimitti, sed omnia charitatis officia in Ordine ipsi exhibenda sunt. *De Lamet.*

Nota. In Ordinibus clericalibus, ac proin regulandis per jus commune, ex jure collegiorum Canonicalium talis professio foret nulla.

CASUS XLVIII. Odilo Religiosus Ordinis S. Benedicti fuit nominatus ad Prioratum Abbatiæ suæ incorporatum ut Beneficium simplex. Comperit autem postea, eidem ante centum annos annexam fuisse curam animarum, quæ modo ab eo separata est, instituta vicaria perpetua, eaque Presbytero sæculari commissa, non servata tamen via juris. Tene-

turne Odilo renunciare huic Beneficio, aut saltem pro viribus allaborare, ut animarum cura denuo uniatur cum Prioratu?

℟. Nec tenetur renunciare Prioratui, nec procurare, ut animarum cura denuo eidem uniatur; cum institutio vicariæ perpetuæ prorsus sit conformis menti Ecclesiæ. *Item statuimus*, inquit Concilium Avenionense anno 1326. celebratum, *quod in singulis ecclesiis per monachos solitis gubernari, infra sex menses Priores earum suis diœcesanis ad curam animarum perpetuos Presbyteros præsentent, quod nisi fecerint, ex tunc hac vice Episcopi instituant Presbyteros perpetuos in cura prædicta, & ipsos Priores compellant ad prov deadum eisdem Presbyteris, prout idem instituens duxerit ordinandum.* Idem statuere plura alia Concilia. Quod si quis in forma juris defectus extitit, rei ipsius dignitas, & Ecclesiæ, quæ perpetuæ vicariæ erectionem constituerat, utilitas præferenda est cuique formæ defectui, maxime cum suffragetur centenaria præscriptio cum bona fide, quæ sane supplet, quidquid ad ejusmodi erectionem firmandam desiderari potuit. *Fromageau.*

NOTA. Si præscriptio centenaria suffragatur in hoc casu erectioni vicariæ perpetuæ, multo magis monachis in Germania patrocinari debet præscriptio plurium sæculorum, per quæ Beneficia curata ecclesiis ac Abbatiis suis incorporata quiete hucusque possident.

CASUS XLIX. Hyacinthus emisit professionem in monasterio; interne tamen noluit se obligare ad officia ac onera religionis. Estne vere Religiosus?

℟. Coram Deo non est Religiosus; tenetur tamen quoad externa vivere ut Religiosus ad evitandum scandalum: cum enim intra concessum tempus non reclamaverit contra professionem suam, in æstimatione hominum habetur pro Religioso; quam utut erroneam opinionem eorum animis eximere haud poterit, nisi per remedia juris. *De Lamet.*

CASUS L. Sunt in Abbatia quadam aliquot Religiosi, qui jam ante novem aut decem annos religiosum habitum suscepere, ab altiori autem potestate hucusque semper impediti nunquam hactenus professionem deposuerunt. Poteruntne in hoc statu admitti ad sacros Ordines?

℟. Non potuerunt admitti, nisi aliunde habeant sufficientem titulum. Pius V. in Bulla, *Romanus Pontifex*, per annum a potestate conferendi Ordines suspendit quosvis Episcopos, qui hujusmodi Religiosos ordinaverint. *De Lamet.*

CA-

CASUS LI. In congregatione religiosa reformata existunt Religiosi contemptores regulæ & constitutionum localium, ac incorrigibiles. Poteruntne a Superioribus remitti ad alia monasteria non reformata?

℟. Non poterunt remitti; imo Superiores nec poterunt iisdem procurare Beneficia, ut hujusmodi rebelles procul a se & a communitate amoveant. Extant ordinationes juris docentes, quid agendum sit in ejusmodi occasionibus. Semper tamen pœnæ, quæ ipsis infliguntur, eo respicere debent, ut puniti resipiscant, & spiritus salvus fiat. *De Lamet.*

CASUS LII. Wenceslaus Episcopus Religioso exempto suæ diœcesis recusavit collationem presbyteratus. Religiosus autem sic repulsus ab Episcopo obtinuit Roma rescriptum Pontificium, *ut a quocumque.* Potuitne Religiosus tuta conscientia in usum deducere hoc rescriptum?

℟. Si Religiosus iste in supplicatione sua non exposuit recusationem Episcopi sui, nec repulsæ hujus exhibuit chartam, rescriptum est nullum; & Episcopus, qui eum ordinaret absque dimissoriis proprii Episcopi, ad annum privatus existeret jure conferendi Ordines; taliter ordinatus vero suspensus foret ab exercitio Ordinum, &, si post talem ordinationem ministraret in susceptis Ordinibus, insuper irregularitatem incurreret, a qua non nisi authoritate Pontificis absolvi posset. *De Lamet.*

CASUS LIII. Alto Religiosus ad professionem admissus est omisso religiosi instituti annuo tyrocinio; sicque in religione degit annis octodecim. Estne valida ipsius professio?

℟. Omnino invalida est hæc professio; & tamen, cum intra concessum a jure tempus contra eam reclamare neglexerit, eam jam legitime impugnare haud poterit. *De Lamet.*

CASUS LIV. Maurus ut in religionem recipiatur, pecuniis sibi viam sternit, & admissus est. Licitene?

℟. Canones excommunicationem statuunt in omnes illos, qui ingressum in religionem pecuniis sibi parant, ut & in Religiosos, qui vel directe vel indirecte hoc ex motivo pecunias exigunt. Præsens ergo receptio indubitato est simoniaca. Canones isti respectu monialum a quibusdam Pontificibus non nihil fuerunt mitigati; sed quoad Religiosos nihil unquam fuit immutatum. *Fromageau.*

CASUS LV. Adalbertus Religiosus parochus ad reparandam ac exornandam ecclesiam Beneficii sui a mercatore quodam mutuos sumpserat 7000 florenos, qui tamen per annos

omnino sexdecim nec summæ solutionem, nec censum ex mutuo unquam petierat. Adalbertus jam moriturus deposuit apud amicum 200. florenos post mortem suam solvendos mercatori instar census pro mutuo. Licitene sic egit?

℟. Neutiquam id illi permissum erat; quia non constat, mercatori censum deberi, cum nunquam eum petierit: nec mercator hanc summam recipere potest per modum retributionis aut testamentariæ dispositionis; cum Religiosus voto paupertatis adstrictus testamentum condere non possit. Illi, ad quos bona hujus Religiosi devenerunt, ex iis tenentur solvere creditoribus debita. Quod si tamen mercator præfatus ex dilatione solutionis sustinuisset aliquod damnum, aut lucro, quod legitime percipere potuisset, fuisset privatus, ducentos florenos, vel saltem proportionatam compensationem recipere posset. *Fromageau*

CASUS LVI. Lambertus Religiosus professionem emisit sub hac conditione, si recuperaturus sit firmam valetudinem, quæ tempore novitiatus diversorum morborum crucitatibus erat afflicta. Poteſtne deficiente hac conditione agere pro annullatione professionis suæ?

℟. Si Lambertus convincenter probare potest, se nunquam professionem emissurum fuisse, nisi medicus firmæ valetudinis recuperandæ spem fecisset, ea non recuperata potest agere, ut nulla declaretur professio. Si autem id convincenter probare non potest, licite saltem petit a Papa dispensationem, ut possit transire ad Ordinem laxiorem. *Fromageau.*

CASUS LVII. Paulinus Religiosus ex Ordine Minimorum variis vexatur infirmitatibus propter abstinentiam a carnibus, quam præscribit regula. Teneturne recurrere Romam pro impetranda licentia vescendi carnibus?

℟. Licentia hæc potest ipsi indulgeri a Superioribus. Et si continuata abstinentia a carnibus infirmitas ejus fit incurabilis, poterit sibi procurare a Papa facultatem transeundi ad Ordinem mitiorem, in quo non viget hæc abstinentia. *Fromageau.*

CASUS LVIII. Benedictus Carmelita continuis afficiebatur vexationibus ac injustis persecutionibus, quas nisi fuga declinare haud poterat. Fugit itaque. Estne habendus pro apostata?

℟. Non est pro tali habendus, maxime si non deposuit habitum religionis suæ. Convenientius se detinet post fugam in monasterio quodam, quam apud parentes aut consanguineos.

gu'neos. Poſtquam exp'ravit tempus in Brevi Apoſtolico conceſſum, quo ipſi ad alium Ordinem tranſeundi facultas tribuitur, procurare ſibi debet novum Breve. Cumque Generalis injuſtis vexationibus coegerit ipſum ad fugam, ut vitam in tuto reponeret, Conventus tenetur ipſi providere de neceſſariis ad ſuſtentationem, & omnibus impenſis ad cauſam ſuam tuendam, donec ex integro compoſita fuerit. *Fromageau*

CASUS LIX. Bertrandus juvenis, videns in mundo periclitari ſalutem animæ ſuæ, ſtatuit ingredi religionem. Alieno ære autem ſupra modum gravatus, nequit ſatisfacere creditoribus ſuis. Poteritne hoc non obſtante religionem ingredi?

℞. Poterit profiteri religionem: diſcrimen enim eſt faciendum inter debitorem perſonaliter talem, & inter bona ipſius, quæ vel actu habet, vel deinceps aquirere poteſt. Bona hæc omnia ſunt hypothecata creditoribus, nec de illis in præjudicium eorum diſponere poteſt; attamen perſona ipſius plena gaudet libertate. *Fromageau.*

Nota. Hæc reſponſio recipi poteſt, niſi ex conſtitutionibus Ordinis talis ab admiſſione ad profeſſionem arceri debeat: multis enim in monaſteriis recipi prohibentur ære alieno gravati, aut ratiociniis obligati.

CASUS LX. Carniolus aſſumpto habitu Canonicorum Regularium poſſidet Beneficium curatum regulare hujus Ordinis; nunquam tamen in Ordine præfato vel novitiatum ſubiit, vel profeſſionem emiſit. Eſtne Religioſus?

℞. Non eſt Religioſus; poteſt tamen adminiſtrare parochiam, ſi Epiſcopus eum ad hoc judicaverit idoneum, omneſque exercere functiones parochiales. *Fromageau.*

CASUS LXI. Xaverius Religioſus non reformatus aſſignatam ſibi habet penſionem a domo profeſſionis ſuæ, in quam introducta eſt reformatio. Hanc penſionem deberi ſibi exiſtimat, etſi divino officio non interſit, & in alio degat monaſterio. Num verum hoc?

℞. Religoſus nec acceptare nec retinere poteſt duo domicilia monachalia, ſed reſidere tenetur in domo profeſſionis ſuæ, ibidemque aſſiſtere choro & Divinis; nec poteſt inde egredi & tranſire ad alium conventum abſque graviſſimis cauſis & authoritate legitima. Si ſine ejuſmodi cauſis & authoritate in aliud ſe conferret monaſterium, eo ipſo penſionem ſuam amitteret. *Fromageau.*

CASUS LXII. Religiosi perantiquæ cujusdam Abbatiæ longo jam abhinc tempore vivebant more Canonicorum sæcularium in summa disciplinæ relaxatione. Hinc Princeps constitutionem edidit, ut vitam communem denuo restaurent, ad unam communem mensam simul omnes cibum caperent, & plures alios enormes abusus regulæ monachali disconvenientes tollerent. Obligatne hæc constitutio ?

℟. Religiosi omnes tenentur se subiicere mandato Principis. Prior claustralis debet tentare & adhibere omnia media licita ad introducendam & urgendam mandati hujus observantiam. Eos, qui a Curia Romana obtinuerunt Beneficia a monasterio suo dependentia, tentare debet, &, si religiosæ disciplinæ refractarios deprehenderit, revocare. Professi quidem, quibus Beneficia claustralia in titulum obtigerunt, non tenentur rationem reddere de usu redituum Beneficii, quod possident; tenentur tamen fideliter satisfacere ejusdem oneribus, & stricte observare leges canonicas pro beneficiatis sancitas. Abusus est sub missa majore, cui omnes interesse tenentur, convocare Capitula, adeoque abrogandus. Abusus quoque intolerabilis permittere consanguineis spolia defuncti Religiosi, relictam nempe supellectilem, ornatum cellæ &c. Corruptela pessima est dividere inter Religiosos pecunias, quæ exiguntur a Canditatis ad noviciatum recipiendis. Religiosi non reformati non possunt renunciare regulæ suæ, nisi ab ejusdem observatione sint dispensati per Bullas authenticas debitis omnibus formalitatibus vestitas. *De Lamet.*

CASUS LXIII. Florianus Religiosus, frater conversus ex numero non reformatorum per plures jam annos degit extra suum monasterium, & tonsuram ac officium Sacristæ in quadam ecclesia obtinere nititur. Num licite ?

℟. Non potest degere extra suum monasterium absque gravi causa, & quidem a Papa, vel saltem ab aliis suis Superioribus approbata. Confessiones ab eodem in hoc statu peractæ sunt nullæ, ac proin omnes repetendæ. Non potest absque dispensatione recipere tonsuram & obtinere Beneficium. Nec potest possidere in titulum officium Sacristæ, quod presbyteratum exigit, & alias semper a Presbytero provisum est. Non licet ipsi habere pecunias, ut & cœteris religiosis professis. Recreationes omnes sunt ipsi interdictæ, nisi quas regula & constitutiones permittunt. *Fromageau.*

CA-

CASUS LXIV. Ludgerus Religiosus ob atrocia ac notoria crimina ingens olim toti communitati scandalum præbuit, pessimamque sibi famam peperit. Divino autem instinctu afflatus culpam suam pleno in Capitulo humiliter confessus est, veniamque petiit; & vivit modo integerrime, ac ad ædificationem omnium. Poteſtne jam in monasterii Priorem eligi?

℟. Cum iis, qui religiosis communitatibus præsunt, necessarium sit non modo *bonum testimonium ab iis, qui foris sunt*, sed ab illis etiam, quibus præsident, quibusque in perfectionis via non doctrina tantum, verum etiam virtutum exemplo facem præferre debent, Ludgerus ab omni superioratus officio arcendus est: licet enim ipse malitiam suam coram universa communitate confessus fuerit, pœnitentiamque egerit, non tamen famam suam redintegrasse censendus est. *Quod locum etiam habet*, inquit Prosper Fagnanus in Cap. *Omnipotens.* de accusat. n. 31. *etiamsi pœnitentiam egerit; quia nihilominus aliqua infamia respersus, etiamsi nullus eum accusaverit, promoveri non debet.* Imo maxime scandalosa foret ipsius promotio. *De Lamet.*

Nota. Semel infames non solum infamia juris; sed etiam facti nunquam in Ordinibus religiosis præfici possunt sine maximo totius communitatis ac regularis disciplinæ dispendio: etsi enim emendati videantur, vix unquam tamen satis efficaciter ac cordate obsistunt irrumpentibus vitiis ac corruptelis, ne semetipsos tacite arguant, aut præteritorum memoriam in aliis refricent. Subditi quoque pronius delinquunt ob spem facilioris condonationis, aut levioris punitionis.

CASUS LXV. Poteſtne Religiosus cujusdam Abbatiæ, in qua vita communi ac regulari disciplina vix non penitus collapsis quilibet pro suo arbitratu vivit, in monasterio secum habere fœminas consanguineas pro suo servitio?

℟. Religiosus hujusmodi ageret contra statuta Ordinis sui, a quorum observantia hac in re nulla ratione sese eximere potest. Neque matrem, neque sororem, multo minus earum ancillas in monasterio secum habere licet; teneturque Superior sub gravissimo peccato eas expellere. *Fromageau.*

Vide *Approbatio.* caſ. 10. *Confessio* caſ. 34. *Dispensatio in votis Religiosorum. Eleemosyna* caſ. 13. *Monialis. Professio religiosa. Votum.*

RELIQUIÆ SANCTORUM.

1. Venerari oportet Sanctorum *Reliquias*, cum earum cultum illustribus Deus miraculis comprobaverit ac prodigiis. Verum sicut Sanctorum cultus ad Deum unice referendus est, ita veneratio eorum reliquiis exhibita ipsos Sanctos directe ac immediate respicit.

2. Dum dicitur, omni veneratione colendas esse Sanctorum reliquias, nihil aliud intelligitur quam cultus reverentiæ ac observantiæ, quem cuilibet rei sacræ deferri decet.

3. Concilium Tridentinum prohibet, ne in ecclesiis publice exponantur ullæ Sanctorum novæ reliquiæ, nisi ab Episcopo post diligentem inquisitionem ac cautam discussionem sufficienter informato recognitæ, & ut authenticæ approbatæ fuerint. Falsas reliquias jactitare pro veris Sanctorum reliquiis, idem est, ac cultum religiosum decernere rebus, quibus utpote indignis minime debetur; & ordinarie spiritus avaritiæ est, qui faciliem hac in re nutrit ac fovet credulitatem.

4. S. Augustinus queritur de quibusdam sui temporis hypocritis, quos emissarios dæmonis vocat, qui habitu monachali induti provincias percurrebant, reliquiasque vendebant, dicentes, esse reliquias Martyrum. S Gregorius magnus invehitur in quosdam monachos Græcos, qui venientes Romam ex sepulchris prope ecclesiam S. Pauli colligebant ossa humana, eaque secum in Græciam deportabant, sacras reliquias esse asserentes.

5. Reliquiæ Sanctorum in peculiaribus thecis ac capsulis recondendæ, nec extra eas passim petentibus exhibendæ sunt. Habetur hac super re constitutio Concilii IV. Lateranensis sub Innocentio III. cujus verba sunt: *Cum ex eo, quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni detractum sit sæpius; ne imposterum detrahatur, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales.*

6. Reliquiæ Sanctorum nunquam exponantur, nisi accensis cereis aut lampadibus. Non est permittendum, ut fœminæ confideant prope reliquias venerationi populi expositas. In supplicationibus & processionibus publicis eæ non a laicis, sed a clericis deferendæ sunt.

CASUS I. Casimirus sacerdos Roma secum attulit reliquias cujusdam sancti Martyris, quas parochiam postmodum con-

consecutus eleganter exornatas ac in reliquiario reconditas propria sua authoritate in ecclesia sua parochiali fidelium venerationi exposuit. Num bene factum?

℟. Juxta Concilium Tridentinum non potuit eas exponere, nisi prius ab Episcopo tanquam genuinæ recognitæ, & eas exponendi licentia concessa fuerit. *Statuit S. Synodus*, ait sess. 25. Decr. de invoc. & reliq. Sanct. *nemini licere ullo in loco, vel in ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit... nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo. Pontas.*

CASUS II. Parochiæ cujusdam curatores litem suscitarunt curatoribus alterius ecclesiæ parochialis vicinæ super insignibus quibusdam reliquiis expositis in hac posteriore ecclesia, in qua ex piis fidelium largitionibus apud easdem oblatis viginti circiter quotannis imperiales percipiebantur, prætendebantque una cum suo parocho, ad ecclesiam suam pertinere has reliquias. Proposita a quodam utriusque partis amico conventione placuit, ut reliquiæ relinquantur ecclesiæ, in qua hactenus fuerant asservatæ, oblata vero æquis partibus inter utramque ecclesiam dividantur. An non vitiosa est hæc transactio?

℟. Transactio hæc sola partium litigantium authoritate facta non est canonica, nec fieri potuit tuta conscientia; necessario intervenire debuisset authoritas Episcopi: certum enim est, reliquias numerari inter res sacras, quamprimum ab Episcopo recognitæ fuerint ut authenticæ; indubitatum quoque est, gratias per intercessionem Sanctorum a Deo obtentas pertinere inter res pure spirituales. Ex quo sequitur, quod sine peccato in nullum possint venire commercium, nec pecunia expendi possit pro illis aquirendis aut retinendis. *Pontas.*

CASUS III. Bermondus parochus cum in ecclesia sua nullas haberet Sanctorum reliquias, a vicino parocho impetravit caput cujusdam Sancti, erga quem parochiani singulari devotione ferebantur; consensere etiam curatores ecclesiæ, ea tamen pacta conditione, ut Bermondi ecclesia quotannis ex redditibus fabricæ quinque florenos solvat alteri ecclesiæ. An non vitiosa & simonica est hæc conventio?

℟. Absque dubio est vitiosa & simoniaca; quia, quidquid est positum extra commercium humanum, non potest sub quocumque demum prætextu vendi: certum autem est, sacras reliquias esse extra omne humanum commercium, ut

declararunt Imperatores Honorius & Theodosius : *Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur*. S. Antoninus 3. part. tit. 12. c. 8. dicit : *Reliquias vendere vel emere est simoniacum* : Bermondus autem in casu præsente emit, & alter parochus vicinus vendidit. *Nomine autem emptionis & venditionis*, ut ait idem S Doctor 2. part. Tit. 1. c. 5. §. 1. *comprehenditur omnis contractus non gratuitus. Pontas.*

CASUS IV. Leo Sacrista cujusdam ecclesiæ cathedralis abstulit os brachii alicujus Sancti ex lypsanotheca, in qua cum multis aliis reliquiis erat reconditum, idque exposuit in ecclesia parochiali, ad quam nuper primum parochus institutus fuerat : ast confessarius eum obligat ad restitutionem. Peccavitne clanculum surripiendo hanc reliquiam ? Teneturne etiam ad restitutionem ?

℞. Merito ad restitutionem ipsum obligat confessarius. Leo grave commisit peccatum, nec potest retinere hoc sacrum os sine novo peccato. Insuper aliud speciale peccatum perpetravit, illud propria sua authoritate publicæ fidelium venerationi exponendo sine licentia ac approbatione Episcopi. *Pontas.*

Vide *Simonia* cas. 61,

RENUNTIATIO BENEFICII.

1. *Renuntiatio* est abdicatio Beneficii facta a Titulari ejusdem ; sive dein habeat jus *in re*, cum scilicet legitima illius possessione gaudet, sive solum habeat jus *ad rem*, dum nimirum ad Beneficium assumptus nondum ejusdem possessionem adiit, vel eidem renunciat ante confirmationem electionis a legitimo Superiore factam.

2. Renunciatio fieri debet *sponte*, & *cum cognitione causæ* ; quia ad validam renunciationem requiritur libertas, & causa legitima. Causæ autem ejusmodi sunt sex, & comprehenduntur in his duobus versiculis :

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

3. Beneficiatus non potest renunciare Beneficio suo absque causa legitima ; utque renunciatio sit canonica, debet fieri apud Superiorem.

4. Renunciatio est duplex ; una *pura* & simplex, qua quis renunciat Beneficio in manus collatoris absque ulla conditione ; altera *conditionata*, dum quis renunciat Beneficio in favorem

vorem alterius, & non aliter, aut ea conditione, ut resignatarius resignanti cedat aliud Beneficium, aut pensionem ex fructibus Benefi. i; & hujusmodi renunciatio proprie dicitur resignatio in f. vorem, aut permutationis causa, aut cum onere pensionis.

5. Hic solum sermo est de ea renunciatione, quæ renuncianti nullum relinquit jus reclamandi contra renunciationem suam acceptatam a Superiore. De renunciatione conditionata vide Titulos *Pensio*, *Permutatio*, & *Resignatio*.

6. Renunciatio pura ut sit canonica, necesse est, ut fiat in manus ordinarii collatoris Beneficii, quovis alio excluso. Per puram renunciationem non censetur vacare Beneficium, nisi ea admissa fuerit a Superiore, in cujus manus fieri debet.

CASUS I. Eutychius renunciavit Abbatiæ suæ in manus Regis in favorem sui nepotis. Potestne resignatarius aulico offerre pecuniam pro impetranda a Rege resignationis acceptatione?

℟. Supposito etiam, quod Rex teneat locum Papæ in iis, quæ concernunt Beneficia collationis Regiæ, nepos tamen iste nullum habet jus ad Abbatiam Eutychii. 1. Quia Rex non tenetur resignationem admittere, Abbatiamque, postquam per mortem resignantis vacaverit, conferre potest, cui libuerit. 2. Quia abdicatio ab Eutychio fuit facta sub conditione; quamdiu autem non adimpletur conditio, tamdiu abdicatio est nulla, ac consequenter nullum præbet resignatario jus. Et sic nepos absque simonia non potest data pecunia admissionem resignationis promovere: simoniacum enim est hac ratione collationem Beneficii sibi procurare. *Pontas.*

CASUS II. Eumenius Titularis cujusdam Prioratus simplicis, ad quem jus præsentandi habet Abbas quidam, eidem pure ac simpliciter renunciat in manus Abbatis illius, qui altero mox die præsentat alium ad Prioratum.

℟. Hæc renunciatio non est canonica; cum non sit facta in manus collatoris. *Pontas.*

CASUS III. Gedeon Canonicus & Scholasticus cujusdam ecclesiæ cathedralis ex Titulo Beneficii sui ac vi juramenti ante aditam possessionem Capitulo præstiti singulis Dominicis ac Festis tenetur concionem habere, ac actualem, continuamque servare residentiam sub pœna ejusdem mulctæ, qua solet animadverti in cæteros Canonicos absque legitima causa absentes. Gedeon autem sæpe se ruri detinet pro solatio patris sui infirmi, ita, ut per quinquennium, ex quo Benefi-

cium

cum suum possidet, singulis annis fere tribus mensibus absens fuerit. Redditibus ipsius sic notabiliter diminutis declaratum ipsi est a Capitulo, ut aut officio suo rite fungatur, aut præbendæ Scholastici renunciet; quod ille in manus Episcopi collatoris facere non renuit, dummodo Capitulum restituat 500 libras, quibus ob absentiam suam privatus fuerat; alias se resignaturum in favorem cujusdam clerici nec Capitulo nec Episcopo accepti. Quam conditionem cum Capitulum ultra mensem non acceptasset, tandem, ut ecclesiam ab indigno Beneficiato liberaret, numerari ipsi jubet 500 libras, & quidem in præsentia cujusdam clerici totius rei conscii, quem Episcopus utpote summe dignum ac idoneum loco Gedeonis ad hoc Beneficium destinaverat. Hoc facto Gedeon in forma consueta pure ac simpliciter renunciat Beneficio in manus Episcopi, qui de eo mox disponit in favorem memorati clerici.

℟. 1. Gedeon non potuit absque gravi peccato contra justitiam deesse residentiæ actuali ac continuæ, aliisque functionibus suis; & hinc juste fuit mulctatus. 2. Capitulum non potuit Gedeoni condonare 500 libras, quibus juste fuit privatus. 3 Merito a Gedeone fuit petita renunciatio Beneficii; sed ea fieri non potuit, nisi gratuito. Denique successor ipsius non potest excusari a simonia, cum totam rei seriem sciverit; & hinc provisio ipsius nulla est, teneturque fructus perceptos restituere ecclesiæ aut pauperibus, nisi de novo provisus a Papa obtinuerit condonationem fructuum perceptorum. *Pontas.*

CASUS IV. Medardus Canonicus cathedralis cum periculosissime decumberet, Florentiusque in præbendam ipsius intrudere vellet Titium, ille Medardo in præsentia notarii ac testium, cum quibus conspiraverat, subscribendum offert instrumentum renunciationis in favorem Titii, simulans, esse solutæ a villico ipsius pecuniæ apocham.

℟. Florentius, notarius ac testes crimen falsi commiserunt. Si Titius est persona indigna hoc Beneficio, renunciatio est nulla, & provisio ipsius obreptitia ac invalida, Florentiusque tenetur reparare damnum tam ecclesiæ quam collatori. Si vero Titius est persona digna, ecclesiæque nullum exinde detrimentum nascatur, Florentius solus tenetur reparare injustitiam adversus collatorem commissam. Titius quoque tuta conscientia non potest retinere præbendam, si falsitatis commissæ conscius sit; de qua ipsum monere tenetur Florentius, ut sciat, se in conscientia obligatum esse ad dimittendum

Bene-

Beneficium. Non solum Florentius, sed & notarius & testes, ac quicumque falsitatis participes fuerunt, tenentur in solidum ad reparandum damnum; & Florentius in particulari tenetur omnes complices monere de commisso crimine. *Pontas.*

Nota Si Titius fuisset optima fide per tres annos in possessione hujus Beneficii, illud retinere posset: provisus enim de Beneficio etiam per simoniam, invincibiliter tamen ignoratam, manet in possessione ejusdem.

CASUS V. Nicomachus parochus, cum optaret, ut Beneficium suum obveniret Lamberto nepoti suo, accedit Mævium ejusdem collatorem, ipsique proponit, se pure ac simpliciter renunciaturum Beneficio in manus ipsius, hac tamen conditione, ut conferatur Lamberto; hoc ni fiat, se non renunciaturum. Mævius id promittit, & facta renuntiatione Beneficium confert Lamberto, prout promiserat.

℟. Provisio Lamberti est simoniaca, consequenter nulla: & tam ipse quam collator incurrerunt pœnas contra simoniacos latas: *Cum in talibus*, ait Innocentius III., *omnis pactio aut conventio cessare debeat.* Et re ipsa talis abdicatio proprie loquendo nil foret aliud, quam resignatio *in favorem*, quæ valide non potest admitti nisi a solo Pontifice. *Pontas.*

CASUS VI. Epipodes successorem in capellania sua sibi exoptans Hieronymum amicum suum, patronum ejusdem laicum Balduinum ad lautissimas invitat epulas, iisque finitis offert ipsi in manus renunciationem suam, adjunctis precibus, ut præsentet ad hoc Beneficium Hieronymum; petitioni huic Balduinus consentit.

℟. Licet hæc Epipodis agendi ratio ac calliditas a peccato excusari non possit, quia tamen nullum intercessit pactum nec expressum nec tacitum, nullaque conditio apposita nec ante nec post abdicationem, sed solum facta supplicatio, quæ de se non poterat impedire Balduinum pro arbitrio suo disponendi de Beneficio, dici non potest, commissam fuisse simoniam confitentialem; non obstante, quod Epipodes reprehensione dignus sit, eoquod tam indigno ac alieno medio usus fuerit alterum ad Beneficium promovendi. Consequenter & præsentatio & collatio capellaniæ in favorem Hieronymi sunt validæ in utroque foro. Verum si Hieronymus induxisset Epipodem ad parandum patrono convivium, cum promisso compensandi impensas in illud factas, uterque simoniam commisisset. *Pontas.*

CA-

CASUS VII. In ecclesia quadam collegiata jam a quinquaginta annis consuetudo valuit, ut Beneficia a Capitulo dependentia conferantur iis, qui obtentam a resignantibus renunciationem offerunt, aut illis, quos renunciantes tanquam successoros suos indicant.

℟. Hæc consuetudo est simoniaca; 1. quia in hoc casu intervenit pactum, licet obvie tacitum, formale tamen, coram Deo. 2. Quia Canonici insistentes huic consuetudini admittunt quodam modo resignationes *in favorem*, quo jure solus Papa gaudet. 3. Quia hæc consuetudo aperte inducit successionem hæreditariam in Beneficia; id quod Ecclesia semper horruit, & reprobavit in Conciliis Lateranensi & Tridentino. *Pontas.*

CASUS VIII. Collator quidam recipit renunciationem Beneficii, ac promittit, se Beneficium collaturum illi, quem renuncians proposuerit.

℟. Hæc renunciatio est simoniaca. Collator iste nec minimo indicio manifestare debet propositum suum satisfaciendi illi, qui renunciat: interveniret enim hoc modo pactum tacitum, quod collationem redderet simoniacam. Nec Beneficium hoc conferendum est illi, qui jam duo alia possidet Beneficia plusquam sufficientia: Concilium enim Tridentinum damnat hanc Beneficiorum pluralitatem. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Collatio. Permutatio. Provisio Beneficii. Resignatio. Simonia.*

RESERVATIO PECCATORUM.

1. Reservatio non solum locum habet in materia peccatorum, sed etiam censurarum, dispensationum, commutationis votorum, procurationum in provisione Beneficiorum, delegationum &c. Reservatio hujusmodi, qualiscumque ea sit, nihil est aliud, quam limitatio potestatis vel jurisdictionis sive ordinariæ sive delegatæ.

Si potestas est *ordinaria*, reservatio non habet locum nisi in casibus expressis; si vero est *delegata*, censentur reservata, quæcumque expresse non sunt concessa. Ratio hujus regulæ est; quia ordinariam habens potestatem potest omnia, quæ ipsi non sunt specialiter prohibita; delegatus autem nihil omnino potest, nisi quod ipsi expresse fuit demandatum. Si potestas est ordinaria, reservatio est odiosa, adeoque restringenda; si vero delegata est, reservatio est favorabilis & extendenda. Reservatio tam respectu potestatis ordi-

ordinariæ quam delegatæ provenit a jure & ab homine; cumque fundetur in sacra Scriptura, ligat in utroque foro.

3. *Reservatio peccatorum* juxta Concilium Tridentinum nihil est aliud quam limitatio potestatis obsolvendi. Peccata possunt reservari vel ratione sui, vel ratione quadam extrinseca, id est *directe* vel *indirecte*. Directe id fit, dum nominatim ac in specie propter malitiam suam propriam reservantur; indirecte vero, dum reservantur ratione annexi, v. g. excommunicationis reservatæ, quam delinquentes incurrunt.

4. In Corpore juris non reperitur exemplum peccati directe & ratione sui reservati ante initium sæculi decimi quarti.

5. Facultas reservandi peccata pertinet ad potestatem jurisdictionis, sicut & facultas absolvendi, quæ per reservationem restringitur. Jus reservandi peccata Papæ & Episcopis competit jure divino, ut & Conciliis; siqui alii hoc jure gaudeant, illud tenent immediate ab Ecclesia. Qualitatem criminum reservandorum vel reservabilium explicat Concilium Tridentinum.

6. Finis reservationum vel est *generalis*, ut animarum salus, honor Dei &c. vel *particularis*, ut conservatio disciplinæ ecclesiasticæ, rarior lapsus in ejusmodi peccata ob difficultatem absolutionis, vel conciliatio majoris reverentiæ ac authoritatis erga primarios Ecclesiæ Prælatos.

7. Reservatio sequitur confessarium, quocumque se conferat, supposito quod absolvat ex authoritate reservantis; non vero si absolvat authoritate alterius cujusdam; secus se res habet in pœnitente, quando exit ex diœcesi, in qua commisit peccatum Episcopo reservatum. Pro articulo mortis cessat omnis reservatio.

CASUS. Petrocorius confessus est peccata reservata sacerdoti habenti potestatem absolvendi a reservatis. Post aliquod tempus dubitare incipit de valore hujus confessionis, & omnia hæc peccata denuo in confessione exponere cogitat. Poteritne absolvi a quolibet sacerdote, etiam non habente potestatem absolvendi a reservatis?

℞. Iterata hæc confessio fieri potest cuilibet confessario, dummodo is approbatus sit ab Episcopo: reservatio enim jam est sublata per priorem confessionem. *Fromageau.*

Nota. In casu supponitur, quod pœnitens deposuerit confessionem saltem formaliter integram de omnibus peccatis mortalibus etiam non reservatis, quæ occurrebant memoriæ.

Vide *Casus reservati.*

RESIDENTIA CANONICORUM.

1. *Residentia* vocatur commoratio Beneficiati continua in loco Beneficii, ut nullo non momento sit paratus ad obeunda munia ac ministeria Beneficii, sive curati sive non curati.

2. Obligatio, quæ incumbit Canonicis, residendi apud ecclesias, ex quibus trahunt titulos Beneficiorum suorum, fundatur in altera obligatione, qua scilicet tenentur quotidie decantare laudes divinas, & adimplere ea omnia, ad quæ vi taciti cum fundatoribus contractus sese obligarunt, dum acceptarunt præbendas suas. Interim tamen obligatio hæc respectu ipsorum non est adeo rigorosa, ut respectu parochorum; & jus canonicum in favorem eorum approbat causas absentiæ, quæ nunquam sufficerent ad excusandam absentiam parochorum.

3. Nec tamen propterea jam satisfaciunt debito suo per solam residentiam; sed opus insuper est, ut exacte adimpleant obligationes Beneficio suo annexas: & sicut parochus absque legitima causa absens a parochia sua tenetur ad restitutionem fructuum sui Beneficii, idem prorsus dicendum est de Canonico, qui nec residet in loco canonicatus sui, nec choro assistit, & tamen percipit fructus canonicales.

4. Patebit per decursum hujus articuli, quænam sint causæ legitimæ, ex quibus Canonicus abesse possit, quin amittat fructus grossos; imo distributiones etiam quotidianas lucretur.

CASUS I. Sylvanus jam a decennio Theologiæ Doctor & professor in Universitate Duacensi semper hucusque, tametsi absens, percepit fructus ex canonicatu, quem possidebat in ecclesia cathedrali Tornacensi Estne securus in conscientia, non obstante absentia a loco canonicatus sui?

℟. Professor iste secura conscientia potest percipere fructus præbendæ suæ, etiamsi non resideat. Concilium generale Lateranense de anno 1179. statuit, ut in quavis Cathedrali constituatur professor grammatices pro docendis pauperibus, eique Beneficium conferatur, ut possit docere gratis. Lateranense quartum anno 1215. confirmat ea, quæ jam prius fuerant decreta, & ordinat insuper institutionem professoris Theologiæ in qualibet ecclesia metropolitana, assignatis tam Gramatico quam Theologo redditibus canonicatus. Atque hinc est famosa illa Decretalis, *Super specula*. 5. lib. 5. Tit. 5. ubi Honorius III. ait: *Docentes vero in theologica facultate, dum in scholis docuerint . . . percipiant proventus præ-*

præbendarum & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia consuetudine vel statuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Sylvius igitur tuta conscientia percipere potest fructus canonicatus sui. Id tamen intelligendum non est de professoribus cathedras occupantibus, quarum fundatio expresse cavet, ne ad illas evecti Beneficio provideantur residentiam exigente. Unde sequitur, quod si emolumenta professuræ essent adeo notabilia, ut nulla prorsus appareat necessitas iis adhuc præpendam adliciendi, ut in Hispania ac Polonia videmus, professor tuta conscientia non posset uti privilegio hoc a jure concesso; cum certum sit, mentem Conciliorum & Pontificum non fuisse, hujusmodi professores ditandi, sed solum necessariam ac honestam sustentationem illis subministrandi. *Pontas.*

CASUS II. Renatus Canonicus ecclesiæ Burdigalensis sedecim vel octodecim annos natus, aliquot abhinc annis fruitur redditibus sui canonicatus, licet absens studiorum causa, quibus incumbit Parisiis. Estne securus in conscientia?

℟. Privilegium professorum, de quibus in præcedente casu sermo fuit, extendendum etiam est ad eos, qui studio Theologiæ operam navant juxta Decretalem ibi citatam; non tamen allos nisi fructus grossos possunt percipere. Juxta Fagnanum & plures alios Canonistas etiam juris canonici studiosis competit hoc privilegium. *Ad alias autem scientias*, inquit Cabassutius L. 5. c. 1. n. 7. *ut illis studens possit absens fructus Beneficii resident am deposcentis percipere, necessaria est Prælati licentia.* Quod dictum de Canonicis studentibus, nequaquam ad parochos extendi potest; quia actualis eorum residentia incomparabiliter magis Ecclesiæ est necessaria, quam Canonicorum; neque possunt Episcopi juxta declarationem sacræ congregationis circa hoc impertiri dispensationem. Idem statuit anno 1624. Concilium Burdigalense: *Nisi id personæ meritum in utilitatem Ecclesiæ cessurum exigere comprobetur. Pontas.*

CASUS III. Joannes, Jacobus, Petrus & Paulus novelli Canonici ecclesiæ Agathensis, in qua duodecim tantum sunt præbendæ, obtenta a suo Capitulo, inscio tamen Episcopo, licentia discedendi Burdigalam studiorum causa, ibidem integro jam quimestri studiis vacant. Certior factus de eorum discessu Episcopus ipsos revocat ad suas præbendas; eo quod sine sua licentia abierint, & aliunde Capitulum cathedrale ex Canonicis oppido paucis constet non sine detrimento cultus divini. Tenentur in conscientia obedire Episcopo? Possuntne in casu tergiversationis ad hoc etiam cogi?

℟. Tenentur obedire; & si renuant, Prælato competit jus illos eo adigendi per pœnas canonicas. Ita Gregorius IX. Cap. *Cum ad hoc.* 16. Lib. 3. Tit. 4. Hostiensis cum aliis advertit, posse ab Episcopo obligari Canonicos studiorum causa absentes ad redeundum, ut suis deserviant Beneficiis, non solum dum ex eorum absentia cultus divinus notabiliter diminuitur, sed etiam dum novit, neglectis studiis tempus ab iis inutiliter dilapidari. *Pontas.*

CASUS IV. Petrus & Paulus Canonici cathedrales, assumpti ab Episcopo ad regimen diœcesis, possuntne tuta conscientia sub hoc prætextu percipere fructus Beneficiorum suorum, licet absentes?

℟. Alexander III. Cap. *De cætero.* 7. & Honorius III. Cap. *Ad audientiam.* 15. Lib. 3. Tit. 4. Canonicis istis fructus adjudicant, etsi non residentibus. *Decernimus*, inquit Honorius III. l. c. *ut duo ex Canonicis in tuo servitio existentes suarum fructus integre percipiant præbendarum; cum absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.* Aliunde hujusmodi Canonici Ecclesiæ multo sunt utiliores servitio hoc, quod Episcopo exhibent, quam cæteri Canonici choro ac psalmodiæ assistentes. Id tamen intelligendum non est de distributionibus quotidianis; cum praxis contraria indiscriminatim contra omnes absentes jam ante has decretales introducta fuerit, & exinde ad nostra usque tempora constanter obtinuerit. *Pontas.*

CASUS V. Capitulum cathedrale quinquaginta constans Canonicis, amplissimosque habens redditus, pro more vix non universali omnium Capitulorum ad Curiam Principis misit unum ex Canonicis suis, ut ibidem negotia totius Corporis & causas judiciales curaret, urgeretque. Moratur hic ibi jam per solidum triennium. Sufficitne hæc ratio ad hoc, ut possit percipere fructus grossos & distributiones?

℟. Motivum, quod juxta Tridentinum Sess. 23. c. 1. de reform. excusat Canonicum a residentia, *evidens* scilicet *Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas*, evidenter locum habet in casu præsente. Jure igitur Canonicus iste fructus Beneficii sui percipit, imo, ubi ita consuetudo fert, etiam distributiones quotidianas. *Si quis abesse cogatur*, inquit Cabassutius L. 5. c. 1. n. 6. *ad curanda ecclesiæ, cujus est Præbendatus, negotia ex Capituli commissione . . . non est distributionibus privandus.* Idem dicendum 1. de Canonico, qui abest ad terminandum processum injuste sibi a Capitulo intentatum. 2. De Canonico, qui delegatur a diœcesi pro regulandis decimis. 3. De Canonicis deputatis ad Synodum vel conventum Cleri. 4.

De

De Archidiacono actu visitante parochias sui districtus. 5. Denique de Canonico, qui de mandato expresso Episcopi sui concionibus occupatur tempore Adventus vel Quadragesimæ, aut per Octavam Corporis Christi, aut ad Missiones deputatur. *Pontas.*

CASUS VI. Leopoldus Canonicus de jussu expresso Episcopi jam per sex menses administrat parochiam ruralem. Estne coram Deo exemptus a residentia & præsentia in choro ac Divinis; præsertim si Episcopus non potuit invenire alium Clericum idoneum, qui potuisset obire functiones parochiales?

℟. Juxta constitutionem Bonifacii VIII. Cap. *Consuetudinem.* un. Lib. 3. Tit. 3. in 6. Leopoldus est exemptus ab obligatione residendi & præbendæ suæ deserviendi, dum dicto modo functiones parochiales exercet. *Pontas.*

CASUS VII. Candidus habet canonicatum, cujus annui redditus non excedunt sexaginta florenos; cumque modicum hoc non sufficiat ad honestam sustentationem, parochos quosdam rurales juvat in exercitio ministerii pastoralis & curæ animarum, ut victum sibi lucretur. Licitene in his circumstantiis abest a suo canonicatu ultra tempus Canonicis a Tridentino permissum?

℟. Qui acceptat Beneficium, acceptat & onera ejusdem ac obligationes. Porro præcipuum onus Canonici est assistere choro in sua ecclesia, cui satisfacere non potest, nisi actualiter resideat in loco Beneficii. Ita Alexander III. Cap. Conquerente. 6. Lib. 3. Tit. 4. Author Glossæ addit: *Et sic patet, quod Clericus residentiam facere debet in ecclesia sua; alias potest ea de jure communi privari. Pontas.*

NOTA. Cum leges ecclesiasticæ non possint esse irrationabiles, absque injuria extendi non possunt ad ejusmodi circumstantias, ad quas extensæ fierent irrationabiles. Itaque pro hujusmodi circumstantiis per epikiam providere tenetur Episcopus.

CASUS VIII. Sulpitius Canonicus ad S. Mauritium potestne absque peccato abesse per duas vel tres septimanas ultra tempus a Tridentino concessum, ut consanguineo vel amico ægrotanti assistat, vel magnas inimicitias inter personas valde eminentes authoritate sua ac prudentia componat?

℟. Si Sulpitio persuasum est, præsentiam suam in dictis circumstantiis esse necessariam, non peccat per absentiam a loco Beneficii tantillo tempore. *Per Christianam charitatem,* inquit Cardinalis Toletus Instruct. saccrd. L. 5. c. 4. n. 3.

 opor-

oportet intelligere proximorum utilitatem : cum enim proximus laborat, potest, ut illi succurratur, aliqua fieri absentia . . . Potest etiam ob paces magnatum componendas abesse. Neutiquam tamen poterit Sulpitius quidpiam prætendere de distributionibus quotidianis ; cum respectu earum lex Ecclesiæ sumenda sit ad litteram. *Pontas.*

CASUS IX. Hieroymus Canonicus peregrinatus Romam & ad ædem Lauretanam per integrum annum non resedit in loco Beneficii sui. Domum reversus resedit quidem in civitate sui canonicatus ; nec tamen per anni spatium choro interfuit. Hoc non obstante percepit fructus grossos Beneficii, sexcentos florenos annuatim conficientes. Poteftne pro foro interno conscientiæ hos sibi fructus attribuere ?

℟. In foro interno absolute non potest percipere, sibique ut suos attribuere hos fructus, quidquid in foro externo desuper pronuncietur. Nullum Beneficium conceditur nisi cum onere satisfaciendi omnibus obligationibus eidem annexis, ut loquitur Bonifacius VIII. Cap. *Quia.* fin. Lib. 1. Tit. 3. in 6. Consuetudo contraria nunquam poterit excusare Hieronymum coram Deo. *Non liceat*, inquit Concilium Tridentinum Seff. 24. c. 13. de reform. *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse : salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Pontas.*

CASUS X. Theodosius Canonicus a Principe legatus missus est ad alium Principem. Poteftne citra peccatum hanc legationem obire, & simul lucrari fructus grossos sui Beneficii ?

℟. Cum hic agatur de bono publico status aut Reipublicæ, potest acceptare hoc munus ; & omnino æquum est, ut percipiat fructus grossos Beneficii. Ratio est ; quia censetur majus præstare bonum legationem digne obeundo, quam in loco Beneficii residendo & chorum frequentando : consequenter reputandus est tanquam residens, & fructibus Beneficii nequaquam privandus. *Pontas.*

CASUS XI. Hipparchus religionem solemniter professus est in quodam monasterio reformato, cui plura pinguia Beneficia incorporata sunt. Exacto a professione uno anno Capitulum ipsi concessit Prioratum simplicem mille florenorum, nullum aliud onus exigentem, quam ut hebdomadatim ibi celebrentur tres missæ privatæ. Poteftne, vel an etiam tenetur residere in loco Beneficii sui ?

℟. Ex

℞. Ex quo Hipparchus accepit titulum Beneficii, tantum abest, ut teneatur residere solus in loco Beneficii, ut id etiam prohibitum sit a Concilio generali Lateranensi tertio anni 1179. Extant quidem exempla huic statuto contraria, quæ autem sequi valde periculosum est in praxi; id quod ex pravis sequelis, quæ exinde nascebantur, abunde cognitum est. *Monachi*, inquit Concilium citatum, *nec singuli per villas & oppida per quascumque parochiales ponantur ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant; nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, Salomone dicente: Væ soli, quia cum ceciderit, non est qui sublevet eum. Pontas.*

CASUS XII. Canonici cujusdam ecclesiæ cathedralis fructus grossos percipiunt, quin integro anni spatio resideant, immemorabilem ecclesiæ suæ consuetudinem, & Pontificis ac Episcopi tolerantiam allegantes. Num bene?

℞. Tenentur Canonici absolute novem saltem mensibus per annum residere, ac divinis Officiis interesse, si fructus grossos lucrari velint, ut expresse declaravit Tridentinum. Consuetudo contraria, ubicumque viget, corruptela semper fuit, & etiamnum est, omnibus viribus abolenda. Idem dicendum de tolerantia ac conniventia Pontificis ac Episcoporum; sique ea cum veritate allegari possit, coacta est; eo quod malo mederi non possint: Prælati enim libere nec tolerant, nec tolerare possunt, quod expressissimis legibus, & piæ fundatorum intentioni adversatur. *De Lamet.*

Vide *Canonicus.*

RESIDENTIA EPISCOPORUM.

1. Episcopi ad residentiam tenentur non minus quam parochi, Canonici vel habentes Beneficia curata, aut ad eam adstricti titulo fundationis, ut unanimiter Concilia, Prælatorumque ecclesiasticorum statuta ac decreta volunt.

2. Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 1. de reform. statuit, ut Episcopus ultra duos aut tres menses per annum a diœcesi sua abesse non possit, saltem nisi longiorem absentiam exposceret causa gravis, quam legitimam ac omnino urgentem redderet charitas, necessitas, obedientia, aut evidens Ecclesiæ utilitas.

CASUS I. Nicander Episcopus in Hungaria prævidet violentam persecutionem mox excitandam. Potestne absque peccato derelinquere gregem suum durante persecutione,

& transferre integram poteſtatem ſuam in ſacerdotem, qui interea in abſentia ipſius ovibus invigilet? An vero potius coram Deo tenetur reſidere in epiſcopatu, etiam cum periculo vitæ?

℟. Epiſcopi & omnes paſtores animarum cura onerati tenetur jure divino & eccleſiaſtico ad reſidentiam ſub peccati mortalis reatu. Ita Concilium Tridentinum loco ſupra citato. Hoc ſuppoſito, ſi perſecutio, de qua agitur, ſit decreta in ipſam perſonam Epiſcopi, poteſt & debet aliorſum ſe recipere pro ſalute ovium ſuarum juxta S. Cyprianum Lib. 3. Epiſt. 5. & S. Thomam 2. 2. q. 183. art. 5. C. adhibita tamen præcautione, ut alium ſibi ſubſtituat, communicata ipſi interim ſua poteſtate. Si vero ex ipſius abſentia damnum immineret gregi, exemplum S. Marci Epiſcopi Arethuſani temporibus Juliani apoſtatæ, S. Nicaſii Epiſcopi Rhemenſis tempore Wandalorum, S. Lupi Epiſcopi Trecenſis & S. Remigii Epiſcopi Rhemenſis tempore Gallorum adhuc paganorum ipſum docere poterit, Epiſcopo vitam exponendam eſſe pro ſalute ovium. *Pontas.*

CASUS II. Erepta a Venetis Turcarum imperio arce S. Mauri in quadam inſula valde populoſa, cujus incolæ pene omnes erant Græci ſchismatici, omnesque eccleſiæ Epiſcopo pariter ſchismatico ſubditæ, Papa Hieronymum Epiſcopum conſecravit, qui incolas ad unitatem & communionem Eccleſiæ Romanæ reduceret. Paruit Hieronymus, & per anni dimidium nullo prorſus fructu reducendis ad Eccleſiæ gremium ſchismaticis inſudavit, imo etiam indigniſſimis modis ab iisdem fuit habitus: inſuper & Magiſtratus ſæculares, ut Inſulanos in obedientia Reipublicæ Venetæ continerent, prohibuerunt, ne reunionem hanc curaret ac urgeret amplius. Teneturne Hieronymus ſtantibus hisce reſidere in hac inſula in qua conſiderata habitatorum obſtinatione, nulla prorſus ſpes fructus ac reunionis apparet?

℟. Si inſulam hanc incolant etiam catholici permixti ſchismaticis, non eſt dubium, quin Hieronymus teneatur reſidere in inſula, ut illorum ſaluti invigilet. Verum in circumſtantiis poſiti caſus licite abire poterit ex inſula. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Act. 13. v. 46. *Pontas.*

RESI-

RESIDENTIA PAROCHORUM.

1. Obligatio residendi est longe major ac indispensabilior respectu parochorum, quam quorumvis aliorum; quia eorum ministerio & auxilio parochiani continuo indigent. Concilium Tridentinum hac super re sat enucleatam declarationem edidit.

2. Potest nihilominus parochus quandoque abesse a sua parochia ex legitimis causis, quae tamen rarae admodum sunt; & praeter hoc, quod debeant approbari ab Episcopo, tenetur etiam parochus durante sua absentia constituere vicarium, qui usque ad ipsius reditum functiones parochiales obeat.

CASUS I. Servius parochus quovis anno ordinarie abest a sua parochia per duos menses continuos; dum interim conversatur cum parentibus, consanguineis & amicis. Peccatne mortaliter?

℟. Cum cura pastoralis animarum, & obligatio pascendi oves, quarum directio ad parochos pertinet, sit juris divini, sequitur, quod & obligatio residendi sit juris divini. Fideles pastorali parochi curae concrediti continuam ipsius praesentiam expetunt, a quo spiritualem animarum suarum nutrimentum capiant praedicatione verbi divini & Sacramentorum administratione; prout & ipse parochus strictissimam habet obligationem eos invisendi, instruendi, exhortandi, ac infirmitatibus aliisque aerumnis pressos consolandi ac erigendi. *Quae omnia*, ut Patres Tridentini loquuntur, *nequaquam ab iis praestari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Absque dubio igitur Servius peccavit mortaliter. *Si quis parochus*, inquit Cabassutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 5. c. 1. n. 4. *sine justa causa etiam minus duobus mensibus absit, peccat mortaliter; nisi sit parvi temporis absentia, qualis possit esse quindecim aut ad summum viginti dierum . . . . modo reliquerit idoneum substitutum.* Si ergo justa, necessaria ac urgens causa parochum ad breve tempus avocet a sua parochia, idoneum relinquere tenetur vicarium, qui absentis defectum suppleat. *Pontas.*

CASUS II. Eduardus parochus processum habet judicialem summi momenti, jamjam per judicis sententiam terminandum. Potestne tuta conscientia abesse a sua parochia, ut cum judice agat, causamque suam tueatur & urgeat?

℟. Quatuor sunt causæ legitimæ, quæ possunt excusare absentiam parochi, scilicet charitas Christiana, urgens necessitas, obedientia Superiori debita, & evidens Ecclesiæ vel boni communis utilitas. Solus autem Episcopi est judicare, utrum in negotio parochi ejusmodi gravis & urgens causa subsit; & etiam approbata ab Episcopo causa absentiæ parochus tenetur substituere capacem vicarium. Eduardus ergo tenetur Episcopo exponere naturam & gravitatem processus; & si hic judicet, operæ pretium esse, ut in persona urgeat decisionem causæ, poterit Eduardus abesse, constituto tamen prius vicario. *Pontas.*

CASUS III. Rochus gradu Doctoratus insignitus obtinuit parochiam reddituum octingentorum florenorum, cujus etiam possessionem adiit. Sciens vero aliis graduatis ob prærogativam senii per integrum semestre competere privilegium sollicitandi pro eadem parochia, putat, se non obligari ad residentiam, donec certus esset, in possessione sua se non amplius turbatum iri. Poteritne se eximere a residentia superveniente seniore graduato parochiæ candidato, licet possessionem jam per sententiam judicis sibi vindicaverit?

℟. Solus pacificæ possessionis titulus Rocho jus tribuit percipiendi fructus Beneficii: jam vero fructus Beneficii non debentur Beneficiato nisi ratione servitii Beneficio præstiti. Hi igitur fructus ad ipsum legitime pertinere nequeunt, si non resideat, & parochiæ deserviat. Vindicatæ possessionis sententia vel sola ipsum obligat ad residendum; cum sic possessio ipsius authoritate judicis firmitatem nanciscatur. *Pontas.*

CASUS IV. Theotimus parochus, quem internecino odio persequitur Toparcha seu territorialis paroeciæ dominus, adeo ut vitæ ipsius jam fuerit insidiatus, poteritne ad notabile tempus discedere a parochia, ut furorem inimici sui declinet? Possetne etiam dimittere parochiam, si ob notabilem infirmitatem medici ad unum vel duos menses mutationem aëris imperarent?

℟. Rationes istæ absentiam parochi juste excusant a peccato; dummodo idoneum interea sibi substituat vicarium, neque discessus ipsius notabile damnum inferat bono spirituali parochianorum suorum. *Cum nimirum periculum imminet Episcopi vitæ*, inquit Cardinalis Toletus Instruct. Sacerd. L. 5. c. 7. *nisi discedat ab ecclesia, vel ob infirmitatem, vel ob persecutionem alicujus tyranni, vel aliqua simili causa: tunc enim potest ad tempus recedere; dummodo tamen non sequatur spirituale detrimentum gregis.* *Pontas.*

CA-

CASUS V. Amabilis parochus singulis annis per decem aut duodecim dies a sua discedit parochia, eosque sacræ impendit solitudini. Num licite?

℞. *Evidens Ecclesiæ utilitas* una est ex quatuor causis, quæ a Tridentino ut legitimæ admittuntur ad hoc, ut quis abesse possit a Beneficio curato; & ad hanc ipsam causam absque dubio referri potest annuus sacer recessus parochi: quam maxime enim interest illorum, quibus incumbit gubernatio & cura salutis fidelium, ac consequenter bonum commune totius Ecclesiæ, ut propriæ sanctificationi & perfectioni studeant, sicque se disponant ad aliorum sanctificationem majori cum efficacia juvandam ac promovendam; quod aptiori modo fieri nequit quam annuis sacris exercitiis. Ad hæc absentia decem aut duodecim dierum non est adeo notabilis, nec eam ex prædicta causa ullus improbavit Episcopus; dummodo sacræ huic recollectioni tempus consecretur, quo minus necessaria est parochianis parochi præsentia, & idoneus constituatur vicarius. *Pontas.*

CASUS VI. Antoninus parochus per unum mensem a sua abiit parochia, ne invaderetur lue pestifera violenter ibi grassante. Num peccavit, & ad restitutionem fructuum tenetur?

℞. Non potuit sine gravi peccato abire, & derelinquere parochiam suam tempore calamitatis publicæ, ac sine subsidio spirituali deserere oves sibi concreditas; teneturque ad restitutionem fructuum pro rata temporis absentiæ suæ. Edictum Blesene in Gallia omnino præcipit, ut in simili casu parochi absentis fructus occupentur, ac in reparationes ecclesiarum & in eleemosynas pauperum loci convertantur. *Pontas.* Vide *Parochus.* cas. 4.

CASUS VII. Justinianus parochus vir doctissimus a suo Episcopo fuit assumptus in Officialem aut Vicarium generalem. Poteritne retinere parochiam actu possessam, substituendo sibi vicarium parochialem idoneum, & quandoque per se ipsum invisendo parochiam; cum munus Officialis aut Vicarii generalis incompatibile esset cum administratione parochiæ?

℞. Cum parochus jure divino teneatur deservire parochiæ suæ, Justinianus non potest acceptare dignitatem ab Episcopo sibi oblatam, utpote incompatibilem cum functionibus parochialibus, & simul retinere parochiam. Persistendum igitur ipsi erit in parochia, & dignitas Officialis aut Vicarii generalis cedenda alteri, quem hisce temporibus facile invenire poterit Episcopus. *Pontas.*

RESIGNATIO.

1. *Resignatio* est voluntaria abdicatio Beneficii in manus collatoris; qui abdicationem vel potest acceptare, quo casu Beneficiatus amittit Beneficium suum; vel repudiare, & Beneficiatum obligare, ut illud retineat, si id bono Ecclesiæ magis proficuum videatur.

2. In materia beneficiaria terminus hic *resignatio* interdum accipitur pro abdicatione Beneficii *pura ac simplici*; quandoque vero pro *conditionata*, id est, facta in favorem alterius personæ: atque in hoc sensu proprie accipienda est resignatio; quamvis necdum tria præteriere sæcula, ex quibus hæc secunda resignationis species in usu est.

3. Potest quis resignare bona adhuc valetudine fruens, vel morbo detentus, imo ad extrema jam deductus. Juxta regulam Cancellariæ decimam octavam constitutam ab Innocentio VIII. si Beneficiatus morbo decumbens resignat Beneficium durante ægritudine, & moritur intra viginti dies computatione facta a die resignationis, Beneficium censetur vacare per obitum, & provisiones super tali resignatione obtentæ sunt nullæ. Verum hujus regulæ vix ullus jam est usus; cum eidem ex stilo ordinario Curiæ Romanæ per expressas clausulas fere universim derogetur, dummodo id non vergat in præjudicium eminentissimorum Cardinalium, qui juxta conpacta a Papa præveniri non possunt, sive sint soli collatores Beneficii, sive conjunctim cum aliquo Capitulo, sive sint tantummodo patroni. Nunquam interea licet celare mortem Beneficiati, aut occultare cadaver illius; & contra id attentantes criminaliter proceditur.

4. Ex alia ejusdem Cancellariæ regula, quæ dicitur *De publicandis*, quæcumque resignatio fit caduca; cum scilicet eam resignatarius publicam non fecit, & intra sex menses, si Romæ fuit provisus, & intra mensem, si fuit provisus ab Ordinario, possessionem adire non curavit, sique intra hoc temporis intervallum resignans adhuc in possessione existens decedat, Beneficium censetur vacasse per obitum. Si vero resignans adhuc vivat, resignatario conceduntur tres anni integri computatione facta a die obtentæ provisionis, quibus resignantem ex possessione dejicere poterit; usque dum autem a resignatario extra possessionem positus fuerit, resignans omnes Beneficii fructus facit suos. Post lapsum horum trium annorum resignatario nullum amplius competit jus in Beneficium, & provisio ipsius omnino est caduca; quia resignans

in

in hoc casu Beneficium censetur possidere novo titulo, triennalis videlicet possessionis juxta regulam *de Pacificis.*

5. Resignatio fieri potest per ipsum Beneficiatum in persona, vel per procuratorem. Instrumentum autem procurationis 1. debet confici a Notario ac debite insinuari. 2. Procuratio debet esse specialis, id est, continens potestatem resignandi hoc Beneficium in favorem hujus. 3. Requiritur, ut procurationem conficiens pubertatem attigerit, id est, annum ætatis decimum quartum compleverit. 4. Ut procuratio suum sortiatur effectum intra annum computandum a die, quo data est; ita ut si resignatio intra annum vi procurationis non perficiatur, procuratio censeatur caduca & revocata, & consequenter provisio primum post anni lapsum per viam hujus procurationis obtenta cedere debeat provisioni ejusdem Beneficii per obitum. 5. Procuratio semper revocari potest re adhuc integra, id est, antequam resignatio in forma debita a Romana Curia admissa fuerit. 6. Procuratio finitur per mortem constituentis vel recipientis.

6. Procurator constitui potest sive Clericus sive laicus. Ut autem sinistris eventibus obvietur, consuetudo jam invaluit procuratores constituendi omnes expeditionarios Curiæ Romanæ, ne procuratio finiatur per mortem illius, qui solus & unicus fuerit nominatus.

7. Nunquam licet uti mediis violentis ad extorquendam a Beneficiato resignationem, vel emolumentum sibi captare ex juvenili vel senili ætate resignantis. Hinc si quis needum expleto anno decimo octavo ætatis resignavit Beneficium suum sine consensu patris aut tutoris, admittitur postea revocatio, maxime si aliud Beneficium non possideat, ex quo decenter sustentari possit, excepto tamen casu, quo resignasset Beneficium incompatibile. Expleta autem illa ætate, si resignatio facta est sine dolo aut seductione, & in Curia Romana admissa, revocari non amplius potest.

8. Quando resignatio est pura & simplex, & resignans eam revocare velit, antequam a collatore admissa fuit, revocatio debet indicari ipsi collatori. Si vero est in favorem, satis est revocationem insinuare adhibito procuratori, aut eo absente ad ædes ipsius, vel ipsi resignatario, aut si hic lateat, coram Notario & duobus testibus.

9 Resignans potest ante admissam resignationem in Curia renunciare Beneficio suo in manus Ordinarii; sed in hoc casu renunciatio necessario intimanda est resignatario, ut quævis alia revocatio in debita juris forma facta.

CA-

CASUS I. Cresconius præbendam suam, quam obvenire volebat fratri suo Ruperto, resignavit in favorem in manibus Episcopi. Rationes sic agendi erant istæ; quod nimirum gravi morbo decumbens ob angustias temporis non possit mittere Romam, simulque velit evitare expensas in Curia faciendas, quas existimabat redolere simoniam, vel saltem lucrum minus justum & minus honestum. Poteftne Episcopus hanc admittere resignationem, & ea admissa eritne Rupertus canonice provisus? Foretne canonice provisus, si abesset expressa resignatio in favorem, & Episcopus solum ultro promisisset, se illi collaturum resignatam præbendam?

℟. Resignationes in favorem prohibentur solum jure ecclesiastico, in quo Papa legitime dispensare potest. Sed Episcopis non competit hæc potestas, imo ne quidem Legatis a latere. Adeoque Cresconius non potuit adire Episcopum pro recipienda resignatione in favorem fratris sui. Quodsi Episcopus admiserit resignationem, Rupertus erit male provisus, ejusque Beneficium poterit impetrari ab alio. *Pontas.*

CASUS II. Crepinianus parochus in favorem sui Vicarii resignavit ad manus Patroni, qui erat Abbas. Estne hæc resignatio canonica? Si non sit canonica, poteritne ratificari per collationem ab Episcopo concedendam vicario?

℟. Resignatio Crepiniani est vitiosa; quia non potuit fieri nisi ad manus Papæ: hujusmodi enim resignatio involvit simoniam ob interveniens pactum; hæc autem simonia juris ecclesiastici non potest tolli nisi a solo Papa, excluso omni alio Superiore. Dein omnis resignatio, etiam simplex, fieri nequit canonice ac valide nisi ad manus collatoris, & non patroni licet ecclesiastici, ut manifeste patet ex his verbis Alexandri III. scribentis ad Episcopum Tornacensem Cap. Admonet. 4. Lib. 1. Tit. 9. *Universis personis tui episcopatus sub districtione prohibeas, ne ecclesias tuæ diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes absque assensu tuo intrare audeant aut detinere, aut dimittere te inconsulto.* Ex quo sequitur, quod resignatio Crepiniani legitimari non valeat per sequentem collationem ab Episcopo obtinendam; cum hic potestatem non habeat dispensandi in pacto simoniaco, quod intervenit. Notandum tamen hic, quod, si resignatio pura & simplex, quæ communius vocatur renunciatio aut abdicatio, facta fuisset in manibus patroni ecclesiastici, posset aliquo modo legitimari per provisionem ab Episcopo concedendam ad præsentationem ejusdem patroni, ita ut, postquam resignans per factam resignationem renunciasset omni juri ad Beneficium, patronus

præ-

præsentaret ad illud, & collator, si velit, impertiret collationem ad nominationem hujus patroni. *Pontas.*

CASUS III. Amandus graviter decumbens suum resignavit Beneficium in Curia primò Januarii in favorom Manlii, & intra quindecim dies obiit. Post mortem ipsius Sempronius patronus nominavit Julianum, qui obtenta ab Episcopo collatione absque mora possessionem Beneficii arripuit. Estne valida & canonica resignatio facta Manlio, qui impetravit expeditionem suæ provisionis? Poteritne hæc ipsi legitime in controversiam vocari a Juliano?

℟. Resignatio Amandi facta in favorem Manlii nulla est; & provisio Juliani legitima. Ratio est; quia Beneficium resignatum in favorem a Beneficiato ægrotante censetur vacare per mortem, si resignans non supervivat viginti dies integros ab actu resignationis elapsos. Ita sancitum est regula decima octava Cancellariæ Romanæ *de infirmis resignantibus*. Regula hæc tria continet puncta essentialia: 1. Ut resignans actuali infirmitate correptus sit, dum procurationem ad resignandum edidit. 2. Ut resignatio jam sit perfecta, & admissa a Superiore legitimo. 3. Ut resignans mortem oppetat ex ipsa infirmitate intra viginti dies completos, numerandos non a die datæ procurationis, sed a die admissæ resignationis. Collatores ordinarii non subjacent huic regulæ respectu Beneficiorum, quæ conferuntur ad renunciationem puram ac simplicem; subjacent vero quoad permutationes. Regula isthæc æque parum procedit circa Commendas Ordinis Melitensis, quæ proprie loquendo non sunt Beneficia. *Pontas.*

CASUS IV. Cum parochia S. Leodegarii, cujus collatio pleno jure pertinet ad Episcopum diœcesanum, vacasset, Patritius extraordinario cursore Romam misso parochiæ hujus provisionem impetravit, Episcopo interea eam conferente Joanni; & ambæ hæ provisiones eodem die datæ sunt. Quinam alteri præferendus?

℟. Papa habet jus præveniendi collatores ordinarios; licet hoc jus tam amplum ac latum non sit, ut quandoque non patiatur restrictiones. Hoc supposito Patritius præferendus est Joanni; quia, dum duæ provisiones sunt eodem die datæ, provisus ab illo duorum collatorum, qui majore eminet authoritate, præferendus est alteri, provisionem suam a collatore inferiore obtinenti: supposito tamen, quod determinari non possit, utra duarum provisionum sit anterior, & quod neuter duorum provisorum Beneficii possessionem adierit: nam stante dubio alteri præferendus foret,

qui

qui prior possessionem adiit. Ita decidit Bonifacius VIII. Cap. *Si a Sede.* 31. Lib. 3. Tit. 4. in 6. *Si a Sede Apostolica vel Legato ipsius uni, & ab Ordinario alteri eodem die idem Beneficium conferatur; nec appareat, quæ collatio fuerit primo facta, erit potior conditio possidentis. Si vero neuter possideat, is, cui sedes ipsa contulit vel Legatus propter conferentis ampliorem prærogativam erit alteri præferendus* Prævention Papæ non babet locum, quando ante ipsius provisionem Ordinarius jam cœpit exercere jus suum per admissionem resignationis a Titulari factæ, vel per acceptationem præsentationis a patrono ecclesiastico oblatæ. *Pontas.*

CASUS V. Isaacus in Curia Romana obtinuit provisionem cujusdam parochiæ in forma commissoria; sed timens, non impetraturum se vidimationem a suo Diœcesano, resignat Beneficium cuidam Doctori amico suo, possessione nondum adepta. Valetne resignatio?

℟. Sunt quidam Authores, qui existimarunt, provisiones *in forma dignum*, id est, in forma commissoria esse merum mandatum *de providendo*, quod Papa ad Episcopum dirigit, cujus vidimatio dein veram provisionem constituat. Verum hæc opinio certe falsa est, & insigniores Canonistæ docent, ejusmodi provisiones esse veras, reales & actuales, ita ut hoc modo provisus in Curia Romana possit resignare tertio, etiam *nondum adepta possessione*; idque, etsi sic resignans censeretur indignus, ut ab Episcopo vidimationem recipiat. Isaacus itaque valide potuit resignare amico suo, etsi necdum Beneficii possessionem adierit, & vidimationem ab Episcopo obtinuerit. *Pontas.*

CASUS VI. Bernardus parochus resignare cogitat Benedicto amico suo; sed sciens, ipsum jam pluries prolapsum fuisse in occulta peccata incontinentiæ, hæret anxius, utrum salva conscientia facere possit hanc resignationem. Estne rationabilis hæc Bernardi anxietas?

℟. Si certus est de sincera conversione & emendatione Benedicti, simulque persuasus, hunc amicum suum præ alio digniorem esse hoc Beneficio, idque exigere utilitatem Ecclesiæ, poterit ipsi resignare cum plenissima securitate conscientiæ. *Pontas.*

NOTA. Si occulta illa peccata consisterent in frequentatis actibus lascivis cum altero sexu, vel cum pueris, Bernardus non posset absque gravissimo peccato mortali resignare Benedicto; quia tales vix unquam in iisdem occasionibus stabiliter emendantur.

CA-

CASUS VII, Tharrasius parochus ruralis periculose decumbit, & Genutius medicus, qui solus in tota illa vicinia reperiri potuit, eum vehementer urget, ut parochiam Gulberto filio suo resignet; cumque difficilem se præberet ad ejus sollicitationes, medicus absque ambagibus ipsi significat, nullam se posthac ipsius curam habiturum, nec amplius ad eum invisurum, si hanc sibi gratiam sit negaturus. Resignat Tharrasius, attamen cum spe & animo revocandi resignationem, si pristinæ reddendus sit valetudini. Moritur autem, & Guibertus capit possessionem parochiæ. Valetne hæc resignatio? An Guibertus tuta conscientia potest retinere hoc Beneficium?

℞. Resignatio, cui intervenit dolus, violentia vel metus gravis, nec canonica est, nec valida. Guibertus igitur est male provisus; & si adhuc viveret Tharrasius, teneretur ille in conscientia ipsi reddere parochiam. Cum vero Tharrasius obierit, parochiæ renunciari debet in manus legitimi Superioris. Id ipsum etiam locum habet in resignationibus factis per fraudem resignatarii vel cujusvis alterius; sed tunc solummodo, quando fraus est vera causa resignationis. *Pontas.*

CASUS VIII. Theodulus Carolo resignavit suum Prioratum die 1. Februarii; antequam autem resignatio fuisset admissa in Curia, revocavit eam die nono ejusdem mensis & anni per instrumentum publicum debitis formalitatibus vestitum. Verum post biennium tradit Carolo actum originalem revocationis, consentitque, ut capiat possessionem Beneficii vi provisionum ex Curia obtentarum post tres a facta resignatione septimanas. Carolus combusto in præsentia pedelli instrumento revocationis possessionem Prioratus servata omni juris forma aggreditur. Estne legitime provisus? Et si invalida sit ipsius provisio, poteritne fieri valida per triennalem pacificam possessionem?

℞. Carolus non est legitime provisus; cum Theodulus non amiserit suum Beneficium per resignationem, utpote in tempore adhuc revocatam: sicut enim nemo authoritate privata se ipsum in Beneficio potest instituere, ita nec eo se abdicare potest sine consensu sui Superioris. Nec triennalis pacifica possessio provisionem hujusmodi revalidare potest; quia regula Cancellariæ Romanæ de triennali possessione tunc dumtaxat locum habet, cum possessor habet titulum saltem coloratum; Carolus autem omni prorsus titulo destitutus est. *Pontas.*

CA-

CASUS IX. Josephus die primo Octobris anno 1709. Gabrieli dedit procurationem suam ad resignandum Prioratum, quo ipsi gratificari volebat. Gabriel officiositatis ergo erga benefactorem distulit tradere procurationem istam procuratori expeditionario adCuriam usque ad diem secundum Octobris anni 1710. ita ut resignatio non nisi die vigesimo tertio ejusdem mensis fuerit admissa. Estne valida ?

℟. Provisiones Gabrielis nullæ sunt ; quia procuratio a Josepho facta ex lapsu temporis vitium caducitatis contraxit. *Pontas.*

CASUS X. Ovidius parochiam suam resignavit Norberto; & resignatio fuit admissa Romæ die 2. Januarii anno 1708. obiitque resignans die 3. Julii ejusdem anni. Altero mox ab ejus obitu die possessionem Beneficii apprehendit Norbertus. At vero Episcopus providit Theogenem, qui in possessionem intravit octiduo post Norbertum. Estne legitima provisio Theogenis ?

℟. Cum provisio Norberti facta fuerit caduca, eo quod non fuerit publicata per apprehensionem possessionis, pro qua conceduntur sex menses respectu provisionum a Papa factarum, & unus mensis respectu provisionum episcopalium, sequitur, provisionem Theogenis esse canonicam & legitimam, vi regulæ Cancellariæ Romanæ *de publicandis resignationibus.* Observandum autem 1. Id locum non habere, si resignatarius ob impedimentum legitimum possessionem capere non potuisset. 2. Prædictos sex menses currere a die admissæ in Curia Romana resignationis , & non a die præstiti a resignante vel procuratore ipsius consensus in resignationem. 3. Extra casum , quod resignans obierit, resignatarium uti posse sua provisione & capere possessionem Beneficii sibi resignati tribus annis , hoc autem tempore elapso provisionem fieri nullam ; eoquod hæc resignatarii negligentia habeatur pro tacita renunciatione provisionis. 4. Et in hoc casu non posse a resignante idem Beneficium secunda vice resignari eidem resignatario, ut constat ex decreto Urbani VIII. *Pontas.*

CASUS XI. Papinius Prior Romam misit procurationem suam ad resignandum in favorem Galli nepotis. Cursor in Urbem advenit decimo Octobris, Datumque ejusdem diei fuit retentum. Interea moritur Papa ante expeditionem provissionum. Sufficitne hoc Datum, ut possit expediri provisio hujus Beneficii a Pontifice defuncti successore ?

℟. Datum illius diei, quo cursor Romam venit, semper manet validum, etiamsi eodem, vel sequenti mox die Papa moria-

moriatur. Consequenter nil impedit, quo minus provisiones Galli stantibus hisce expediri possint. *Pontas.*

CASUS XII. Philemon morbo correptus resignavit Laurentio in Curia Romana possessum a se Capellam simplicem. pristinæ valetudini reddito Philemone Laurentius uti neglexit facta resignatione, & provisionem sibi procurare. Post quadriennium denuo gravis ægritudo invaserat Philemonem, qui secunda vice resignat nulla facta mentione prioris resignationis, & post mensem moritur, quin ullam harum resignationum revocasset. Laurentius postmodum possessionem arripiens estne canonice provisus?

℟. Secunda resignatio nulla est; adeoque Laurentius non est canonice provisus. Idem Beneficium non potest valide secunda vice resignari, si prima resignatio non fuit revocata: sic enim Beneficia redderentur hæreditaria, quod sacris Canonibus adversatur. *Pontas.*

CASUS XIII. Nemesius resignavit Leontio parochiam suam in Curia; mutata autem postmodum mente, septiduo vel octiduo post abitum cursoris eidem pure ac simpliciter renunciavit in manus Episcopi, qui provisionem concessit Antonio, mox capienti possessionem Beneficii. Post duos menses Leontius receptis provisionibus Papalibus petit ab Episcopo literas vidimatorias, quas hic negavit, Metropolitanus autem absque ulla difficultate concessit. Leontius igitur capturus possessionem impeditur ab Antonio. Cujusnam provisio est legitima?

℟. Solus Leontius est legitime provisus: cum enim Nemesius vere resignaverit, provisio Leontii est valida, nec potest infirmari per posteriorem renunciationem Episcopo factam, sed solum per revocationem in tempore factam, & debito modo insinuatam. *Pontas.*

CASUS XIV. Andronicus Prior propter crimen aliquod capitale amisit suum Beneficium, eo privatus per sententiam declaratoriam judicis. Appellat autem ab hac sententia, & Prioratum suum resignat in Curia Ambrosio nepoti suo. Valetne resignatio?

℟. Si crimen non sit de genere eorum, quæ vacaturam Beneficiorum inducunt ipso facto, Andronicus interposita appellatione a sententia condemnatoria, qua privabatur Beneficio, valide illud resignare potuit. Crimina autem, per quæ vacat Beneficium ipso facto, sunt crimen læsæ majestatis, parricidium, hæresis, assassinatus, & non nulla alia. *Pontas.*

CASUS XV. Justinus Canonicus præbendam suam resignavit Joanni filio, quem ante suam ordinationem susceperat ex matrimonio legitimo. Estne valida & canonica resignatio?

℟. Juxta sacros Canones pater non potest resignare Beneficium suum filio, ne Beneficia fiant hæreditaria; quapropter Justini resignatio nec valida est nec canonica. Multo adhuc rigorosiores sunt Canones respectu filiorum illegitimorum. Juxta plerosque Canonistas ne quidem nepos potest possidere Beneficium prius possessum ab avo suo. *Pontas.*

CASUS XVI. Flavius Prior vult resignare Beneficium suum patri suo, qui defuncta uxore statum clericalem amplexus est. Potestne id fieri canonice?

℟. Non reperitur Canon, qui ejusmodi resignationem prohibeat; quod sufficit, ut pro canonica admitti possit. Aliunde ejusmodi resignationi imputari non potest, ac si foveret successionem hæreditariam in Beneficiis; quia parentes non nisi sub aliqua ratione succedunt liberis suis, idque contra ordinarium rerum cursum, & votum suum, quo liberos suos sibi superstites ac bonorum paternorum hæredes cupiunt. *Pontas.*

CASUS XVII. Capistranus gravi infirmitate correptus resignat Beneficium suum Joanni fratri suo cum pacto regrediendi in Beneficium, si denuo convaluerit. An non commisit confidentiam?

℟. Tam resignans quam resignatarius confidentiæ se reos constituerunt. Resignans vi primæ suæ provisionis non potest regredi in Beneficium, postquam per triennium ejusdem titulum cesserat resignatario, nec disponere de redditibus Beneficii; sed tenetur eos restituere pauperibus, vel ecclesiæ sui tituli. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Titius facit resignationem clandestinam Beneficii cujusdam, ut duorum, quæ sunt inter se incompatibilia, possit percipere redditus. Num peccat?

℟. Resignatio hæc criminosa est, & non absque ratione suspecta de confidentia. Alterum horum Beneficiorum tempore optionis elapso titulo devoluti ab alio impetrari potest. *Fromageau.*

CASUS XIX. Alanus Clericus sacerdos falso de variis criminibus accusatus per litteras Principis exulare jubetur, nec obtinere potest sententiam definitivam in causa sua; eo quod pars diversa valde potens eum spoliare intendat duobus Beneficiis, quæ legitime possidet. Poteritne iisdem renunciare per resignationem, ut ab injusta vexa sese liberet?

℟. Po-

℟. Poteſt quidem reſignare, nullatenus autem ſubſcribere poterit absque peccato contractui ſimoniaco, qui ipſi proponi poſſet ut medium ab ulterioribus perſecutionibus & iniqua vexa immunem ſe præſtandi. Judices, qui ipſius innocentiam declarare recuſant, graviſſime coram Deo rei ſunt; teneanturque de omnibus damnis ex ſua deſidia in Alanum redundantibus, & deinceps redundaturis. *Fromageau.*

CASUS XX. Solmius parochus, qui per annos viginti Beneficio ſuo cum laude deſervierat, illud reſignare cogitat ſub reſervata ſibi moderata penſione; etſi bona patrimonialia habeat, ex quibus decenter ſuſtentari poſſit. Poteſtne tuta conſcientia hoc modo reſignare?

℟. Cum Beneficium ultra quindecim annos adminiſtraverit, poteſt reſignare ſub conditione præſtandæ ſibi penſionis; licet ex bonis patrimonialibus commode vivere poſſit. *Fromageau.*

CASUS XXI. Julianus nepos Bruti Canonici cathedralis, quem ſubita apoplexia omni ſenſuum uſu deſtituerat, fingit variis artibus, reſignationem præbendæ a Bruto ſibi factam, & exhibet Epiſcopo falſitatis conſcio proviſionem Beneficii in Curia Romana obtentam. Poteſtne Epiſcopus ipſi concedere vidimatorias ad capiendam poſſeſſionem?

℟. Abſolute tenetur Epiſcopus Julianum repellere, & Clericum a ſe proviſum in poſſeſſionem Beneficii immittere. Et ſi forte Julianus authoritate civili ſuffultus tentaret ſeſe indrudere, Epiſcopus cum toto Capitulo deberet ſe opponere. Ipſe Julianus in conſcientia tenetur abſtinere ab omni lite intentanda proviſo ab Epiſcopo, nec ſacramentaliter abſolvi poteſt, quamdiu judicio cum eodem contendit. Nullus advocatus, cui de facti veritate conſtat, poteſt ſalva conſcientia tueri cauſam Juliani; & ſi hic ipſius patrocinio ac directione injuſtam cauſam ſuam evicerit, advocatus tenebitur ad omnes expenſas & damna parti innocenti illata. Idem dicendum de illis omnibus, qui cognita rei veritate intruſo Juliano cooperarentur ad adipiſcendam præbendam. *De Lamet.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Parochia. Permutatio. Proviſio. Simonia.*

RESTITUTIO.

I. Juxta D. Thomam reſtituere idem eſt ac reddere alicui poſſeſſionem & fruitionem rerum, quæ ipſius ſunt, & tamen non poſſidebat. *Reſtitutio* igitur eſt actus juſtitiæ commuta-

mutativæ, quo cuique redditur, quod suum est, sive id ab alio possessum fuerit contra voluntatem veri domini, ut in casu furti, sive cum consensu illius, ut fit in mutuo & deposito. Verum quia simplex ac nuda restitutio non semper securam reddit conscientiam, cum & damna reparanda sint per injustam privationem rei alteri illata, Theologi definiunt restitutionem, quod sit *rei acceptæ redditio* vel *damni illati compensatio*.

2. Restitutio est de necessitate salutis; poteftque hoc præceptum considerari ut *affirmativum*, inquantum præcipit redditionem rei detentæ, & ut *negativum*, quatenus prohibet retentionem rei inscio ac invito domino.

3. Qui peccavit contra justitiam erga proximum, semper tenetur ad restitutionem. Si plures sint complices furti, vel cujuscumque actionis contra justitiam, ad restitutionem omnes tenentur in solidum.

4. Injustus detentor rei alienæ primus obligatur ad restitutionem, & post hunc omnes ii, qui sese participes reddiderunt damni ac injustitiæ alteri illatæ, sive id factum fuerit jussione, sive consilio, sive alia quacumque demum cooperatione. Dum res restituenda non amplius extat in natura, ejusdem valor restitui debet. Restitutio facienda est sine dilatione, & quamprimum fieri potest, nisi obstet causa justa ac maximi momenti. Si nesciatur, cuinam facienda sit restitutio, ea fieri debet pauperibus vel in alias pias causas, posito quod nulla amplius supersit spes detegendi dominum rei.

5. Datur obligatio non solum restituendi injuste retenta, verum etiam resarciendi omnia damna, quæ proprietarius ex injusta retentione passus, aut imposterum passurus est. Sic si Joannes Jacobo opifici abstulit instrumenta artis necessaria ad opus, eumque hoc modo in eum statum conjecit, ut per mensem non potuerit lucrari sustentationem suam, Joannes non solum tenetur Jacobo restituere instrumenta artis, sed etiam omne lucrum, quod intra hoc tempus facere potuisset, si instrumenta necessaria ad manum fuissent.

6. Eadem obligatio datur reparandi bona famæ injuste proximo ablata per calumniam, mendacium, detractionem, maledicentiam, aut alio quovis injusto modo.

7. Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700. damnavit sequentes propositiones circa hanc materiam. PROPOSITIO I. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* CENSURA: *Propositio hæc falsa est, perniciosa,*

ciosa, approbans furta etiam insignia. PROPOSITIO II. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* PROPOSITIO III. *Licet aliquis, cui donatio quædam facta est, certo sciat, eam sibi factam esse studiose, animo frustrandi ac fraudandi creditores, non tamen tenetur ad restitutionem; nisi ipsius suasu facta fuerit donatio, vel nisi alio quovis modo ad eam induxerit donantem.* CENSURA: *Propositiones istæ falsæ sunt, temerariæ, faventes furtis & fraudibus, ac justitiæ legibus contrariæ.*

8. Ex omnibus obligationibus, quæ Christianos stringunt, quasque lex divina iisdem imponit, obligatio restitutionis fors minus cæteris omnibus observatur; & tamen hujus neglectus omnium maximum salutis æternæ est obstaculum.

CASUS I. Romulus equum vendidit Servio, quem tamen non statim tradidit. Interea ex culpa venditoris mali quid accidit equo, ex quo valor ejusdem plurimum diminutus est; vel periit casu fortuito; vel authoritate judicis interceptus ac fisco adjudicatus est. Teneturne venditor indemnem servare emptorem in primo casu, si illius culpa tantum levis est? Teneturne etiam in secundo ac tertio casu?

9. In primo casu Romulus in conscientia tenetur indemnem servare Servium: nam regulariter loquendo venditor tenetur ad reparationem damni rei venditæ supervenientis sive ex culpa lata, sive ex culpa levi *Custodiam autem venditor talem præstare debet*, **ait L. *Custodiam.* ff. Lib. 18. Tit. 6.** *quam præstant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet.* **In secundo casu Romulus ad idem tenetur, si equus sub conditione fuit venditus, & casus fortuitus evenit ante adimpletionem conditionis; quia contractus sub conditione de futuro initus manet in suspenso, & non censetur omnino consummatus, nisi post impletam conditionem. Idem dicendum quoad tertium si scilicet equus ante traditionem confiscaretur. Observandum hic, quod si res venditæ sunt ejusmodi naturæ, ut non nisi secundum numerum, pondus & mensuram vendantur, & summatim venderentur sine numeratione, ponderatione & mensuratione pro summa determinata; tunc solus emptor teneretur de casibus fortuitis evenientibus, antequam res ponderatæ, numeratæ & mensuratæ fuerint. Verum si res ab emptore ac venditore sunt mensuratæ, ponderatæ ac numeratæ, & non fuerint emptæ summatim, sed quoad libras, mensuras, aut determinatum numerum, venditor tenetur**

de casibus fortuitis, quibus res perirent, aut deteriorarentur *Pontas*.

CASUS II. Hubertus emit a Marco decem vini dolia cum pacto expresso solvendi pretium post mensem, numeratis pro quolibet dolio 75. florenis. Jam Marcus persolvendam ab Huberto pecuniæ summam condicto tempore se fore acceptaturum ratus, alium emptionis contractum iniit; sed cum Hubertus suæ promissioni defuerit, eum perficere non potuit, sicque damnum passus est 500. florenorum, quos lucrari potuisset, si solvisset Hubertus. Teneturne Hubertus Marco reparare damnum mora solutionis illatum?

℟. Juxta legem *Venditor.* fin. ff. Lib. 18. tit. 6. Hubertus duntaxat obligatur ad solvendum pretium empti vini, & in rigore ad legitimum interesse hujus summæ, non vero ad damnum per dilationem solutionis illatum. *Pontas*.

Vide *Emptio*. cas. 1.

CASUS III. Ogierius negotiator in portu marino Paulo mercatori extraneo commendat Lucianum mercatorem Gallum, tantumque suasionibus suis effecit, ut Paulus credito & necdum numerata pecunia merces suas vendiderit Luciano, quem vel maxime solvendo esse affirmabat Ogierius. Tribus autem abhinc mensibus Lucianus omnia decoxit, ut Paulo de rebus venditis nihil prorsus remanserit. Teneturne Ogierius Paulo ad reparationem hujus damni?

℟. Si Ogerius non commisit ullam culpam, quæ ipsi possit ac debeat imputari, juxta leg. *Si Proxeneta*. 2. ff. Lib. 50 Tit. 14 non tenetur ad reparationem damni. *Pontas*.

CASUS IV. Epiphanius bona fide possidet prædium jure hæreditario sibi relictum a Balduino malæ fidei possessore. An bona fides eximit illum saltem a restitutione fructuum, quos verus proprietarius prætendit una cum fundo, maxime si fructus illi non nisi per multum laborem ac industriam percepti fuerunt?

℟. Hæredes possessorum malæ fidei tenentur ad eandem restitutionem, ad quam tenentur ii, quibus succedunt; quia hos repræsentant, eorumque locum ac vices occupant, juxta Leg. *Litigator*. 2. Cod. Lib. 7. Tit. 51 & Leg. *Vitia*. 11. ibid. Tit 32. Adeoque bona fides non liberat Epiphanium ab obligatione restituendi fructus perceptos; deductis tamen antea sumptibus ac expensis legitimis. Quod hic dicitur de rebus immobilibus, extendendum quoque est ad res mobiles fructificantes, ut sunt quædam animantia, v. g. equi, vaccæ, verveces; imo & alia, quæ in commercium

cium veniunt, ut supellectilia omnis generis, quæ elocari solent. *Pontas.*

CASUS V. Bertulfus per quatuor annos possedit jugerum vineæ, cujus etiam fructus percepit; per sententiam judicis autem ex ejusdem possessione deiicitur a Raymundo vero proprietario. Teneturne Bertulfus ad restitutionem fructuum, etsi ad eam non fuerit condemnatus a judice?

℟. Si toto illo tempore possedit bona fide, non tenetur ad restitutionem fructuum. Si vero mala fide possedit jugerum vineæ, tenetur restituere omnes fructus, vel valorem eorum; idque legi positivæ ac juri naturali conforme est. *Pontas.*

CASUS VI. Hermannus emit domum, quam credidit esse venditoris, eamque bona fide possedit per biennium. At vero mota postmodum desuper lite, eaque ad annum extensa, possessione expulsus est, salvo jure recursus contra venditorem. Teneturne ad restituendum pretium locationis tertio hoc anno perceptum?

℟. Tenetur omnino, & quidem a die litis contestatæ. Quilibet æquus judex tenetur ad hoc ipsum condemnare juxta Leg. *Litigator.* 2. Cod. Lib. 7. Tit. 51. *Pontas.*

CASUS VII. Aubertus & Jacobus hæredes sunt Arnoldi. Auberto decem abhinc annis peregre ad Indias profecto Jacobus sese immisit in possessionem totius hæreditatis, quam per biennium bona fide tenuit persuasissimus, Aubertum jam e vivis excessisse. At ecce! comparet Aubertus ex Indiis reversus, petens portionem hæreditatis suæ cum fructibus interea ex eadem perceptis. Teneturne Jacobus tanquam bonæ fidei possessor ad restitutionem fructuum?

℟. Lex *Cohæredibus.* 17. Cod. Lib. 3. Tit. 36. ipsum obligat ad hanc restitutionem: *Cohæredibus*, inquit, *divisionem inter se facientibus, juri absentis & ignorantis minime derogari, ac pro indiviso portionem eam, quæ initio ipsius fuit, in omnibus communibus rebus eum retinere certissimum est. Unde portionem tuam cum redditibus arbitrio familiæ erciscundæ percipere potes, ex facta inter cohæredes divisione nullum præjudicium timens.* Certum tamen est, quod in hoc & omnibus ejusmodi casibus deduci possint expensæ necessariæ in rem factæ. *Pontas.*

CASUS VIII. Aspasius bona fide possedit per quadriennium quatuor agri jugera titulo donationis sibi factæ; sed Romanus intentata ipsi desuper actione judiciali ipso tempore messis, dum jam dimidia segetum pars demessa erat,

eum ex possessione dejecit. Teneturne ad restitutionem fructuum eo anno perceptorum?

℟. Aspasius tenetur restituere una cum agro fructus necdum demessos tempore intentatæ actionis, ut constat ex Leg. *Si fructuarius*. 13. Lib. 7. Tit. 4. *Pontas*.

CASUS IX. Alcuinus a duobus vel tribus annis bona fide possidet duo jugera agrorum, quatuor jugera silvæ cæduæ, & sex vaccas, quæ omnia ad Theogenem pertinent, ut uno abhinc mense certo compererat. Teneturne in foro conscientiæ etiam fructus ŕestituere toto possessionis tempore perceptos?

℟. Dantur fructus *naturales*, quos fundus ex se ipso producit absque cultura aut humana industria, ut sunt silvæ, pascua, inhospita tesqua &c. Item poma, pira, glandes, aliique fructus, qui ultro decidunt ex arboribus camporum vel viridariorum, nec aliam operam requirunt præter eam, quæ in iis colligendis ac percipiendis insumitur. Alii fructus dicuntur *industriales*, ut frumentum, vinum, lac & lana pecorum &c. quia hujusmodi fructus non producuntur, nisi terra magna cum industria colatur, & animalia in stabulo custodiantur, nutriantur, & conserventur. Qui possidet fructus naturales absque ullo titulo, vel ex titulo gratuito v. g. donationis, non aquirit eorum dominium per simplicem possessionem; qui vero eosdem possidet cum titulo oneroso, v. g. perceptos ex fundo empto, aquirit proprietatem eorum, quamdiu possessor est bonæ fidei; cessante autem bona fide, non potest fructus facere suos, quia eorum amittit dominium. His præsuppositis, si Alcuinus res in casu recensitas possidet absque titulo, non aquisivit dominium silvæ cæduæ; quia ejusmodi fructus sunt mere naturales. Si vero titulo emptionis possidet, aquisivit verum dominium. Si tamen bona fides cessasset ante perceptionem fructuum ex silva cædua, teneretur fructus hosce una cum fundo restituere Theogeni: juxta legem enim *fructus pendentes pars fundi videntur*. Quod attinet ad reliquos fructus, scilicet industriales, si adhuc extent in natura, & Alcuinus eos bona fide non possederit per integrum triennium, tutius ac probabilius dicitur, eum absolutum ac irrevocabile dominium nunquam æquisivisse, tenerique ad restitutionem fructuum ab eo tempore, quo bona fides cessavit. Posito autem, quod fructus jam jam consumpsisset, teneretur saltem restituere id, ex quo factus est locupletior. Id probari potest ex lege, *Certum est*. 22. Cod. Lib. 3. Tit. 32. ubi discrimen inter malæ ac bonæ fidei possessorem in eo ponitur; quod ille teneatur restituere

tuere omnes fructus, consumptos & non consumptos; hic vero solum extantes adhuc: *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solvere cum ipsa re præstare, bonæ fidei vero extantes: post litis autem contestationem universos.* Idem decidit Justinian. §. *Si quis.* 35. Instit. Lib. 2. Tit. 1. dum ait, fructus a bonæ fidei possessore ex fundo empto, vel titulo donationis possesso perceptos ad ipsum pertinere ratione curæ & industriæ in ejus cultura impensæ; & consequenter verum fundi dominum, si innotescat, non posse ab hoc possessore exigere restitutionem fructuum consumptorum: *De fructibus ab eo consumptis agere non potest,* Ex quo inferendum est, quod, si hic possessor habeat fructus necdum consumptos, illos teneatur restituere: nam, cum Imperator lege hac solum exceperit fructus consumptos, tacite innuit, idem non esse de exstantibus. *Pontas.*

CASUS X. Bertrandus bona fide per duos annos & dimidium possedit viginti jugera silvæ cæduæ una cum stagno ad Barnabam pertinentia, qui convincenter probato jure proprietatis in utriusque possessionem immissus est. Bertrandus autem optima usus œconomia ex hisce possessionibus lucrum sexcentorum florenorum retulit, quibus in proficuum commercium exposito denuo lucratus est ducentos florenos. Teneturne Bertrandus etiam ducentos hosce florenos Barnabæ restituere?

℟. Non tenetur; quia lucrum ducentorum florenorum unice ex illius industria provenit, & non ex fundo possesso; nec potest considerari proprie tanquam fructus sexcentorum florenorum; quia juxta doctrinam S. Thomæ pecunia ex sua natura sterilis est. Id ipsum dicendum foret etiam in casu, quo Bertrandus fuisset possessor malæ fidei. Et hinc non datur obligatio restituendi ducentos florenos. *Pontas.*

CASUS XI. Sempronius nauta ducebat navem pretiosis onustam mercibus ad Nicolaum pertinentibus, quas inter erat sacculus impolitis adamantibus refertus; & hunc abstulit Sempronius animo sibi retinendi. Accidit autem, ut exorta post biduum violenta tempestate navis periclitaretur, prout & postea submersa est. Hoc in discrimine Sempronius sacculum tenens in undas prosiliit; quem autem, ut se ipsum salvaret, dimittere coactus est. Teneturne restituere valorem adamantum?

℟. Cum Sempronius non fuerit causa jacturæ sacculi, qui cum navi periisset, etiamsi illum non surripuisset, & in navi reliquisset, non tenetur restituere valorem adamantum.

Confirmari poteſt hæc reſponſio ex Leg. *Si vehenda.* 10. §. 1. ff. Lib. 14. Tit 2. *Cum ea conditione navem conduxiſti, ut ea merces tuæ portarentur, easque merces nulla nauta neceſſitate coactus in navem deteriorem, cum id ſciret te fieri nolle, tranſtulit, & merces tuæ cum ea nave perierunt, in qua noviſſime vectæ ſunt, habes ex conducto cum priore nauta actionem. Imo contra, ſi modo ea navigatione utraque navis periit, cum id ſine dolo & culpa nautarum factum eſſet. Pontas.*

Nota. Sempronius poterat & debebat ſacculum firmare ad parietem aut fundum navis, ut facto naufragio potuiſſet ſalvari in tabula fractæ navis, vel per urinatores aut piſcatores recuperari. Itaque tenetur ad reſtitutionem damni ex æquo juxta valorem ſpei. Certe Sempronius coram Deo graviſſimi contra ſeptimum præceptum peccati reus eſt tam ob actuale furtum, quam ob pravum deſiderium uſurpandi ſibi rem alienam, ſi non periiſſet; id quod homines plebeji multoties non advertunt, &, ſi per actuale furtum grave proximo damnum non intulerunt, eo quod inviti ab executione operis, quorumque demum modo, impediti fuerint, prava furandi deſideria etiam efficaciſſima raro confitentur.

CASUS XII. Marinus per quinquennium mala fide poſſedit quatuor jugera vineæ jure proprietatis ad Honorium pertinentis. Cum autem vineam hanc peſſime cultam reperiſſet, melioravit eam. Quæritur, an reſtituturus vineam teneatur reſtituere omnes fructus poſt meliorationem perceptos, vel ſolum eos, quos collegiſſet, ſi non fuiſſet moliorata.

℟. Non ſolum pro conſcientia tutius, ſed etiam probabilius dicendum videtur, quod Marinus omnes fructus indiſcriminatim teneatur reſtituere, non obſtante melioratione: hæc enim eſt annexa fundo ad Honorium verum dominum pertinenti, ejusque inſeparabilem partem conſtituit; ad hæc ipſe Honorius has meliorationes facere potuiſſet, & fors magis proficuas. Hæc reſponſio manifeſte eruitur ex Leg. *Domum.* 5. Cod. Lib. 3. Tit. 32. ubi habetur: *Malæ fidei poſſeſſores, ejus, quod in rem alienam impendunt, non eorum negotium gerentes, quorum res eſt, nullam habeant repetitionem, niſi neceſſarios ſumptus fecerint. Sin autem utiles, licentia eis permittitur, ſine læſione prioris ſtatus rei eos auferre. Pontas.*

CASUS XIII. Nebridius mala fide, per dolum ſcilicet, vim, aut fraudulentam emptionem poſſidet jugerum agri aut vineæ ad Juſtinum pertinentis. Elapſo triennio confitetur, promittitque confeſſario reſtitutionem jugeri, qui cum vellet etiam reſtitutionem fructuum, quos Juſtinus per iſtud triennium percipere potuiſſet, renuit Nebridius dicens, ſe fructus non percepiſſe; eo quod fundum hunc incultum reliquiſſet.

quisset. Eximitne hæc ratio ab obligatione restituendi fructus?

℟. Huic Nebridii excusationi a confessario aquiescendum non est. *Generaliter autem*, dicitur Leg. *Si navis.* 62 ff. Lib. 6. Tit. 1. *cum de fructibus æstimandis quæritur, constat animadverti debere, non an malæ fidei possessor fruiturus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset.* Tenetur igitur Nebridius restituere omnes fructus, quos Justinus deductis expensis percipere potuisset, si fundum in possessione sua habuisset. Attamen diffitendum non est, quod, si certum videatur, Justinum nullo fruiturum fuisse emolumento ex ita constituto fundo, Nebridius tantum obligari possit ad restitutionem fructuum perceptorum, quantumvis fuerint exigui, non vero illorum omnium, quos adhibita majori diligentia potuisset colligere. *Pontas.*

Nota. Cum leges positivæ, præsertim civiles, ibi solum disponant, ubi lex naturalis clara deficit, vel obscura & dubia est, ac proin solum pro foro externo directe ac immediate scriptæ sint; imo defacto vix in ullo regno amplius scrupulose observentur etiam in foro externo, dicendum videtur, nec pœnitentes iis ligari ante sententiam judicis. Confessariis autem serviunt directive ad ponendam pœnitenti nomine Dei conditionem vel legem pro obtinenda peccatorum venia, attemperatam tamen semper ad latitudinem Christianæ æquitatis & charitatis. Notam hanc per decursum totius hujus articuli præ oculis habendam esse censeo.

CASUS XIV. Guiraudus parochus senio jam confectus pure ac simpliciter renunciavit parochiæ suæ, & successorem habuit Fulcrandum ab Episcopo provisum. Guiraudus in eadem parochia remanens non solum animos parochianorum a Fulcrando avertit, sed etiam præfectos ecclesiæ induxit ad intentandam ipsi litem sub falso prætextu, quod solutionem triginta florenorum a curatore ecclesiæ haud diu abhinc mortuo exegerit ac obtinuerit ultra id, quod debebatur ipsi ex fabrica. Unus insuper præfectorum accepit ab illustri matrona triginta florenos hac conditione fabricæ ecclesiæ oblatos, ut a lite desisteretur, & scandalum in parochia tolleretur, quod tamen factum non est. Tenenturne ecclesiæ præfecti & Guiraudus restituere Fulcrando factas in sui defensionem expensas, damnumque ipsi illatum compensare? An etiam præfectus ecclesiæ tenetur matronæ restituere donatos ecclesia triginta florenos?

℟. Graviter peccavit Guiraudus suo hoc agendi modo, utpote contrario justitiæ & charitati, & una cum præfectis ecclesiæ in solidum tenetur, ac quivis eorum cæteris non

solven

solventibus obligatur Fulcrando ad restitutionem omnium expensarum, & ad compensationem totius damni illati; quæ tamen obligatio primario incumbit præfectis ecclesiæ; & quidem non impensis fabricæ, sed ex propriis eorum sumptibus facienda est hæc restitutio: non enim justum est, ut ecclesiæ redditus impendantur ad exsatiandas passiones eorum, qui tanquam boni œconomi eosdem administrare debent eadem sollicitudine, justitia ac fidelitate, qua redditus proprios administrent. Etiam triginta floreni ecclesiæ donati restitui debent a præfecto; quia conditio, sub qua fuerunt donati & accepti, adimpleta non fuit *Pontas.*

CASUS XV. Jam ante viginti annos Matthæus mutuam Rogerio dedit summam 10000. florenorum, quibus nimirum omnis ipsius res familiaris constabat. Rogerius se obligavit ad solvendum quotannis censum quingentorum florenorum, quos etiam Matthæus singulis annis recepit, minime dubitans, dictam summam se recipere posse; cum & alii spectatæ probitatis viri similem ex mutuo data pecunia sua recipiant censum, ac insuper aliunde non habeat, quo vitam sustentet. Verum cum a suo confessario percepisset, se teneri renunciare toti summæ principali, utpote per viginti annos jam sibi per census annuos solutæ, quærit, an ab ista obligatione non eximatur legitime, cum per hanc renunciationem extremam incurreret paupertatem?

℞. Si in proposito casu Matthæus dictam summam bona fide mutuam dederit, ac annuos census bona quoque fide receperit, & insuper illi ex acceptis censibus nil amplius superfit, ad nullam tenetur restitutionem: nam, ut D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 9. ad 3. loquens de Beneficiato, qui nec sciens nec volens simoniace promotus est ad Beneficium, advertit, hic in conscientia non tenetur restituere fructus bona fide perceptos & consumptos; idque etiam conforme est civili jurisprudentiæ fundatæ in hac juris regula 136. ff. Lib. 50. Tit. 17. *Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Dein supposito etiam, quod simpliciter ac in genere loquendo detur obligatio restituendi, Matthæus tamen ab ea sese eximere posset, si v. g. Rogerius hos annuos census ex mera liberalitate persolvisset, ita ut ex arbitrio ipsius steterit eosdem solvere vel non solvere, nulloque ad solutionem metu adactus fuerit, ne Matthæus in defectu annui census ipsam summam principalem sit repetiturus. *Pontas.*

No-

NOTA. Verum quidem eſt, ex ſolo titulo mutui non poſſe exigi cenſum; poteſt tamen exigi titulo lucri ceſſantis, damni emergentis, vel ob periculum ſortis, quod per tot annos reipſa eſſe potuit, etſi nil ſiniſtri evenerit. Poterat ea elocatio pecuniæ etiam fieri ex tacita intentione contrahentium, conformiter ad notoriam actis publicis approbatam conſuetudinem, per modum contractus cenſualis, in quo ex bonis mutuatarii frugiferis, vel ex ejus induſtria, ex parte venditoris redimibiliter emitur, emptione cum contractu ſocietatis mixta, pars redituum vel frugum. Ex his ergo titulis juſtitia cenſuum æſtimanda eſt; non vero indefinite reſpondendum.

CASUS XVI. Epimachus in negotiis Principis conſtitutus valde multum lucratus eſt dando ſuam pecuniam mutuo pro annuis cenſibus, minime dubitans, tale commercii genus eſſe licitum. Daniel filius ejus, qui una cum duobus aliis ſuis fratribus mortuo patre hæreditatem adiit, valde timet, ne pars honorum hæreditatis ſuæ a defuncto parente ſit acquiſita commercio uſurario, & hinc ad reſtitutionem teneatur. Cenſet tamen, ſe ab iſta obligatione immunem, cum parens cenſus annuos ſemper bona ſide receperit, & tales cenſus ſint bona mobilia, quorum proprietas poſſeſſione triennali præſcribi poſſit; ac inſuper pater multos legitimos, ac licitos cenſus acceperit, & impoſſibile denique ſit ſcire, quot perſonis, & quantum pecuniæ a patre mutuo datum ſit.

℟. Cum perdifficile ſit ſcire, an Daniel revera teneatur reſtituere quidquam, tutius & conſultius erit, ſi Daniel tantum ex bonis hæreditatis ſibi retineat, quantum ad ſuſtentationem vitæ neceſſarium habet; reliquum vero, quod ſupereſt, erroget pauperibus ea intentione, ut ſatisfaciat obligationi reſtituendi, qua forſan coram Deo obſtrictus eſt. *Pontas.*

NOTA. Cum ex *Nota* præcedentis *Caſus* 15. conſtet, varios juſtos titulos accipiendi cenſus dari poſſe, non tenetur hæres examinare, quo titulo parentes cenſus acceperint, vel utrum bona fide præſcripſerint; niſi in caſu particulari moraliter conſtet de contrario. Aliter diſcurrendum circa bona immobilia necdum præſcripta tempore immemoriali cum præſumptione juſti tituli; circa immobilia enim necdum certo præſcripta etiam hæres tenetur habere fidem poſitive bonam.

CASUS XVII. Pedemontii communis & generalis conſuetudo ab ipſis etiam judicibus approbata viget, ut tres floreni pro centum mutuo datis accipiantur, & hæc conſuetudo immemorialis eſt. Amadeus, civis Auguſtæ Taurinorum, qui hucuſque bona fide juxta conſuetudinem Pedemontanam pro mutuo data pecunia cenſum hunc annum accepit,

a

a quodam Doctore percepit, tales censns esse usurarios; hinc confessario suo promittit, se a tali usurario commercio deinceps destiturum. Confessarius Amadeum absolvit a peccatis suis & a restitutione censuum receptorum. An confessarius illum ab obligatione restitutionis absolvere potuit?

℟. Juxta *S. Beuve tom.* 2. *cas.* 131. *pag.* 442. confessarius in proposito casu Amadeum absolvere potuit a restitutione; quia dictos census annuos recipere consuetudine introductum est in ista provincia. Tutius tamen egisset, si illum obligasset, ut restitueret id, quod bona fide non consumpsit. *Pontas.*

Nota. Si consuetudo generalis excusat Pedemontanos accipientes tres pro centum, eadem consuetudo excusare Germanos poterit recipientes quinque pro centum. Ibi a Tribunalibus tolerantur tria; quia lucrum ordinarium annuum ex centum non superat tria, apud Germanos autem quinque. Verum Deus non præsumptos, sed veros titulos *lucri cessantis*, *damni emergentis*, aut *periculi sortis* &c. quærit.

CASUS XVIII. Isabella viro cuidam desponsata a patre in dotem acceperat 1500. florenos. Cum autem percepisset, partem bonorum a patre suo commercio usurario fuisse comparatam; idque vel certo sciret, vel solum ea de re dubitaret, quæritur 1. An non nisi dubia teneatur indagare in veritatem rei. 2. An, si de hoc sit certa, teneatur restituere dictos 1500. florenos, posito quod possit, & pater non restituat. 3. Num maritum bonorum communium administratorem eapropter monere teneatur, ut in restitutionem consentiat, vel eo renuente in testamento suo cavere debeat, ut fiat restitutio. 4. Denique an Isabella ad aliquam restitutionem obligari possit, si primum post constitutam & persolutam dotem bona sua pater per commercium usurarium acquisiisset.

℟. *Ad* 1. Si Isabella solum dubitet de legitimitate bonorum paternorum, non tenetur in rei veritatem indagare; maxime si dubium non sit solide fundatum. *Ad* 2. Si Isabellæ certo constat, partem bonorum paternorum iniquis usuris fuisse corrasam, nullamque ab eo factam esse restitutionem, non tenetur post obitum patris ad aliam restitutionem, nisi in quantum consuetudo loci exigit, ut cum reliquis cohæredibus succedat etiam in onera ac debita patris, & pro rata acceptæ dotis. *Ad* 3. Supposito quod obligetur ad restitutionem, non potest id exequi, nisi post mortem mariti, si ille non consentiat; vel potest in testamento suo providere, ut fiat restitutio. *Ad* 4. Si dos a patre constituta est

ante

ante usurariam acquisitionem bonorum, ad nullam prorsus tenetur restitutionem: attamen ad hæreditatem defuncti patris admissa teneretur restituere male parta pro ratione portionis suæ. *Pontas.*

Nota. Si etiam constaret, patrem fuisse publicum usurarium, dubitari tamen vix posset, multas pecunias ab eo acquisitas fuisse titulo justo ac legitimo, v. g. per contractum censualem, in quo revera intercessit periculum sortis, vel titulo emptionis, legati &c. Cum ergo possessor per confusionem bonorum fiat eorundem dominus, valide disponit.

CASUS XIX. Elpidius & Mævius aquisiverunt hæreditatem patris sui, qui Principis negotiis præfectus, & per decennium cambio addictus e vita migravit relicta fama, quod commercio usurario multa bona corraserit. Possuntne frui tota hæreditate paterna, quin teneantur in conscientia partem hæreditatis erogare in pauperes per modum restitutionis, cum notitiam non habeant eorum; quibus pater fors damnum aliquod intulit?

℟. Quamvis Elpidius & Mævius teneantur erogare eleemosynas de superfluis, non tamen obligantur, nisi in casu extremæ aut valde urgentis necessitatis, elargiri eleemosynam de sibi necessariis præcise ob eam rationem, quod ipsorum pater Principis negotiis præfectus & cambio addictus fuerit; cum ejusmodi officia absque injustitiæ nota & absque usurario commercio administrari possint. Multo minus ad restitutionem tenerentur, si ipsorum pater notabilia legata in pauperum favorem reliquerit. *Pontas.*

CASUS XX. Cassius maritus Michelinæ filiæ Crœsi divitis campsoris nonnullis abhinc annis certo comperit, patrem uxoris suæ quondam præfuisse telonils regis, ac per usurarium commercium & aliis injustis modis sua multa, quæ habet, comparasse bona. Jam quæritur, an Cassius, cui uxor 4500. florenos in dotem attulit, teneatur restituere quidquam de dote ista, utpote parte bonorum injuste a Crœso aquisitorum.

℟. Juxta *S. Beuve tom.* 3. *casu* 252. non tenetur Cassius restituere censum annuum ex dote uxoris suæ acceptum, aut partem summæ principalis bona fide consumptam; tenetur tamen ipsam, quam adhuc in manibus habet, summam principalem, & census restituere, quos percepturus est, aut jam percepit ab eo tempore, quo bona ipsius fides cessavit. Si autem nesciat, quibus restituendum sit, injuste parta convertenda sunt in eleemosynas pauperum, supposito consensu

uxo-

uxoris: hæc enim ni consentiat, æquum non est, ut maritus propria authoritate restitutionem faciat; quia ipsi non competit jus libere disponendi de bonis dotalibus uxoris, ea invita. Ad hæc id fieri non posset sine evidenti periculo bina vice eandem faciendi restitutionem: defuncta enim conjuge adhuc superstes compelleretur 4500. florenos reddere hæredibus defunctæ. Sufficit itaque Cassio, ut repudiata hac dote omnem Michelinæ curam relinquat satisfaciendi obligationi conscientiæ suæ. *Pontas.*

CASUS XXI. Catharina mortuo suo marito certo comperrerat, eum comparasse 1000. florenos commercio usurario, illosque non fuisse restitutos. An tenetur ipsa eos restituere?

℟. Si Catharina post obitum mariti sui communioni bonorum renunciarit, ac suis propriis bonis contenta sit, non tenetur ad ullam restitutionem. Si vero præter suam dotem bona mariti, aut eorum partem possideat, tenetur ad restitutionem juxta proportionem male aquisitorum. Idem dicendum, si vivente marito ex usuris ejusdem commodum tulit. *Pontas.*

CASUS XXII. Hermelaus mercator inter alia bona sua possidet summam 1000. Imperialium mutuis usurariis acquisitorum, nec ad restitutionem induci potest. Potestne uxor dictam summam restituere marito inscio, au t etiam invito?

℟. Licet author opusculi 73. *de Usuris*, quod inter opuscula D. Thomæ reperitur. cap. 16. censeat, uxorem posse restituere inscio, non autem invito marito, id tamen in præsenti casu haud permittendum videtur; quia facta ab uxore restitutio prorsus nihil conduceret ad salutem mariti, quamdiu is animum retinet non restituendi. *Pontas.*

CASUS XXIII. Thieboldus collatis cum Leandro rationibus reperiebat, se illi debere centum florenos, quos cum solvere non posset, Aristarchus amborum amicus, utrumque n. obligaturus, offert Thieboldo dictam summam, quam hic ocyus Leandro tradidit. Paulo post autem moritur Thieboldus, qui solvendo non erat. An jam Leander in conscientia tenetur Aristarcho restituere præfatos centum florenos?

℟. Qui mutuam dat pecuniam, transfert dominium ejusdem in mutuatarium, qui fit verus dominus mutuo acceptæ pecuniæ. Hinc Leander non tenetur ad ullam restitutionem; imo Aristarchus nec in foro externo eum desuper convenire potest. *Pontas.*

CA-

CASUS XXIV. Ildephonsus mutuos dedit Theophilo centum Imperiales ad annum, eosque elapso termino instanter repetit ad faciendum lucrum suo in commercio. Theophilus vero, licet solvendo esset, non tamen restituit, eo quod ipsemet sua in negotiatione per hanc summam quidpiam lucrari intenderet, eamque contra omnem justitiam & mala fide ultra triennium retinet, certus, Ildephonso tantum animi non esse, ut sibi eapropter litem moveret. An in foro interno tenetur Theophilus restituere lucrum duobus post lapsum termini annis ex hac summa comparatum?

℟. Non tenetur Ildephonso totum omnino lucrum restituere, quod sibi comparare potuisset suo ex commercio, si dictam summam ad manum habuisset, sed solum tantum lucri, quantum alias ex ejusmodi summa percipi consuevit in exercita negotiatione, idque habita ratione laboris impensi ac industriæ, impensarum faciendarum, & denique periculorum ac infortuniorum, quæ in hujusmodi commercio facile accidere possunt. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad 4. *Pontas.*

Nota. Cum mutuum sit contractus bonæ fidei, videtur, Theophilum obligari ad compensandum Ildephonso totum lucrum cessans, ordinarium ac moraliter certum, quo ipsum privavit ob moram solutionis.

CASUS XXV. Maximinus tradidit Joanni amico suo centum Imperiales ad Hubertum deferendos, a quo eos mutuos acceperat. Joannes autem in via a latronibus hisce pecuniis spoliatus est. An Maximinus hanc casu fortuito ablatam latori summam Huberto resarcire tenetur?

℟. Amplissimum discrimen est inter restitutionem aut debitum, ad quod quis tenetur ex contractu, dum agitur de re restituenda in specie, & inter obligationem restituendi rem eandem in individuo: dum enim contractus ex sua natura non exigit, ut ipsum individuum reddatur, sed solum species, ut contingit in mutuo, in quo debitor non tenetur reddere eosdem nummos in individuo, quos commodatos accepit, sed tantum summam ejusdem valoris, nunquam liberatur quis ab obligatione restituendi aut solvendi debitum, nisi creditor, aut ex ejusdem commissione alius actu receperit summam mutuo datam. Ex quo sequitur, in præsenti casu Maximinum teneri de casu fortuito, quo centum Imperiales perierunt, & obligari in conscientia ad alios centum Imperiales Huberto numerandos. *Pontas.*

CASUS XXVI. Theodatus & Flavianus facto inventario Julii patris sui defuncti hæredes declarati jam solverunt creditoribus 3500. florenos, licet tota hæreditatis portio tantum 3000. florenos constitueret; intelligunt insuper ex inventario, 500. florenos a patre ex mutuis usurariis fuisse comparatos, quos, cum essent opulentissimi, facile restituere possent. Tenenturne sub ratione hæredum restituere hanc summam?

℞. Si quis successionem acceptat beneficio inventarii, non tenetur ad solutionem debitorum, nisi quousque se extendit portio hæreditaria. Hinc Theodatus & Flavianus, licet aliunde opulenti sint, non tenentur dictos 500. florenos restituere; cum creditoribus patris jam solverint summam ipsa portione hæreditatis majorem. Ex eadem ratione idem dicendum, si bona defuncti publica authoritate vendita non sufficerent ad expungenda omnia debita; quo in casu hæredes isti obligari non possent ad residuum debitorum expungendum. *Pontas.*

CASUS XXVII. Clara parentibus orbata, a quibus jure hæreditario 4000. florenos acceperat, religionem ingredi cogitat; sed cum sciret, partem hæreditatis provenire ex lucro usurario, a patre suo fors bona fide comparato, dubitat, an in conscientia teneatur restituere asseverantibus, a se patrem has exegisse usuras; vel an totam hanc summam monasterio inferre possit, quin indagare debeat, qua ratione pater bona hæc acquisierit.

℞. Si dubium Claræ de injusta aquisitione bonorum sit bene fundatum, omni studio tenetur indagare veritatem rei; &, si certo innotescat, patrem a quibusdam exegisse census usurarios, tenetur iisdem restituere, nec salva conscientia bona hæc in monasterium transferre posset, quod ingredi cogitat. Ex solo testimonio eorum, qui a patre se defraudatos queruntur, si de bona fide ipsorum non sit plene convicta, ad nullam tenetur restitutionem. Denique, etsi certa esset, partem bonorum injuste fuisse aquisitam, nesciret tamen, quibusnam debeatur restitutio, posset omnia bona paterna donare monasterio; quia sic impenderet in opus vere pium, id quod juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. ad deonerandam illius conscientiam satis est. *Pontas.*

NOTA. Clara solum obliganda est ad restitutionem, si certa sit usuraria patris aquisitio; non autem si duntaxat prudenter de ea dubitet, nec dubium hoc possit tolli per certitudinem.

CA-

CASUS XXVIII. Amandus tutor Antonii ex pecuniis pupilli mutuo datis modo usurario eidem lucratus est 150. florenos. Potestne ex his ipsis pecuniis restituere injuste aquisita? An vero sufficit, si pupillum ea de re moneat, dum eidem de tutela sua rationem reddit?

℟. Tenetur Amandus ex ære proprio restituere injustas usuras: debuisset enim pecuniam pupilli ita collocare, ut legitime fructificet. Dum igitur obligationi huic non satisfecerit, tenetur ipsus non solum pupillo compensare damnum, sed & dictas usuras restituere. *Pontas.*

CASUS XXIX. Petrus in urgenti necessitate mutuam a Matthæo accipit summam 1000. florenorum ad tres annos cum promissione solvendi decem pro centum. Exacto triennio Matthæus obligatur a confessario, ut restituat injuste accepta pauperibus, non Petro, utpote merito privando restitutione usurarum, quas solvere nunquam debuisset. An juste egit confessarius?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 3. ad 2. restitutio facienda est Petro: solum enim ille, qui solvendo peccavit contra legem prohibentem, meretur privari solutis; nulla autem lex, nec divina nec humana inhibebat Petro solvere censum usurarium in urgenti necessitate. Addi potest in favorem Petri, quod, etsi libere Matthæo usuras solverit, non tamen absolute renunciasse censeatur proprietati eorum, quæ solvit; quia solutio non fuit facta absque omni repugnantia, & cum omnimoda libertate, sed intervenit *involuntarium mixtum*, ut loquuntur Theologi. *Pontas.*

CASUS XXX. Falcidius mutuos accepit a Quintino ducentos florenos, & in affecurationem debiti tradidit ei horologium aureum & monile margaritis distinctum. Post aliquot menses domus Quintini conflagravit; quo in incendio etiam horologium & monile perierunt, aut a furibus ablata fuerunt. An jactura hujus pignoris ferenda Quintino?

℟. Jactura pignoris ex casu mere fortuito ferenda est Falcidio, quem traditio pignoris non privavit ejusdem proprietate. Si vero damnum evenisset ex dolo vel culpa *lata* aut *levi* Quintini, hic quoque ferre jacturam deberet, non tamen ex culpa *levissima*. Ratio, quam Instit. Lib. 3. Tit. 15. §. 4. Imperator Justinianus allegat, est, quia in omnibus contractibus utrique parti favorabilibus non præstatur culpa levissima, sicut nec casus pure fortuitus, sed tantum dolus & culpa lata ac levis: contractus autem pignoratitius utrique parti est favorabilis; creditori quidem, cui dato pignore magis

assecuratur debitum; & debitori, qui ope pignoris in necessitate facilius invenit mutuum subsidiarium. *Pontas.*

CASUS XXXI Gabinius promittit Gabrielæ matrimonium, & in sponsionis suæ arrham 500. florenos ipsi in manus tradit; licet universa bona illius mille tantum florenos conficerent. Post aliquot temporis intervallum absque ulla causa promissi pœnitens traditos ipsi 500. florenos repetit. Teneturne Gabriela restituere hanc summam; maxime si Gabinius spondeat compensationem damni, quam vel ipsa jure petere potuerit, vel judex aut æqui arbitri pronunciaverint?

℟. Gabriela ad nullam tenetur restitutionem: qui enim ad assecurandam fidem ac promissionem suam pignus tradit, censetur consentire in illius jacturam, si absque justa ratione promissis stare neglexerit. *Mutare consilium*, inquit regula juris 33. in 6. *quis non debet in alterius detrimentum. Pontas.*

CASUS XXXII. Henrieta filiafamilias Martiali, a quo per violentiam deflorata fuerat, minitabatur actionem criminalem, nisi dotis loco daret 2000. imperiales. Martialis his minis perterritus dedit postulatam summam: Henrieta autem elapsis aliquot mensibus, cum nec commissum delictum nec illata violentia cuiquam innotuisset, eodem cum successu ac emolumento matrimonium contraxit, ac si dictam violentiam nunquam passa fuisset. An non tenetur restituere 2000. Imperiales; eo quod nil detrimenti incurrerit ex facto Martialis?

℟. Licite ac juste Henrieta retinet dictam summam; licet eam necdum acceptam jure a Martiali postulare non posset ante sententiam judicis: nunquam enim metus ex causa justa incussus, quantumcumque gravis, irritat donationem vel promissum, aut quemvis alium contractum, ut probat Azorius Instit. moral. part. 3. L. 4. c. 23. ex legibus Romanis, & ex unanimi Theologorum atque Canonistarum consensu. *Pontas.*

NOTA. Henrieta non haberet quidem jus determinate exigendi hanc summam; haberet tamen jus agendi apud judicem pro honestiori dote ad compensandam verecundiam a marito sufferendam, si fors virgo non esse deprehenderetur. Si autem stuprator offerret æquam summam in compensationem injuriæ, posset & deberet ea acceptari ab oppressa.

CASUS XXXIII. Anatolius pro uno die operam suam locavit Leonidi ad transportanda vitra aliaque vasa fragilia, & nonnulla eorum confregit. Teneturne resarcire damnum?

℟. Si id ex culpa ipsius accidit, etiam levi, tenetur Leonidi resarcire damnum juxta legem *Si merces.* 25. §. 7. ff. Lib. 19.

19. Tit. 2. quæ dicit : *Qui columnam transportandam conduxit, si ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset. Pontas.*

Nota. Omni lege civili; quæ procedit ex præsumptione, potentior est intentio contrahentium, ex usu aut circumstantiis sufficienter declarata. Non est autem verosimile. locatores suæ operæ, plerumque tenui aut mediocri fortuna præditos, & in rebus propriis quandoque incurios, se obligare velle ad amissionem omnium suorum bonorum, si committant culpam levem.

CASUS XXXIV. Alexius Juvenali Parisiis Aureliam profecturo commodavit equum, monito simul, ut de nocte silvam declinet latronibus infestam; hic autem spreto monito, velocitate equi armisque suis confisus per silvam iter instituit, ac graviter vulneratus equum cedere coactus est. Teneturne Alexio compensare pretium equi?

℞. Cum hic agatur de commodato, & Juvenalis ipsemet ultro sese exposuerit periculo, tenetur Alexio solvere pretium equi, interveniente culpa etiam *levissima. Commodatum*, ait Lex *Si ut certo*. 5. §. 2. ff. Lib. 13. Tit. 6. *plerumque solam utilitatem continet ejus, cui commodatur; & ideo verior est Quinti Mutii sententia existimantis, & culpam præstandam & diligentiam.* Concordat etiam jus canonicum. *Pontas.*

CASUS XXXV. Albinus Conrado homini prudenti ac fideli dedit negotium reducendi ad Damianum equum sibi commodatum; Conradus autem pleno in meridie in via a prædonibus invasus amittit equum. Cuinam equi jactura ferenda est?

℞. Si Albinus ab homine ignoto monitus fuisset, ut remittat equum, & huic equum reducendum tradidisset, absque dubio Albinus teneretur Damiano equi Domino solvere equi pretium. Verum in præsente casu ad nihil tenetur; cum omnis casus fortuitus recidat in dominum rei, ut habetur Leg. *Argentum* 20. ff. Lib. 13 Tit. 6. ubi dicitur : *Argentum commodatum si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis æstimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus diriperetur, tuum, non meum, detrimentum erit, si id mali homines intercepissent. Pontas.*

CASUS XXXVI. Paternus commodavit Juliano duo argentea candelabra, quæ Julianus cistæ clave obseratæ una cum propria sua supellectile argentea inclusa asservabat in inferiori aula domus anterioris. Fures autem fractis emotis-

que ferreis fenestrarum clathris noctis beneficio hanc aulam ingressi omnem hujus cistæ supellectilem abstulerunt. Teneturne Julianus in foro conscientiæ Paterno restituere pretium candelabrorum?

R. Ad resolutionem præsentis casus aliorumque hujusmodi distinguendæ sunt tres culparum species. Prima est culpa *lata*, dum negligitur illud, quod nemo solet negligere; & hæc culpa gravis est & inexcusabilis. Secunda dicitur culpa *levis*, quando negligitur id, quod homines ejusdem professionis, status ac conditionis non consueverunt negligere. Tertia est culpa *levissima*, dum non omnis adhibetur industria, quam adhiberet homo prudentissimus ac diligentissimus. His præsuppositis manifestum esse videtur, Julianum ab omni culpa immunem non esse, & saltem levissimam contraxisse; cum homo prudentissimus atque solertissimus nunquam res pretiosas, ut sunt utensilia argentea, in cubiculo domus inferiori plateam respicienti, in quod omnes adventantes ordinarie ingrediuntur, sed reponit in loco tutiori, ac furibus minus accessibili. Jam vero in contractu commodati ille, in cujus solius utilitatem cedit, tenetur de damno etiam ex culpa levissima emergente, ut ait Imperator Justinianus Instit. L. 3. Tit. 15. §. 2. *Is, qui utendum accepit, sane quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare tenetur; nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterat eam rem custodire.* Julianus igitur tenetur Paterno restituere candelaborum pretium. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Germanus cum percepisset, Leandrum amicum suum iter decem circiter leucarum instituturum, obtulit ipsi equum suum per tres jam menses absque omni labore stabulantem, veritus, ne ex ipsa hac otiositate morbum contraheret. Leander oblato usus est equo, qui in itinere inflammatione tonsillarum laborare cœpit; cum vero istam morbi speciem non intelligeret, neglexit accedere veterinarium, quem dimidia circiter leuca ab urbe, quam petebat, remotum consulere potuisset, in urbe peritiorem reperturum se ratus. Ast equus, antequam in urbem venerat, periit. Teneturne in conscientia solvere pretium equi?

R. Cum Leandri culpa levissima sit, obligari in conscientia non potest ad solvendum pretium equi. Exigua oppidi ab urbe distantia, & conceptum consilium peritiorem in ea reperiendi equorum medicum sunt duæ circumstantiæ, quæ Leandrum ut plurimum excusare videntur. Ad hæc si commoda-

modatum cedit non solum in utilitatem commodatarii, sed & commodantis, ut fiebat in præsenti casu, commodatarius non tenetur ad compensationem damni ex culpa levissima accidentis, ut colligitur ex lege *In rebus.* 18. ff. Lib. 13. Tit. 6. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Aurelius titulo precarii commodavit Bernardo pallium, quod ex ipsius imprudentia post biduum fuit furto ablatum. Teneturne Bernardus solvere pretium pallii?

℟. Qui titulo precarii quidquam accipit, solum tenetur de damno proveniente ex dolo vel culpa lata. Hinc si pallium ablatum fuit Bernardo ex ipsius culpa *levi* tantum in sensu, quo terminum hunc leges accipiunt, in foro interno non tenetur ad solvendum valorem pallii. *Dolum solum,* dicitur Leg. Quæsitum. 8. §. 3. ff. Lib. 43. Tit. 16 *præstat is, qui precario rogavit; cum totum hoc ex liberalitate descendat ejus, qui precario concessit; & satis sit, si dolus tantum præstetur. Culpam tamen* (latam) *dolo proximam contineri quis merito dixerit. Pontas.*

CASUS XXXIX. Meletius rogavit Leonardum, ut sibi ad tempus ex ipsius dependens arbitrio gratuitum concederet usum quorumdam mobilium sibi necessariorum. Leonardus annuit ipsius petito, elapso tamen mense ea repetiit. Meletius vero ob quasdam rationes restitutionem earum recusat invito quidem Leonardo. Post quatuor dies contigit, ut a furibus prædicta mobilia ablata, aut incendio consumpta fuerint. Quis igitur eorum jacturam harum rerum ferre tenetur?

℟. In casu proposito de *precario* agitur; hinc Meletius, qui has res precario acceptas reddere suo domino eas repetenti renuit, tenetur earum jacturam ferre, *Pontas.*

CASUS XL. Sejus acceptata ab Alberto oblata sibi gratuita procuratione negotiorum ipsius semper quidem bona fide egit, cum aliqua tamen negligentia, quæ in causa fuit, quod Albertus in prosecutione cujusdam litis expensas facere debuerit centum florenos. Teneture Sejus Alberto restituere hos 100. florenos?

℟. Certum est, quod procurator & mandatarius, etsi gratis in se susceperit curam gerendi negotia alterius, obligetur in conscientia ad adhibendam eandem curam, quam homo prudens ac diligens in rebus suis propriis adhibere consuevit. Tenetur igitur Sejus Alberto præstare damnum ex sua negligentia illatum, & restituere centum florenos inutiliter expensos. *A procuratore dolum & omnem culpam, non etiam improvisum ca-*

 ca-

casum præstandum esse juris authoritate manifeste declaratur. Leg. *A procuratore.* 13. Cod. Lib. 4. Tit. 35. *Pontas.*

Nota. Si negligentia fuit talis, qualem Sejus in suis propriis facile committeret negotiis, præsumi non potest, eum habuisse intentionem se obligandi gratuito ad præstandam culpam ejusmodi levem.

CASUS XLI. Lucius Titio demandat curam suorum negotiorum, & culturam agrorum pertinentium ad Marcium amicum suum. Titius gratuito demandatam sibi provinciam in se suscipit; postea autem ex ipsius negligentia accidit, ut Marcio damnum 500. florenorum illatum sit. Peccavitne Titius sua negligentia? num etiam tenetur resarcire damnum Marcio illatum, quocum nullam iniit conventionem?

℟. Titius sua neligentia peccavit, & tenetur refundere Marcio damnum, quod intulit: sufficit enim, quod convenerit cum Lucio etiam de agris Marcii. *Mandatum inter nos contrahitur, sive mea tantum gratia tibi mandem, sive aliena tantum, sive mea & aliena; aliena tantum, veluti si tibi mandem, ut Titii negotia gereres.* Leg. *Mandatum.* 2. ff. Lib. 17. Tit. 1. Notandum tamen, quod hucusque dicta solum intelligenda sint de procurationibus aut commissionibus, per quas alicui expressis terminis injungitur onus per modum conventionis obligatoriæ; non autem de commentationibus, quibus unus alteri sua commendat negotia, v. g. precatione, consilio vel alio modo non habente vim conventionis aut obligationis, relicta illi plena libertate curandi vel non curandi negotia ipsi commendata. *Pontas.*

Nota. Vide notam in responsione ad cas. 40.

CASUS XLII. Bartholus rogavit Ægidium, ut aptissimo, quo fieri posset, tempore pratum suum demetendum curaret. Annuit Ægidius; sed, cum tempus maxime opportunum neglexisset, fœnum ex ingruente pluvia notabiliter corruptum est. Teneturne in conscientia ad aliquam compensationem; quamvis solum eam curam in se susceperit, ne Bartholi offensam incurreret?

℟. Excusari non potest Ægidius a culpa saltem levi; & hinc tenetur resarcire damnum, sive dein gratuito acceptaverit hanc commissionem, quod in jure *mandatum* dicitur, sive pro certa pecuniæ summa a Bartholo promissa hanc curam & laborem in se susceperit, quod vocatur *locatio operarum. Pontas.*

Vide cas. 40. 41.

CA-

CASUS XLIII. Dracontius acceptata a Claudio sibi commissa negotiorum gratuita procuratione, eorum gerendorum tandem pertæsus officio suo deesse cœpit, ex quo Claudius damnum passus est 400. florenorum. Teneturne Dracontius reparare damnum?

℞. Si Dracontius de mutatione voluntatis suæ prius Claudium non monuit, cum tamen id fieri potuisset, tenetur Claudio resarcire damnum. *Quodsi, cum possit, nunciare cessaverit, quanti mandatoris intersit, tenebitur: si aliqua ex causa non poterit nunciare, securus erit.* Leg. *Si quis.* 27. §. 2. ff. Lib. 17. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XLIV. Gratianus nobilis juvenis Parisiis obiit, quem Alphonsus amicus ipsius humandum curavit, persolutis in sumptus funerales 150. florenis. Verum hæres Gratiani de expensarum excessu conquestus noluit integram compensationem præstare Alphonso. Num salva conscientia?

℞. Si constat, dictas expensas prudenter & bona fide fuisse factas, hæres Gratiani in conscientia tenetur Alphonsum indemnem reddere. Si vero constaret de opposito, hæres posset deducere partem sumptuum superfluam, & non teneretur in foro interno ad solutionem expensarum imprudenter factarum. *Pontas.*

CASUS XLV. Eustochius Principem suum ut officialis domesticus in Germaniam comitatus domum suam reliquit ruinæ proximam, quin cuiquam ejusdem curam commisisset. Sempronius amicus ipsius domum ex omni parte fulcris sustentandam curavit: verum post octiduum ea vehementi vento concussa penitus corruit, frustratis sine suo expensis Sempronii. Cum postea Eustochius domum rediisset, petit ab eo Sempronius 60. florenos ad fulciendam domum expensos. Num juste hanc compensationem denegat Eustochius?

℞. Omnes leges in eo conveniunt, ut, quisquis ex mera benignitate ac amicitiæ studio in urgenti necessitate absentis negotia gerit, indemnis servetur. *Si quis absentis negotia gesserit, licet ignorantis*, ait L. *Si quis.* 2. ff. Lib. 3. Tit. 5. *tamen quidquid utiliter in rem ejus impenderit, habeat eo nomine actionem.* Hinc Eustochius tenetur Sempronio resarcire expensos sexaginta florenos. *Pontas.*

Vide cas. seq.

CASUS XLVI. Probus sciens, Rollando amico suo absenti, nec ante semestre redituro intentatam a Cajo fuisse actionem pro solutione mille florenorum, quos sibi deberi falso affirmabat, spondanee amici causam defendendam suscipit, cum sufficientes haberet probationes injuste a Cajo factæ pe-

titionis. Cum autem ante aliquot menses Rollandus obiisset, Probus a defendenda causa ipsius penitus abstinet, quo factum, ut dicti mille floreni Cajo adjudicati fuerint. An hæres Rollandi cognita causæ serie juste a Probo petit compensationem mille florenorum ?

℟. Leges civiles neminem cogunt ad suscipiendam curam negotiorum alienorum, nisi quis ad id teneatur vi officii v. g. tutoris vel curatoris. Si quis vero ultronee ac propria voluntate alterius negotia curanda suscepit, tenetur ea prosequi usque ad finem, nec ipsi liberum est a suscepta cura desistere; ex quo sequitur, quod teneatur rationem reddere suæ administrationis. Rationem allegat Imperator Justinianus Instit. Lib. 3. Tit. 28. §. 1. *Sicut is, qui utiliter gessit negotia, dominum habet obligatum negotiorum gestorum; ita & contra iste quoque tenetur, ut administrationis reddat rationem.* Tenetur itaque Probus reparare damnum illatum hæredi Rollandi. Nec juvat dicere, quod mors Rollandi plane libertatem ipsi dederit ab incepto negotio desistendi : nam & hoc effugium sublatum est Lege *Nam & Servius.* 21. §. 2. ff. Lib. 3. Tit. 5. dicente : *Si vivo Titio negotia ejus administrare cœpi, intermittere mortuo eo non debeo . . . . . nam quæcunque prioris negotii explicandi causa geruntur, nihilum refert, quo tempore consummentur, sed quo tempore inchoarentur. Pontas.*

Vide cas. 45.

CASUS XLVII. Valerio in regione longinqua degenti intentata est actio injusta ; & Palæmon amicus Valerii sua sponte absque omni mandato amicum absentem contra actores defendendum suscipit. Verum pendente lite ex defectu prudentiæ committit notabilem errorem, aut saltem levem, Valerio tamen valde nocivum. An tenetur reparare damnum Valerio illatum ?

℟. Si nemo alius negotia absentis Valerii curare voluerit, Palæmon solum tenetur ad reparandum damnum culpa gravi & notabili illatum. Si vero rationabiliter prævidere potuit fore alium, qui negotia ejusdem gerere vellet, & semet ipsum illi prætulerit, tenetur ad reparationem damni non solum ex culpa notabili, sed etiam levissima illati, cum alium fors diligentiorem ac peritiorem impedierit in gerenda cura negotiorum Valerii. Observandum hic, quod quandoque quis secundum Glossam etiam teneatur de casu fortuito. v. g. 1 Si quis se ingesserit causæ pupilli, semper perquam favorabili. 2. Si propria sponte alienis se negotiis immiscuit, alterius bona usurpandi animo. 3. Si ultro pro alio novas & extra ordinarias causas attentavit nulla re urgente, ut si illo

inscio

inscio alicui se implicuisset commercio. 4. Si casus fortuitus accidisset ex commissa ab eo culpa. 5. Si denique injustæ moræ reus foret. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Aristus causam amici sui Claudii absentis, cujus omnia bona sequestrabantur, suscepit ex amicitiæ motivo; quam ob rem coactus erat aut mutuam accipere pecuniam pro censu annuo, aut propriam suam impendere, quam alias in commercium lucratorium expendisset. Teneturne Claudius in conscientia non solum summam principalem restituere, sed & persolvere censum annuum, aut compensare Aristo damnum ex impensa propria pecunia emergens?

℟. Tenetur non solum restituere Aristo summam principalem mutuo acceptam, sed & præstare censum pro dicta pecunia. Tenetur insuper compensare lucrum, quod juste ac legitime Aristo accedere potuisset, si pecuniam suam collocasset in commercium. *Ob negotium alienum gestum sumptuum factorum usuras præstari bona fides suasit.* Leg. *Ob negotium.* 18. Cod. Lib. 2. Tit. 19. *Pontas.*

CASUS XLIX. Fabricius gemmarius ad incitas redactus jam instar servi conductitii operam suam locat aliis eandem professionem exercentibus ad vendendas & emendas gemmas, qui ipsi pro mercede industriæ suæ solvunt dimidium pro centum absque eo, quod ipsemet ab emptoribus obtenturus est. Huic Paulinus & ipse gemmarius committit vendendum adamantem pro 3000. florenis, si fieri possit, quem Fabricus exhibet Barnabæ; qui pro eo solum 2150. florenos offerebat. Cum vero Paulinus pluris æstimaret adamantem, Fabricius altera die ipsum adiit, illique significat, oblatos sibi esse pro adamante 2250. florenos; Paulinus vero expresse vult, ut adamas aliis etiam ac pluribus venalis exponatur, tentetur-que, an non 2500. aut saltem 2400. florenis vendi possit; hoc pretium si obtineri non valeat, assentit tandem, licet ægre, ut vendatur 2250. florenis. Fabricius secum reputans, brevi tempore haud modicum sibi lucrum ex hoc adamante accessurum, eum sibi retinet, solutis Paulino ex ære proprio 2250. florenis, a quo insuper recipit 70. florenos, mercedem industriæ suæ. Elapsa vix septimana Fabricius denuo accedit Barnabam, eique significat, Paulino haud alio quam 2400. florenorum pretio venalem esse adamantem, quos ille solvit, additis in lucrum Fabricii pro negotiationis industria 30. florenis. Et sic factum, ut Fabricius hac occasione lucratus fuerit 250. florenos. Jam quæritur, an Fabricius adamantem pro se ipso emere potuerit, & tamen pro sua industria ab em-

ptore

ptore secundo ac venditore primo recipere 100. florenos: & si ad restitutionem teneatur, cuinam & quomodo facienda sit restitutio.

℞. Bona fides anima esse debet omnium contractuum, conventionum, ac reciprocorum inter homines officiorum. Paulinus ex parte sua optima fide egit cum Fabricio; hic autem contractæ cum Paulino conventioni in pluribus infidelis extitit, dum suum mandatarii ac proxenetæ officium inscio mandante ac constituente dimisit, ac semetipsum adamantis emptorem fecit, neglectoque commodo Paulini unice lucro proprio inhiavit; licet proxeneta utilitatem illius, a quo merces vendendi negotium accepit, eadem cura, solertia ac fidelitate promovere teneatur, qua rebus propriis invigilare solet. Hinc non solum tenetur Fabricius restituere Paulino 150. florenos injuste ipsi subtractos, sed etiam receptos a Paulino & Barnaba mercedis instar 100. florenos. *Pontas.*

CASUS L. Genesius thesaurarius Principis summam 25000. florenorum, quam a variis fundorum aut ædium locatariis receperat, quæque ad solvendum officialibus ac famulis aulicis salarium destinata erat, commercio aut cambio ad duos vel tres menses commisit, & inde lucratus est 2000. florenos. Poteftne salva conscientia hoc lucrum sibi retinere? An non Principi illud cedere tenetur?

℞. Absque injustitia hoc lucrum sibi retinere potest Genesius; dummodo nec Principi, nec iis, in quorum salarium hæc summa destinata erat, ullum damnum intulerit: lucrum enim hoc unice attribuendum est ipsius industriæ, & non pecuniæ, utpote quæ ex natura sua sterilis nihil potest producere. Præterea ejusmodi aulæ ministris exacte reddenda est ratio acceptarum pecuniarum, & propterea ab ipsis ordinarie cautiones exiguntur. Accedit, quod Principes ac Magnates plerumque sciant, thesaurarios suos, quamdiu hujusmodi pecuniæ in eorum hærent manibus, eas in lucrum suum convertere, ut adeo tacite consentire videantur. Sic respondet S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. Tit. 1. §. 1. *Pontas.*

Nota. Tenetur tamen Genesius ad restitutionem Principi aut famulis, si solutionem illi vel istis faciendam diutius retardasset; aut locatariis, si ab iis anticipatam solutionem extorsisset; aut ærario Principis, si illi post mortem solum cederet sua debita activa incertæ solutionis.

CASUS LI. Amabilis habens actionem contra quemdam privatum, advocatum suum elegit Bartholum, illique anticipato solvit decem aureos, ut ad defensionem causæ se præpararet.

pararet. Aſt lite nimium protracta Bartholus moritur, priusquam defenſionem cauſæ incœpiſſet. An hæredes ipſius teneantur reſtituere dictos aureos Amabili illos repetenti?

℞. Non tenentur: Bartholus enim jam diſcutiendam ſuſceperat cauſam Amabilis ante obitum ſuum, paratusque erat ad eam defendendam, ſi eo ſuperſtite in judicium deduci potuiſſet. *Divus Severus ab hæredibus advocati mortuo eo prohibuit mercedem repeti; quia per ipſum non ſteterat, quo minus cauſam ageret.* Leg. *Præſes.* 1. §. 13. ff. Lib. 50. Tit. 13. *Pontas.*

Nota. Ex hoc ipſo reſponſo ſequitur, hæredes ad reſtitutionem obligandos, ſi Bartholus diſcuſſionem cauſæ neglexiſſet.

CASUS LII. Heraclides triginta aureos, quos Phocioni abſtulerat, expoſuit luſui, in quo 250. florenos lucratus eſt. Teneturne cum triginta aureis etiam lucrum Phocioni reſtituere?

℞. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 78. art. 3. C. non tenetur reſtituere lucrum, ſed ſolum ablatos aureos, & compenſare damnum rei ablatæ domino illatum. Caballutius Jur. Can. Theor & prax. l. 6. c 11. n. 2. hanc allegat rationem; *quia id lucrum eſt fructus ejus ſingularis induſtriæ aut fortunæ: hæc autem cum ſint perſonalia, ſi nullum pactum in oppoſitum interceſſit, non fructificant niſi ſoli perſonæ, in qua ſunt.* *Pontas.*

Nota. Peccavit tamen Heraclides graviſſime furtivam pecuniam exponendo periculo deperdendi, aut difficilem vel omnino impoſſibilem reddendi reſtitutionem.

CASUS LIII. Nebridius & Licinius ad decem annos ſocietatem univerſalem inierunt omnium bonorum ſuorum, mobilium & immobilium, præſentium & futurorum absque ulla exceptione. Contigit autem biennio poſt, ut Nebridius jure hæreditario aquireret domum, cujus redditus per quinque annos ſibi ſoli reſervavit, nullam Licinio partem competere ratus. Verum Licinius dimidium pretii ex locata domo ſibi deberi prætendit. Num jure?

℞. Nebridius tenetur ſolvere Licinio dimidium pretii ex locatione domus percepti: eadem enim eſt ratio ſocietatem bonorum inter ſe habentium & cohæredum. Nec etiam bona fides Nebridium eximit a reſtitutione fructuum hucusque perceptorum. *Pontas.*

CASUS LIV. Leo in publica urbis platea invenit crumenam decem aureos Francicos continentem, ignorans, ad quem pertineat hæc pecunia. Vel invenit quidpiam aliud æſtima-

ſtimatione dignum in platea vel alio in loco. Teneturne reſtituere? Et poſito quod teneatur, cuinam & quomodo facienda eſt reſtitutio?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. Leo non poteſt ſibi retinere hos aureos; & ſi ignoret ad quem pertineant, tenetur eos convertere in uſus, quos eorum domino judicaverit utiliores & magis acceptos, ut ſaltem fructus ſpirituales hujus boni temporalis redundent in dominum. Tenetur igitur Leo has pecunias erogare in pauperes, & ſi ipſemet ſit pauper, conſulere confeſſarium, a quo permitti poterit, ut inventam ſummam ſibi retineat. Verum ſi pretioſas gemmas aut margaritas ad littus maris in arena diſperſas reperiret, eas ſibi vendicare poſſet. *Pontas.*

NOTA. Huic reſponſioni opponi poſſe videtur communis ſenſus omnium hominum, qui inventores arbitrantur felices, quales tamen non eſſent, ſi daretur obligatio juſtitiæ inventa erogandi in cauſas pias. In Germania plerique Doctores, maxime inſigniores docent, res inventas, ſi non reperiatur dominus, poſſe retineri ab inventore; cumque obligatio eas convertendi in cauſas pias vel deobligatio dependeat ex intentione ac tacito contractu populi, cujus os ſunt Doctores, dicendum, quod in Germania hæc obligatio non detur; quia univerſim in rebus diſciplinæ ac arbitrariis Doctores formant mentem populi, ſicque vel inveniunt vel faciunt legem.

CASUS LV. Gualterus inventa crumena triginta aureis referta omni, qua potuit, diligentia per ſex menſes inquiſivit in dominum, ſed fruſtra. Conſulit igitur eapropter confeſſarium, eoque authore inventam pecuniam donat communi civitatis hoſpitali, in cujus teritorio eam invenerat. Elapſo vix menſe comperit, crumenam pertinere ad Benedictum, qui & eandem repetit Teneturne Gualterus in foro interno reſtituere dictam ſummam ex propriis?

℟. Non tenetur reſtituere ex propriis: poſſeſſores enim bonæ fidei rebus ad alium pertinentibus bona fide conſumptis ſolum tenentur reſtituere id, ex quo facti ſunt locupletiores. Hinc Gualterus, qui inventam pecuniam volente confeſſario donavit hoſpitali, coram Deo & mundo abſolvendus eſt ab obligatione reſtituendi. Obſervandum tamen, in ejuſmodi caſibus res inventas non niſi hac conditione eſſe donandas, ut, ſi dominus earum cum tempore innoteſcat, reſtituantur illi. *Pontas.*

NOTA. Hic caſus oſtendit, exoptabilius eſſe Domino rei, ſi inventor non obligetur ad expendenda inventa in cauſas pias, ut ſemper poſſit facile conveniri poſſeſſor rei. Et vere in hoc caſu ad reſtitutionem obligandus videtur confeſſarius, præſertim ſi ſuaſiſſet, ea ſibi

vel

vel suis applicanda in stipendia missarum; eo quod usus fuisset sententia mere probabili in præjudicium tertii, & ob jus incertum privasset dominum rei jure certo dominii civilis vel actionis utilis pro recuperatione rei.

CASUS LVI. Metellus sacculum repererat viginti quinque florenos una cum aliquot chirographis tabellario solvendis continentem, eumque ad Fabium amicum suum pertinere comperit, ad quem ocyus per famulum domesticum inventa remittit; sed ea omnia a duobus militibus forte occurrentibus famulo errepta sunt. Teneturne Metellus ad restitutionem?

℟. Dicendum videtur, Metellum in conscientia haud obligari ad ullam restitutionem: juxta principium juris enim Cap. *Cum gratia.* unic. Lib. 3. Tit. 15. *quoties omni debitoris culpa seclusa res debita perit, domino suo perit.* Tota ergo jactura ferenda est Fabio. *Pontas.*

CASUS LVII. Crassus foricarius labore suo distentus forte reperit capsulam cupream quadraginta aureos continentem, eosque suis necessitatibus applicat. Teneturne eos restituere? & cui?

℟. Si Crassus persuasum sibi habeat, hanc summam non esse legitime a se aquisitam, vel solum prudenter de eo dubitet, tenetur in conscientia ad restitutionem: nam semper datur obligatio restituendi rem male fide acquisitam, licet jam consumptam, & solum dubium sufficit ad destruendam bonam fidem. Si vero Crassus hos aureos bona fide consumpsisset in firma persuasione, faventem fortunam eorum dominium in se transtulisse, non tenetur restituere, nisi inquantum factus est ditior: in eo enim casu obligaretur ad restitutionem, quamvis ea fieri non posset sine proprio incommodo. *Pontas.*

Nota. Hæc responsio probari haud posse videtur: non enim proprium cujusque judicium in regulam erigendum, sed per sanam doctrinam regulandum est. Crassus adhibita morali diligentia pro detegendo rei inventæ domino eam tamdiu servet, donec ejusdem detegendi omnis spes evanescat.

CASUS LVIII. Callistrates præmeditate occidit Medericum opificem, qui unice per laborem suum nutriebat patrem, uxorem & infantulum, omnes ad comparanda sibi vitæ necessaria impotentes. An Callistrates a confessario obligandus est, ut præfatis necessariam, eorumque conditioni competentem sustentationem procuret? Potestne ipsi denegari absolutio, si id oneris non suscipiat?

℟. Qui

℟. Qui occidit alterum extra casum justæ ac necessariæ defensionis propriæ vitæ, tenetur coram Deo resarcire omnia damna per homicidium illata juxta æquitatem & æstimationem hominum prudentum & doctorum; & consequenter Callistrates tenetur sublevare non præsentem solum, sed & futuram necessitatem, ad quam pater, uxor, & infantulus occisi fuerunt redacti. *Si interfectus sustentabat reliquas personas*, inquit S. Antoninus 2. part. Summæ Theol. Tit. 2. c. 2. §. 2. *ut patrem, filios & hujusmodi operibus manuum suarum, teneretur interfector omnibus illis ad tantum, quantum illis abstulit subsidii propter occisionem ejus.* Si pœnitens hanc obligationem acceptare renuat, deneganda est ipsi absolutio. *Pontas.*

CASUS LIX. Pisistrates Clodionem, cui jam diu infensus erat, obviam forte sibi factum aggreditur, illique ictu gladii manum amputat. Teneturne ad aliquam restitutionem?

℟. Si Clodion sit opifex, & mutilatio sit in causa, quo minus sustentationem suam sibi comparare possit! tenetur Phisistrates sub peccato mortali reparare omne damnum sua mutilatione illatum. Ita S.Thomas 2. 2. q. 62. art.2.ad 1. Et quia damnum illatum redundare potest in familiam mutilati, & durare quoad dies vitæ, mutilator etiam respectu hujus circumstantiæ juxta S. Antoninum supra citatum ad reparationem damni tenebitur. *Pontas.*

CASUS LX. Protasius non tam nobilitate quam morum pravitate insignis, cum frustra tentasset corrumpere Amaliam filiamfamilias proxime nupturam, nares illi amputavit aut oculum effodit. Teneturne ad aliquam restitutionem?

℟. Si Amalia non possit in hoc statu inire matrimonium ejusdem emolumenti, quo antea, absque dubio Protasius tenetur illi reparare damnum a se illatum, v. g. augmento dotis, ita ut hoc modo æque proficuum connubium sperare possit. *Pontas.*

CASUS LXI. Odo nobilis contra Balduinum hominem plebejum vindictam meditatus falso affirmat, se ab eo furto fuisse læsum. An tenetur Odo reparare damnum, quod Balduino sua calumnia intulit? Aut posito, quod verum dixerit, ad quid tenetur?

℟. Si Odo falso Balduinum furti insimulavit, tenetur id declarare: *tenetur restituere famam confitendo, se falsum dixisse,* ut ait Doctor angelicus 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. Si vero propalatum crimen veritate nitatur, & si propalatio sit injuste facta & animo vindicativo, fateri tenetur, se ex passione sic fuisse locutum, hominemque hunc injuste diffamasse. Si modus iste ad reparationem damni haud sufficiat, juxta eundem S. Thomam ibid. *tenetur, quantum potest, sine mendacio tamen.*

Si

Si insuper per calumniam intulit proximo damnum in bonis fortunæ, etiam istud resarcire tenetur. *Pontas.*

Nota. Si quis diffamando proximum vera dixit, & videat, bonam famam diffamati esse nocivam Deo, Ecclesiæ, Reipublicæ vel communitati, non tenetur restituere seu reparare famam. Si autem videat, ejus famam esse utilem Ecclesiæ vel Reipublicæ, tenetur ejusdem famam celebrare in aliis objectis.

CASUS LXII. Hippolytus atrociter columniatus est Sabinium, qui tamen testibus fide dignis se purgavit a calumnia, & effecit, ut Hippolytus pœnam in calumniatores latam subire coactus sit. An Hippolytus nihilominus tenetur revocare, & insuper compensare expensas, quas Sabinius facere debuit ad sui defensionem?

℟. Si revocatio jam sit inutilis Sabinio, Hippolytus non tenetur revocare: tenetur tamen in conscientia reparare damnum, quod per calumniam passus est Sabinius, & restituere expensas in suam defensionem necessariofactas. *Pontas.*

CASUS LXIII. Farulphus calumnia & infamia affecit Theocritem vicinum suum, qui tamen generose injuriam ipsi condonavit. An nihilominus tenetur Farulphus reparare famam offensi, expresse hanc obligationem offendenti condonantis?

℟. Tenetur duntaxat satisfacere Deo per sinceram pœnitentiam, & vivere cum Theocrite ex præscripto charitatis proximo debitæ. Facta autem condonatione ad reparationem famæ non tenetur, maxime si Farulphus sit persona privata, de cujus fama nec Ecclesiæ nec Reipublicæ particulariter interest. *Pontas.*

Nota. Etsi Theocrites sit persona privata & pauperrima, tenetur tamen calumniator revocare, si falsa dixit, etsi ipse supremus Princeps foret: in Christo enim omnes pares sumus, & calumnia gravius affligit miseros quam divites.

CASUS LXIV. Clemens & Judas mercatores ac concives mutuis se calumniis dilacerarunt. Unus eorum sese offert ad reparandam alteri injuriam, qui autem non solum idem facere recusat, sed & concivem suum diffamare pergit. An prior tenetur sub peccato mortali reparare famam alterius?

℟. Cum ambo sint ejusdem conditionis, & utriusque delictum æquale, uterque tenetur æqualiter ad reparationes famæ læsæ. Cum igitur unus eorum huic obligationi satisfacere renuat, alter quoque ab ea eximendus videtur: necesse

tamen est, ut ambo coram Deo factam sibi invicem injuriam ex corde condonent. Observandum hic, quod, si inæqualis forent conditionis, & unus alteri notabiliter graviorem intulisset injuriam, ille, qui gravius offendit alterum, non posset uti jure compensationis. *Pontas.*

Nota. Ne detur mutua prioritas excusationum in peccatis, tenetur quilibet prævenire alterum revocando calumniam & condonando injuriam.

CASUS LXV. Olivierus judicialiter fuit accusatus de commisso furto, & Artus testis fide dignus contra ipsum deponit. Olivierus autem ex actis authenticis probare potest, Artum in alia occasione falsum deposuisse testimonium, & hæc acta in judicio exhibet, queis Artus publice diffamatus est. Teneturne Olivierus coram Deo inustam Arto diffamationem resarcire? & quomodo?

℞. Supposito, quod Oliviero, alia sese purgandi via non patuerit, & quod exhibitio actorum servire valeat ad sui defensionem & testis reprobationem, utpote jam semel de falsitate convicti, Olivierus ad nullam tenetur famæ reparationem. *Si autem detectio criminis alieni*, inquit Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 2. quæsito 10. *non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem; sive quia potes aliter eam tueri, ut juramento vel testibus; sive quia tale crimen alienum detegere est ad tuam defensionem impertinens; peccas contra justitiam illud detegendo, & ad restitutionem obligaris. Pontas.*

Nota. Id Oliviero licet, si est innocens. Si autem est reus, & contra ipsum jam aliunde probatio habeatur semiplena, tenetur fateri crimen. Exceptione tamen contra Artum uti potest, ne habeatur pro legaliter convicto.

CASUS LXVI. Gracilianus conscius furti a Rauldo secreto commissi, eum, ut ipsius exitium promoveat, judici denunciat. An tenetur Rauldo reparare injuriam ex mera vindicta illatam?

℞. Gracilianus non peccavit quidem contra justitiam, peccavit tamen contra charitatem; & hinc ad nil allud tenetur quam ad pœnitentiam de suo peccato contra charitatem proximi commisso. *Aliquis potest alicui famam tripliciter auferre*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 62. art 2. ad 2. *uno modo verum dicendo & juste; puta cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato: & tunc non tenetur ad restitutionem famæ &c. Pontas.*

CA-

CASUS LXVII. Marcellus textor fericarius publico rumore furti notabilis Parifiis commiffi infimulatus inde aufugit pœnam evafurus, & Lugdunum fe contulit, ubi crimen hoc penitus ignotum erat, & verofimiliter nunquam innotuiffet, nifi Eutropius furti confcius id ibi manifeftaffet, & infuper iis indicaffet, qui Marcelli operam conduxerant. Peccavitne Eutropius, & num etiam ad aliquam reparationem famæ tenetur?

℞. Haud dubie peccavit graviffime contra præceptum charitatis naturale & divinum, quod vult, ut non faciamus alteri, quod nobis fieri nolumus; & quidem vix poffibile erit eum excufare a peccato mortali in hifce circumftantiis facti; eo quod, ut fupponitur, nec bonum publicum nec cujusquam privatum eum moverit ad hanc manifeftationem. Licet verum fit, Marcellum commiffo furto publice infamatum excidiffe jure ad famam fuam Parifiis, & ubique demum, ubi publica crimen ipfius notitia patet; non tamen inde fequitur, illum hoc jure fuo fine jufta caufa privari poffe etiam in locis remotioribus, in quibus mala ipfius agendi ratio erat incognita, & fors nunquam in notitiam ventura impofterum. Nihilominus fi Marcellus de furto judicialiter convictus publice pœnam afflictivam aut infamatoriam fubiiffet, Eutropius ad nullam teneri reparationem videtur ob factam Lugduni publicationem; quia 1. quilibet habet jus fciendi judicia publica ubicumque demum lata. 2. Quia mens legis eft, ut infamia publica conftituat partem pœnæ per fententiam condemnatoriam in reum latæ. Verum cum fententia publica judicialis in Marcellum non fuerit pronunciata, Eutropius in confcientia obligatur non folum ad reparationem pecuniariam, fed etiam, quod difficilius eft, ad reftitutionem famæ læfæ. *Pontas.*

Nota. Si Marcelli crimen jam erat notorium Parifiis, & fi timetur, ejus bonam famam fore nocivam Lugdunenfium non nullis, non videtur dari obligationem reftituendi. Vide Caf. 66.

CASUS LXVIII. Bertholdus contra regulas fraternæ correctionis publice divulgavit crimen occultum Natalis, & quidem ita, ut non amplius poffit reftituere ablatam Natali famam. Poteftne, aut etiam tenetur jacturam famæ reparare oblata fumma pecuniaria?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. certum effe videtur, quod Bortholdus per pecuniam teneatur reparare jacturam famæ ablatæ. *Confentiunt omnes*, inquit Covarruvias var. refol. L. 1. c. 2. n. 8. *famam poffe pecunia compenfari; tamen*

metsi maximæ æstimationis fama sit. Sic etenim aurum est pretiosius argento; & tamen magnum pondus argenti prævalet parvo auri ponderi. Ex quo patet, famam & honorem, ut res exteriores, hominum arbitrio subjici. Pontas.

Nota. Propalatores criminis veri non obligandi esse videntur ad restituendum in pecunia. Aliquando etiam Reipublicæ interest nosse vere malos.

CASUS LXIX. Cleonides ante duos vel tres annos honori cujusdam puellæ detraxit, quæ tamen hoc non obstante prosperrimum contraxit matrimonium, suoque cum marito in summa vivit concordia. Cleonides jam tandem confitetur hoc peccatum, quod hucusque memoriæ non occurrerat. An a confessario obligandus erit ad reparandam puellæ injuriam?

℞. Si detractio in audientibus nullam fecit impressionem, vel si detrahens verosimile judicet, detractionem jam esse oblivioni datam, vel denique si malum de puella propalatum postea certo innotuit, non est obligandus ad reparationem famæ. Idem dicendum; si quis per reparationem injuriæ sese exponere deberet periculo vitæ, aut sustinendi notabile malum in bonis aut persona sua. Verum si etiam diffamatus de vita periclitarerur, calumniator ad reparationem teneretur cum periculo propriæ vitæ; dummodo per detectionem calumniæ suæ possit salvare innocentem: *Hoc tamen intellige*, inquit Cabassutius L. 6. c. 22. n. 2. *modo suam declarando nequitiam liberaturus sit innocentem: nemo enim tenetur ad inutile opus cum proprio gravi incommodo. Pontas.*

Nota. Hæc doctrina, quod periculum incurrendi notabile malum a restitutione famæ excuset, nisi diffamatus ipse periclitaretur de vita, adversari videtur naturali principio: *Quod tibi non vis fieri* &c. saltem in casu, quo quis falsum crimen sparsit de aliquo.

CASUS LXX. Theophrastes Superior monasterii sciens, quod quidam suorum subditorum perversam inter alios doctrinam seminaret, eum clam corripit ex præscripto Evangelii; cum autem nulla fuisset secuta emendatio, rem detegit toti Capitulo adhuc penitus inscio. Teneturne Superior reparare famam hujus subditi?

℞. Non tenetur ad ullam restitutionem. *Quando judex aut quivis alius Superior*, ait Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 2. quæsito 10. *servatis debitis circumstantiis subditorum peccata occulta manifestat, vel ad eorum correctionem, vel ad aliorum exemplum, nulli restitutioni est obnoxius.* Idem dicendum de

subito

ſubito denunciante alterum de ſimili facto apud Superiorem. *Pontas.*

Nota. Hæc vera ſunt, ſi quis doceat propoſitionem a generali Concilio damnatam in terminis, vel profeſſioni fidei aperte contrariam. Circa ea vero, quæ Roma non damnat accedente uniformi aſſenſu Eccleſiæ, ſi quis diffametur ut hæreticus, vel ſuſpectus de hæreſi, ad reſtitutionem tenentur ſic diffamantes.

CASUS LXXI. Theodimus a Godefredo Marcelli famulo emit adamantem pro ſumma 150. florenorum, licet, ut probe ſciebat, Marcello ablatum a famulo, & eum donavit amico ſuo. Teneturne Theotimus reſtituere Marcello adamantem, vel juſtum ejusdem valorem, licet nihil commodi exinde perceperit?

℞. Si famulus non reſtituat, absque dubio Theotimus tenetur reſtituere vel adamantem, vel juſtum ejusdem valorem. *Rapinam emere non licet, niſi ea intentione, ut, cui eſt ablata, reddatur.* Can *Rapinam.* 5. 14. q. 5. Ratio eſt; quia, qui recipit rem, quam ſcit eſſe furtivam, nunquam illius aquirit dominium, etſi per plurium jam manus tranſierit; nec unquam poſſeſſor probare poterit, rem ad ſe pertinere. *Pontas.*

CASUS LXXII. Brutus abſtulit Deſiderio atramentarium argenteum, & vendidit Samſoni, qui illud bona fide emptum vel donavit amico, vel vendidit aurifabro; vel caſu fortuito perdidit. Teneturne Samſon poſtea comperiens, dictum atramentarium a Bruto fuiſſe furto ſublatum, ſaltem ejusdem valorem reſtituere Deſiderio?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 7. C. in præſenti caſu non tenetur: bona enim fides ab hac obligatione ipſum eximit. Si tamen poſſeſſor bonæ fidei vendidit rem alienam durante bona fide majori pretio, ac emerat, tenetur exceſſum reſtituere vero domino rei, ſi innoteſcat. Si autem nihil lucri aut commodi inde percepit, nulla datur obligatio reſtituendi pretium rei, quam alienavit, aut durante bona fide perdidit, ut docet S. Raymundus in Summ. L. 2. Tit. 6. §. 7. *Pontas.*

Vide Caſ. 96.

CASUS LXXIII. Silvanus horologium argenteum furto a ſe ſublatum vendidit Bertrando, qui non quidem certo ſciens, dubitans tamen, an non ſit res furtiva, pro eo perſolverat 25. florenos. An Bertrandus tenetur horologium reſtituere?

℞. Si Bertrandus horologium emit animo illud retinendi, non obſtante ſuſpicione furti, peccavit mortaliter, & tenetur exacte inquirere; dumque comperit, horologium eſſe

furto sublatum, tenetur ad restitutionem pretii, etiamsi quacumque demum ratione non amplius esset possessor horologii. *Qui dubitans, rem esse furtivam, nihilominus illam sibi emit*, inquit Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 6. quæsit. 3. concl. 1. *peccat mortaliter, & tenetur diligenter inquirere, an vere furtiva sit: quo comperto debet eam cum fructibus etiam consumptis restituere illi, ad quem pertinet: neque potest eam venditori reddere* Pontas.

CASUS LXXIV. Tullius jam ante decem annos furatus est cuidam mercatori 1000. imperialas, quos hucusque non restituit, licet facile potuisset. Ast nunc tandem restituere cogitat; sed quærit, num etiam censum annuum pro istis decem annis persolvere teneatur, ab eo tempore scilicet, quo furtum commisit.

℟. Si Tullio constat, quod sua restituendi mora mercatori damnum intulerit 750. florenorum, quam summam census annuus pro 1000. imperialibus per decennium conficit, tenetur etiam una cum summa ablata restituere censum decennalem. Si vero mercatori ex ablatis nil lucri decessit, nec quidpiam damni emersit, & Tullius ante hoc tempus restituere non potuisset, sufficit restitutio solius summæ principalis. *Pontas.*

CASUS LXXV. Didacus cujusdam campsoris numerator, cum per furta minuta sæpius repetita in consuetis solutionibus modo unum, modo duos, nunquam tamen ultra quatuor vel quinque crucigeros, sibi retinuisset, notabilem satis summam corrasit, & hoc non obstante sub pœna peccati mortalis ad restitutionem se haud teneri arbitratur ex hisce rationibus. 1. Quia nulli privatorum utpote divitum tantum damni intulit, ut sub pœna tam gravi ad restitutionem obligari possit. 2. Quia nullus læsorum præsumendus est habere intentionem exigendi restitutionem rei tam exilis sub pœna adeo gravi. 3. Quia foret impossibile debitam omnibus facere restitutionem; cum non amplius sciret quinam læsi fuissent. Sufficiuntne hæ rationes ad eximendum Didacum a restitutione?

℟. Rationes istæ nec ab obligatione restituendi eximunt Didacum, quæ per furta hæc minuta acquisivit, nec a peccato mortali, ni restituat. *Prima* ratio prorsus debili nititur fundamento; nam licet quivis in particulari non adeo graviter damnificatus fuerit, ut sub gravi peccato exigi possit restitutio, omnes tamen damnificati simul sumpti certe notabile damnum passi sunt. *Secunda* ratio, quæ primæ innititur,

titur, ejusdem debilitatis est : licet enim quivis privatus per furtum minutum læsus in particulari non habeat animum sub peccato mortali obligandi Didacum ad restitutionem, indubitatum tamen est, quod taliter læsus, si sciret, Didacum per ejusmodi furta minuta sæpius repetita fuisse locupletatum, sub gravi obligatione restitutionem sibi fieri vellet, idque exigente bono publico. *Tertia* ratio omnino nulla est; quia, dum damnificati non noscuntur, restitutio fieri debet Ecclesiæ vel pauperibus. *Pontas.*

Nota. Obligandus est ex rationabiliter præsumpta mente damnificatorum, & ex mente Christi exigentis prudentem usum clavium, ne foveatur impunitas scelerum, ut successive male parta expendat in causas vere pias, designando summam annuam viribus pœnitentis proportionatam.

CASUS LXXVI. Protogenes unum agri jugerum a vicino suo consitum ita destruxit, ut vix quidpiam fructus tempore messis inde retulerit. Teneturne vicino tantum restituere, quantum fructus ex hoc jugero sperari poterat; & quidem in eo valore, quo frumentum tempore messis stetit?

℟. Juxta S Thomam in 4. dist. 15 q 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad 4. non tenetur restituere tantum, quantam frumenti ager absolute proferre potuisset; quia ex variis casibus accidere potest, ut ager speratas fruges non pariat. Tenetur tamen restituere tantum, quantum ager ita consitus juxta æstimationem viri prudentis ac æqui & agriculturæ periti arbitri consideratis omnibus circumstantiis verosimiliter protulisset. *Pontas.*

Nota. Non solum valor spei, sed etiam impotentia recuperandæ spei in agricola paupere aliis frumentis & simul pecuniis destituto compensari debet.

CASUS LXXVII. Geraldus viri nobilis famulus per anni spatium plures vini lagenas ex cella heri sui surripuit, easque cum sociis suis consumpsit Teneturne restituere valorem vini?

℟. Quando res aliena consumitur mala fide juxta D. Thomam Quodl. 12. art. 25 C. semper datur obligatio restituendi. Hinc Geraldus ejusque socii furti complices tenentur restituere valorem vini. *Pantas.*

Vide Cas. 95.

CASUS LXXVIII. Anselmus abstulit Nicasio agricolæ quinquaginta modios frumenti optimi, quod ad conferendos agros suos emerat; & hinc non nisi frumento longe deteriori agros conserere potuit, quo factum, ut fructuum quarta

parte minus collegerit, quam collegiſſet ex frumento ablato. Teneturne Anſelmus reſtituere non ſolum juſtum quinquaginta modiorum pretium, ſed etiam quartam partem fructuum, quam ex defectu melioris ſementis colligere non potuit? Aut ſi Nicaſius agros omnino conſerere non potuiſſet, an Anſelmus teneretur reſtituere præter quinquaginta modios omnes fruges inde producendas?

℟. Absque dubio in utroque caſu Anſelmus tenetur ad plenam ac totalem reſtitutionem non ſolum rei ablatæ, ſed & ad integram compenſationem totius damni ex ablatione Nicaſio emergentis. *Pontas.*

CASUS LXXIX. Michael, Protaſius, Simeon & Victor ex condicto & collatis conſiliis Baſilio abſtulerunt 200. imperiales, quos Victor apud ſe depoſitos ſervat. Baſilius probe gnarus, Victorem, cui plurimum erat obſtrictus, eſſe e numero furum, remiſit illi roganti intuitu obſequiorum olim ſibi ab eo præſtitorum obligationem reſtituendi. An per hoc & reliquis obligatio reſtitutionis remiſſa eſſe cenſetur?

℟. Ille, qui rem furto ablatam poſſidet, tenetur ad reſtitutionem ante alios complices, qui omnes una cum ipſo in ſolidum obligantur. Hinc ſi damnificatus rem ablatam poſſidenti remittat obligationem reſtituendi, eandem & reliquis delicti ſociis remiſiſſe cenſendus eſt. *Si ex pluribus obligatis uni accepto feratur*, inquit lex *Si ex pluribus* 16. ff. Lib. 46. Tit. 4. *non ipſe ſolus liberatur, ſed & hi, qui ſecum obligantur. Nam cum ex duobus pluribusque ejusdem obligationis participibus uni accepto fertur, cæteri quoque liberantur: non quoniam ipſis accepto latum eſt, ſed quoniam velut ſolviſſe videtur is, qui acceptilatione ſolutus eſt. Pontas.*

Nota. Rationabiliter præſummi poteſt, Baſilium noluiſſe deobligare tres alios a ſua obligatione ſolvendi in ſolidum tres partes damni. Lex ethnica diſponit pro foro externo; ſed pro foro interno legem furibus ponit ſola intentio damnificati.

CASUS LXXX. Tribonius regimini civitatis præfectus recipit a Metello fundorum ad civitatem pertinentium conductore donum 100. imperialium, eoquod occaſione novæ locationis pretium ejusdem annuatim perſolvendum 250. florenis diminuerit. Poteſtne Tribonius retinere hoc donum? An non tenetur ad aliquam reſtitutionem civitati aut Metello conductori præſtandam?

℟. Si diminutio Metello conceſſa juſta eſt, Tribonius eam debuit gratis concedere, & tenetur reſtituere donum Metello: Tribonius enim eſt quaſi judex & arbiter in deſignan-

do pretio locationum a civitate constitutus ; juxta S. Augustinum autem Ep. 153. *non debet judex vendere judicium.* Si autem concessa diminutio injusta est, non solum tenetur restituere donum, sed etiam reparare damnum per dictam diminutionem civitati illatum. *Pontas.*

CASUS LXXXI. Romanus Capitaneus navis mercatoriæ cum portui jamjam appropinquans ex mera parsimonia rectorem navis adhibere nollet, ea ad scopulum allisa est, & inde Hieronymo & Basilio, quorum mercibus navis onusta erat, damnum illatum est plusquam 1000. imperialium. Num resarcire tenetur Romanus hanc jacturam?

℟. Quilibet navarchus renetur de damno ex defectu experientiæ suæ aut industriæ emergente. *Si magister navis*, ait Lex *Item.* 13. §. 2. ff. Lib. 19. Tit. 2. *sine gubernatore in flumen navem immiserit, & tempestata orta temperare non potuerit, & navem perdiderit, vectores habebunt adversus eum ex locato actionem.* Tenetur igitur Romanus reparare damnum culpa sua illatum. *Pontas.*

CASUS LXXXII. Casparus furatus est patinam argenteam in domo, quam frequentabat, eamque deaurandam curavit, ne eadem esse noscatur. Teneturne eandem patinam licet deauratam restituere, an tantum ejusdem valorem?

℟. Si res furto ablata extat adhuc in natura, eadem ipsa debet restitui juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ubi ait: *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ.* Ast vero si ejusmodi res fuerit meliorata, ut in præsenti casu, sufficit restituere valorem rei. *Pontas*

Vide cas. seq.

CASUS LXXXIII. Columbanus abstulit Claudio horologium pendulum sonans, cujus motus ad biduum durabat, duæ tamen rotulæ confractæ erant. Columbanus vero rotulas novas fabricari, motumque ad dies quindecim extendi curavit, imo & tabulam horariam ac cardines deaurari fecit. Potestne, dum horologium restituit, factas expensas repetere a Claudio?

℟. Tria distinquenda sunt expensarum genera, nimirum *necessariæ* ad conservationem rei furto ablatæ, *utiles* non tamen necessariæ, & *voluntariæ* ad proprium placitum, seu *voluptuariæ.* His suppositis censetur, Columbanum posse exigere expensas factas in duas rotulas utpote necessarias, & in prolongationem motus tanquam rem utilem, non autem expensas factas in deaurationem, utpote rem mere voluptuariam, & fors superfluam. Hæc vero dicta locum non ha-

berent in casu, quo Columbanus ad amittendas omnes expensas judicialiter condemnatus fuisset, cui sententiæ teneretur se submittere tanquam pœnæ propter furtum perpetratum jure promeritæ. *Pontas.*

CASUS LXXXIV. Ascanius subreptum Lambertino pallium coccineum vendidit Ægidio pro 15. florenis, qui per tres menses eo usus optima fide denuo illud vendit cuidam amico pro 22. florenis. Comperit autem postea Ægidius, dictum pallium Lambertino fuisse furto sublatum; hinc quærit, an non per bonam fidem, qua pallium emerat, ac denuo vendiderat, ab omni restitutione eximatur.

℟. Non obstante bona fide Ægidius tenetur Lambertino restituere septem florenos, quos ex venditione pallii lucratus est: hoc enim lucrum injustum est & repugnans juri naturali. *Si quis*, ait Cabassutius L. 6. c. 17 n. 8. *dum bona fide possidebat rem alienam, alteri vendiderit, ad id solum tenebitur, quod amplius acceperit juxta S. Thomam.* Et si Ægidius ab Ascanio gratis accepisset pallium, integrum pretium ex venditione redactum, scilicet 22. florenos teneretur Lambertino restituere. *Pontas.*

CASUS LXXXV. Alphonsus Tribonio advocato abstulit 50. volumina in folio Salmurii reposita, eaque Burdigalam misit, quo ipse profectus est, ibi domicilium fixurus. Teneturne hæc volumina propriis sumptibus Salmurium remittere?

℟. Absque omni dubio tenetur ad hoc. *Redintegranda sunt omnia expoliatis, & in eo loco, unde abscesserant, funditus revocanda.* Can. *Redintegranda.* 33. q. 1. Aliud dicendum foret de eo, qui invenit rem pertinentem ad alium, aut quidpiam alienum bona fide possidet: talis enim non tenetur ad expensas in restitutionem faciendas. *Pontas.*

CASUS LXXXVI Theonillus ovem Cornelio abductam gregi suo adjunxit, quæ postea agnellos genuit. Teneturne in conscientia ovem una cum agnellis restituere?

℟. Tenetur omnino juxta Cœlestinum III. Cap. *Gravis.* 11. Lib. 2. Tit. 13. Nam ovis est res fructificans, cujus fructus dominus ovis percepisset, si sublata non fuisset: interim tamen deduci poterunt expensæ in nutritionem ovis & agnellorum factæ. *Pontas.*

CASUS LXXXVII. Attalus Germano furatus est 500. florenos, & 1000. florenos debet Theodoro; at tota ejus substantia ad 1000. duntaxat florenos sese extendit. Cuinam horum prius solutio fieri debet?

℟. Ju-

℟. Justitiæ conformius est prius bonum ablatum restituere quam debita persolvere. Hinc Attalus prius tenetur Germano restituere ablatos 500. florenos, & dein dimidiam partem debiti solvere Theodoro: non enim licet contracta debita expungere ope æris alieni; & propriis bonis ad debitorum solutionem non suppedentibus, nulla datur coram Deo solvendi obligatio. Cajetanus in Sum. v. *Restitutio*, c. 8. n. 5. existimat, quod si lex aut consuetudo loci aliud statuerit, eidem sese conformare oporteat. *Pontas.*

Nota. Consuetudo non potest reddere licitam occultam retentionem alienorum: cum enim occulta sit, non potuit illi unquam conformiter accedere consensus legalis Principis. Lex justa autem talia permittere nequit, nisi causa maximæ necessitatis publicæ, quæ utrum versetur in non nullis loteriis ad furtiva privilegiatis, examinabit Deus.

CASUS LXXXVIII. Victricius furatus est triginta aureos Mauritio, viginti Joanni, quinquaginta Geminio, centum Mario, & Proculo centum. Omnia hæc per furtum acquisita jam consumpsit, exceptis centum aureis Proculo ablatis. Jam vero pro viribus restituere cogitat; hunc in finem vendidit residuam, quam habebat, suppellectilem pro centum aureis. Cum vero hæc summa addita centum aureis Proculo surreptis, quos adhuc possidebat, ducentos tantum efficiat aureos: sicque centum adhuc deficiant ad totalem restitutionem, quærit, qua ratione restitutio sit inter illos dividenda.

℟. Præ aliis restituendum est Proculo, cujus centum aureos adhuc possidet, de quibus nil competit cæteris. Residui centum aurei dividendi sunt inter reliquos, juxta proportionem tamen damni per furtum illati. *Pontas.*

Nota. Cum agatur in foro interno ad mentem solius Dei, ordo restitutionis, deductis prius iis alienis, quæ in individuo vel in æquivalenti extant, regulandus esse videtur secundum primam regulam omnium obligationum erga proximos mere personalium, nempe secundum ordinem charitatis divinæ & humanæ. Nec obstat, quod lex civilis circa creditores non privilegiatos juxta rationem debitorum æqualiter dividat damna: ea enim ad vitandas lites sic disponit non attenta prioritate creditorum, aut lege charitatis internæ. De cætero hic ordo restitutionis non convenit cum regula occurrente ad cas. 91.

CASUS LXXXIX. Donatus convenit cum quodam milite de remuneratione viginti imperialium, si Petrum inimicum suum egregie fustibus exciperet. Miles id executus petit a Donato promissam pecuniam, sed decem tantum obtine

re

re potuit imperiales. An tenetur Donatus etiam reliquos decem persolvere? Num miles promissas pro ejusmodi executione pecunias retinere potest?

℞. Nec Donatus tenetur implere promissum, nec miles acceptos decem imperiales salva conscientia retinere potest; cum hæc inter utrumque conventio adversetur legi naturali, divinæ, ecclesiasticæ ac civili. Decem imperiales autem nequaquam restitui debent Donato, sed pauperibus, aut applicari in alias causas pias: Donatus enim, qui has pecunias pro actione prava dedit, æque iis privari meretur ac miles, qui eas pro peccato recepit; cum uterque peccaverit contra justitiam & contra charitatem. Sic sentiunt S. Thomas & S. Antoninus. Concordat & lex *Ubi autem.* 3. ff. Lib. 12. Tit. 5. *Ubi autem & dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus; veluti si pecunia detur, ut male judicetur. Pontas.*

Nota. Hæc recte dicuntur, quamvis contra communem; circa leges enim naturales Deus nos judicabit non juxta opiniones authoritatis extrinsecæ, sed juxta legem inscriptam cordibus.

CASUS XC. Laurentius furatus est Theotimo 500. florenos, qui inde ad gravem redactus est paupertatem, & totidem Fabio viro diviti. Jam dimidiam solum ablatorum partem restituere potest. Quinam ipsi ordo servandus?

℞. Juxta S. Thomam Opusc. 73. c. 18. restituere tenetur ablata Theotimo utpote egenti, postposito Fabio jam aliunde opulento. *Pontas.*

CASUS XCI. Nicolaus furatus est 10. florenos Gabinio & totidem Titio, utrique prorsus æqualiter vel pauperi vel diviti. Quomodo facienda est restitutio a Nicolao, qui non nisi dimidiam ablati partem restituendo est?

℞. Si neuter damnificatorum restitutionem exigat, restitutio facienda est illi, cui prius furatus est Nicolaus: sic enim jus naturale exigit. Verum si alter, cui Nicolaus posterius furatus est, restitutionem petat sive judicialiter, sive privatim, hic in restitutione præferendus foret; quia *vigilantibus jura subveniunt.* Si uterque versaretur in necessitate extrema, restitutio inter eos æqualiter dividenda foret. *Pontas.*

Nota. Sola prioritas petitionis dependens a contingente concursu circumstantiarum non potest tribuere prioritatem juris in foro interno.

CA-

CASUS XCII. Remigius miles abstulit Martino equum, quem mense Septembri pro triginta aureis emerat, eum retenturus usque ad Martium, quo tempore, cum equi pro exercitu coemerentur, non dubitabat, se quinquaginta aureos pro eo obtenturum. Teneturne Remigius restituere Martino non solum triginta aureos, queis equum emerat, sed & illos viginti aureos, quos ex venditione equi brevi lucrari potuisset?

℞. Haud dubie in conscientia tenetur Remigius non solum restituere triginta aureos, sed etiam reparare Martino lucrum, quo ipsum privavit, deductis tamen expensis & periculo. *Si vero sint res, quæ ablatæ sunt*, ait S. Thomas Opusc. 73 de Usur. c. 20. *quæ ex sui natura possunt secundum naturam temporis augeri & crescere in pretio; tunc tenetur spoliator restituere pretium ipsarum rerum, quod valituræ erant secundum naturam rei & temporis. Pontas.*

CASUS XCIII. Andreas, Ægidius, Ludovicus & Bertinus abstulerunt omnes fructus ex horto Oliverii. Andreas erat principalis author furti, & omnium maxime reus: interim tamen Oliverius condonavit Andreæ obligationem restituendi. An per hoc etiam reliqui ipsius complices sunt pariter deobligati a restitutione?

℞. Si complices sublatos fructus non detinent, censendi sunt & ipsi deobligati a restitutione, præsertim si Oliverius Andreæ ostendisset, eodem etiam erga complices se esse animo. Quisquis vero eorum ablatos fructus apud se detineret, teneretur eos restituere. Item si reliqui tres fructus furati fuissent ex mandato aut commissione Andreæ, & Oliverius illis condonasset restitutionem, Andreas propterea non excusaretur ab obligatione restituendi, saltem nisi Oliverius generalem condonationem restitutionis eis impertitus fuisset. *Pontas.*

Vide cas. 79.

CASUS XCIV. Felix & Godefredus abstulerunt Flaviano horologium argenteum, illudque vendiderunt Norberto, qui noverat, horologium esse furto sublatum. Quisnam ex his tribus tenetur restituere?

℞. Authores furti solum tenentur ad restitutionem, si Norbertus non restituat, qui mala fide possidet horologium. *Si sciens emeris rem furtivam, domino teneris restituere, etiam cum jactura soluti a te pretii.* ait Cabassutius L. 6. c. 23. n. 4. *Pontas.*

CASUS XCV. Blesilla cujusdam mercatoris famula cellaria singulis septimanis duas vini mensuras surripit, easque

servo mercium tabernæ præfecto porrigit præter portionem ordinariam illi debitam. Quisnam eorum tenetur ad restitutionem? an famula, quæ abstulit? an servus, qui vinum ablatum consumpsit?

℟. Servus, qui vinum hauserat; tenetur primus ad restitutionem. Ratio est; quia ille, qui rem mala fide consumpsit, considerandus est, ac si etiamnum possessor foret: *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere* Reg. jur. 36. in 6. Si autem hic non restituat, ancilla restituere debet. Una parte valorem ablati restituente, altera ad nullam amplius restitutionem tenetur. Observandum tamen, quod si Biesilla fecisset restitutionem, & servus illi promisisset indemnisationem, hic ad eam præstandam in conscientia obligaretur. *Pontas.*

Nota. Si furtum non contigit ex mandato vel instinctu servi, prius ad restitutionem obliganda videtur Biesilla authrix furti, quam participans. Vide cas. 77.

CASUS XCVI. Fullonius abstulit Joanni argenteum atramentarium, quod postea donaverat Titio probe gnaro, illud fuisse furto sublatum; & Titius paulo post amisit atramentarium. Quis amborum tenetur ad restitutionem?

℟. Ambo in solidum obligantur ad restitutionem Joanni faciendam, qui habet jus conveniendi, quemcumque voluerit. Fullonius tenetur restituere ratione *injuriosæ acceptionis*, & Titius ratione *rei acceptæ*, ut loquitur S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. ad 1. Beneficium discussionis, quo uti possunt in solidum obligati ad debitum *civile*, si eidem non renunciarunt, nunquam se extendit ad debita contracta per delictum. *Pontas.*

Nota. Prius tenetur restituere author furti quam participans v. g. donatarius, si neuter possideat rem: hic enim ordo restitutionis dictante lumine naturæ agnoscitur ab authoribus. Vide cas. 72.

CASUS XCVII. Flaminius ante quinque vel sex annos Cæsari hero suo abstulit 20. dupliones Gallicos. Sincera autem tandem pœnitentia ductus hanc pecuniæ summam dedit confessario suo, ut redderet Cæsari. Confessarius postridie viam ingressus, ut pecuniam deferret ad Cæsarem, cum navigio flumen traiceret, in aquas ejectus ac submersus est; sicque casu fortuito & pecunia periit. Teneturne Flaminius alios 20. dupliones Cæsari restituere? An semper ad id teneretur in simili casu, si sæpius accideret?

℟. Jux-

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 6. C. obligatio ex delicto non tollitur, donec res restituenda pervenerit in manus domini sui. Hinc Flaminius obligatur ad restituendos Cæsari alios viginti dupliones; & hoc in omni alio casu simili toties, quoties accideret. Aliud dicendum foret, si ipse Cæsar designasset confessarium pro facienda restitutione. *Pontas.*

Nota. Quamvis confessarii non sint mandatarii constituti a dominis damnificatis; videntur tamen ad hoc admittendi tanquam judices constituti a Deo, & tacite acceptati a populis. Quis autem debitorum conveniatur de novo, si pecuniam deposuit in manus judicis?

CASUS XCVIII. Ruffina defuncto marito, ex quo prolem non susceperat, ex bonis utrique parti communibus clanculo subtraxit crumenam 500. florenos continentem, & ornatum muliebrem 200. florenis constantem adjuvante Angelica affine sua, cui in remunerationem decem dupliones dederat. Poteftne confessarius obligare Angelicam ad ampliorem restitutionem quam decem duplionum?

℞. Angelica a confessario non solum obliganda est ad restituendos decem dupliones, quos in remunerationem operæ ad furtum præstitæ receperat, sed etiam ad reparationem totius damni hæredibus defuncti per hoc furtum illati: cum enim non minus fuerat causa furti ac ipsa Ruffina, cum ea in solidum obligatur ad restitutionem, ita, ut si Ruffina non velit aut non possit restituere, ipsa teneatur ad totum. Si autem plus restituere non possit, quam quod percepit, obliganda saltem est a confessario, ut omni modo possibili urgeat Ruffinam ad restituendam reliquam partem. *Pontas.*

Nota. Imo tenetur Angelica denunciare complicem, si præmonita nolit restituere, procurata tamen prius sibi impunitate; vel saltem comminatione denunciationis ad restitutionem adigenda est.

CASUS XCIX. Gunebaldus agricola frumentum ablaturus vicino suo jussit pastorem suum scalam afferre, eamque sustentare, ut in horreum facilius eluctari posset, ac interea fideles servare custodias, ne in flagranti deprehenderetur. Id omne executioni datum, & Gunebaldus repetitis vicibus duodecim frumenti modios abstulit; ac post aliquot menses subitam mortem oppetiit, nulla facta restitutione aut dispositione, ut restitutio fiat a suis liberis. Teneturne pastor ad restitutionem, qui non nisi metu suum amittendi servitium adactus hero suo operam præstitit?

℞. Pa-

℟. Pastor hic vere cooperatus est furto, quod commisit herus ipsius; & hinc tenetur ad restituendum ablati frumenti pretium. *Ad restitutionem tenetur aliquis*, ait. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. *non solum ratione rei alienæ, quam accepit, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis. Et ideo quicumque est causa injuriosæ acceptionis, tenetur ad restitutionem. Pontas.*

Nota. Obligandus est ad monendam uxorem ac liberos sub comminatione denunciationis judicialis, ut restituant.

CASUS C. Natalis occulta clave instructus ad referandam Flori vicini sui cellam vinariam intra sex menses abstulit integrum fere dolium vini optimi pluries amicis suis propinati, qui nullam de furto habebant notitiam. Florus detecto Natalis furto criminalem illi processum intentavit, qui autem rem advertens relicta patria alio secessit. Teneturne amici illius in foro interno ad restitutionem vini ablati, saltem pro rata portionis, quæ cuilibet obtigit?

℟. Non tenentur ad ullam restitutionem; quia bona fide consumpserunt vinum, nescientes esse furtivum. Tenerentur autem restituere, si res furtiva adhuc extaret in natura, & necdum fuisset consumpta, aut si lucrum exinde percepissent. Unde sequitur, quod, si amici Natalis ad refectionem ordinariam vinum sumere consuevissent, & suo proprio vino servato usi fuissent vino Flori, quamvis bona fide, tenerentur restituere pro ratione lucri exinde percepti; quia evidens est ex lege, quod etiam possessor bonæ fidei restituere teneatur id, *ex quo factus est ditior*; quod & conforme est legi naturali, quæ non permittit, ut quis ditescat ex alieno. *Pontas.*

CASUS CI. Leonardus ablata noctu ex taberna Stephani tria panni volumina ad Flavianum cognatum suum detulit, a quo tamen post octiduum furi restituta fuerunt. Teneturne Flavianus furti conscius Leonardo non restituente ad restitutionem panni?

℟. Cum sciverit Flavianus furtum, illudque occultaverit, tenetur una cum fure in solidum ad restitutionem; cooperatus est enim efficaciter ad furtum illud celando, & rem ablatam furi restituendo, quam ex manibus non dimittere, sed potius Stephano restituendam curare debuisset. *Pontas.*

CASUS CII. Nobilius consilium dederat Cajo, ut Joanni patruo suo auferat 200. florenos ad sustentandum commercium suum, cui jam prope collapso alia ratione subvenire haud

haud poffet. Sequitur confilium Cajus, animo tamen refti-tuendi, quamprimum poffet. Nobilius autem dati confilii pœnitens ac veritus, ne ipfe ad reftitutionem hujus fummæ a confeffario obligaretur, eo retractato ab ejusdem executione Cajum avertere conatus eft; fed nil egit, & furtum fuit perpetratum. Teneturne Nobilius in defectu Caji ad reftitutionem?

℟. Cum primum Nobilii confilium, etfi poftea retractatum, vere furti caufa extiterit, excufari haud poffe videtur in defectu Caji a facienda reftitutione. *Tenetur confiliator aut palpo, id eft adulator, ad reftitutionem*, ait S.Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. C. *quando probabiliter æftimari poteft, quod ex hujusmodi caufis fuerit injufta acceptio fubfecuta.* *Pontas.*

CASUS CIII. Salomon & Andreas Bartholomæo clam declarabant, fe Stephano furatum ire. Bartholomæus applaufit & confenfit eorum propofito, laudavit infuper illorum induftriam, confuluitque, ut conceptum exequerentur propofitum. Teneturne Bartholomæus æque ac illi commiffo furto ad reftitutionem?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art.7. C. non omnis confenfus obligat femper ad reftitutionem, fed folum ille, fine quo injuftitia non fuiffet commiffa fine ipfius confenfu vel confilio; ut denuo docet D. Thomas in 4. dift. 15. q. 1 art. 5. quæftiunc. 3. C. Cabafsutius advertit, quod dubitans, an efficaciter cooperatus fuerit ad damnum proximi, probabilius teneatur reftituere, fi præcipui ac primarii furti authores non reftituant. Notandum denique, quod dantes confilium etiam bona fide & absque omni malitia contrahant culpam notabilem, quæ in jure dicitur culpa levis, & confequenter teneantur ad reparationem damni fuo confilio illati, fi confilium dederunt ex officio, vel honorarium receperunt ab iis, a quibus fuerunt confulti, ut funt v. g. advocati, procuratores, & alii hujusmodi: confilia enim eorum admittuntur; quia ex fuo illa fuggerunt officio, & neceffariam ad hoc habilitatem poffidere fupponuntur. *Pontas.*

CASUS CIV. Ulyffes Jacobo declaraverat, fe Petro furaturum 100. dupliones; Jacobus autem ipfi confulit, ut tantum auferat quinquaginta, id quod executus eft Ulyffes. Teneturne Jacobus ob datum confilium reftituere Petro quinquaginta dupliones, pofito quod Ulyffes non reftituat? Aut fi Ulyffi a propofito damnificandi Petrum penitus abducto author fuiffet, ut Paulo potius utpote ditiori tantundem auferat, an in foro confcientiæ condemnandus effet ad aliquam reftitutionem Paulo faciendam?

℟. Quoad primum Jacobus non potuit absque injustitia hujusmodi consilium suggerere Ulyssi. Idem dicendum quoad alterum: nunquam enim licet consulere actionem jure naturali vel divino prohibitam, & essentialiter malam. Hinc in utroque casu, si Ulysses non restituat, tenetur Jacobus reparare damnum, cujus vere causa extitit pravo suo consilio. Idque clare patet ex pluribus locis D. Thomæ supra citatis. *Pontas.*

Nota. Si Jacobus efficaciter ac sincere dissuasisset totum malum; nec tamen habuisset medium illud impediendi, non peccasset suadendo minus malum; manente tamen obligatione, denunciandi furem modo dicto ad casum 98.

CASUS CV. Joannes & Petrus jure hæreditario successerant in bona Bernardi patris sui, qui paulo ante mortem suam Placido abstulit 100. florenos nec restitutos, nec hæredibus proficuos; quia ab ipso defuncto jam dissipati fuerant. Tenenturne Joannes & Paulus ad restitutionem?

℟. Hæredes defuncti, qui bona aliena diripuit, tenentur reparare damnum furto illatum, ut ait S. Thomas q. 4. de malo. art. 8. resp. ad arg. 15. & cum juxta eundem peccatum patris transeat ad filium *quantum ad pœnam*, Joannes & Petrus tenentur restituere hos 100. florenos. *Pœna temporalis*, inquit idem ibid. ad 7. *qua filius quandoque punitur, habet pro causa culpam in patre præcedentem. Pontas.*

Nota. Si bona forent immobilia tantum, eaque inalienabilia vel inonerabilia sine aliorum consensu v. g. domini directi aut familiæ, eatenus obligatio ex bonis furtivis consumptis, nec æquivalenter extantibus non transiret ad hæredes.

CASUS CVI. Numerianus vir dives ac beneficus propinquam sibi mortem intuens condito testamento holographo pure ac simpliciter legavit duo meliorum vinearum suarum jugera cuidam conventui Religiosorum mendicantium, paupertate non minus quam regulari disciplina conspicuo. Defuncto Numeriano Zenobius ipsius filius occultato testamento duo vinearum jugera per totam vitam suam possidet; donec tandem morti proximus duobus filiis suis Jacobo & Juliano declaraverit, hæc duo jugera pertinere ad prædictum Conventum, illisque Numeriani testamentum exhibuerit cum mandato, ut Religiosos continuo in possessionem mittant, quod & fideliter executuros se spoponderunt. Verum filii de adimpienda patris sui Zenobii voluntate minime solliciti, post mortem ejus diviserunt inter se hæreditatem defuncti,

in

in quam & ipsa duo jugera trahebantur, quæ Juliano obtigerant. Julianus quoque e vita migravit nulla facta restitutione, & duo ista jugera partitis defuncti bonis transierunt ad aliquem cohæredum Jacobi. Denique Jacobus actuali morbo periculose decumbens obtinere nequit absolutionem, nisi plenam Religiosis præstet satisfactionem, quam quidem præstare statuit, in executione autem gravissimas difficultates reperit; cum ipse non possideret hæc jugera, & possessor se se opponeret. Jam quæritur, quomodo hoc Jacobo propositum ad felicem exitum perducendum. Potestne cum Religiosis transigere oblata numerata pecunia, ea tamen conditione, ut singulis mensibus pro anima Numeriani privatam missam celebrent? An facta hac transactione omnis erga illos Jacobo remissa est obligatio? An in solidum una cum jugerum detentore tenetur ad faciendam restitutionem? Num, quod fructus a morte Numeriani perceptos attinet, pariter in solidum tenetur ad integram eorundem restitutionem, supposito quod ex parte Religiosorum nulla ipsis fiat condonatio?

℞. Evidens est Zenobii filiorumque ejus injustitia, quæ naturam habet quasi sacrilegii. Hoc supposito, ante omnia a Jacobo Numeriani testamentum exhibendum est publico Notario, ut communitas religiosa authenticum extractum obtineat. Quod attinet Zenobium, non debuisset illi sufficere, suis liberis solam vineæ restitutionem præcipere, sed etiam addere obligationem restituendi justum valorem omnium fructuum perceptorum; cum hæc duplex obligatio æqualiter sit necessaria. Nec Jacobus Zenobii filius nec actualis duorum jugerum possessor secura conscientia cum Religiosis transigere possunt, nisi declarata prius veritate facti. Dein non possunt Religiosos obstringere ad celebrandas missas, nec alia iis onera imponere, nec obligare illos ad acceptandam certam pecuniæ summam loco duorum jugerum. Denique obligatur Jacobus in solidum una cum detentoribus vineæ ad integram restitutionem Religiosis debitam; & ad hanc restitutionem tenetur ex proprio, si detentor jugerum adduci non possit, ut aliquam restitutionis partem conferat. Eodem modo in solidum tenetur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum, deductis expensis. Id quod apprime justitiæ consentaneum est, cum post mortem parentis sui semper fuerit, & etiamnum sit injustus detentor testamenti a Numeriano avo suo erecti, sicque vera & unica causa exti erit totius damni monasterio illati. *Si culpa tua datum est damnum*, inquit Gregorius IX. Cap. *Si culpa*. fin. Lib. 5. Tit. 36. vel injuria irroga-

 tis,

ta, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti . . . . jure super his satisfacere te oportet. Pontas.

Nota. Circa fructus non amplius in æquivalenti extantes posset restitutio regulari per legem charitatis juxta dicta ad Cas. 88.

CASUS CVII. Franciscus mercator per exercitas pluribus annis usuras tria florenorum millia lucratus restitutionem jam meditatur. Sed præter hæc debet bis mille florenos pro mercibus credito sibi subministratis, & omnes ipsius facultates quatuor florenorum millia non excedunt. Teneturne restituere lucrum usurarium præ aliis debitis legitime contractis?

℟. Tenetur expungere bis mille florenorum debita ante restitutionem lucri usurarii juxta Card. Cajetanum in Summ. V. *Restitutio.* c. 8. n. 6. & 7. Expunctis his debitis facienda est ex residuis restitutio lucri usurarii, si id non amplius existat in natura: si enim extaret adhuc, prius deberet restitui. Ratio responsionis, quam affert Gaucericus in suis annotationibus ad cit. c. 8. Summæ Cajetani, est hæc: quia justitia exigit, ut restitutio prius fiat illi, qui nullo modo consensit in amissionem bonorum suorum, quam ei, qui aliquali saltem ratione consensit, ut is, qui usuras persolvit. Si autem Franciscus præcedentes usuras solvendo impar evasisset per debita posterius contracta, ut si v. g. debuisset solvere dotem, aut contractum quemdam gratuitum iniisset; quo in casu restitutio usurarum perceptarum præferenda foret solutioni debitorum posteriorum. Ratio Cajetani est hæc: *quia hujusmodi contractus supervenientes usurariis debitis non debent tollere aut impedire jus illarum, quibus debent usuræ restitui; constat autem, quod illorum jus tolleretur ex hujusmodi supervenientibus contractibus eo ipso, quod ex illis contrahens redditur impotens ad restituendum usuras; quia in restituendo hæc, id quod debebatur pro usuris, oporteret dari pro ipsis contractibus.* Idem quoad omnia hæc sentiunt Grassius Decis. aur. L. 2. c. 133. n. 8. & Navarrus Man. c. 17. n. 53. *Pontas.*

CASUS CVIII. Martinus cum Aurelia Parisios iter pedes faceret, offendit in Benedictum silva intermedia egressum, & ex eo sciscitatur, an silva non esset prædonibus infesta. Benedictus, qui diu occultum odium foverat erga Martinum, respondet, viam esse tutissimam, nihilque latere periculi; etsi re ipsa in tres prædones incurrerit, quos ægre equi velocissimi beneficio effugerat. Martinus iter prosecutus incidit in prædones, & centum, quos secum habebat, florenis spoliatur. Teneturne Benedictus in conscientia Martino restituere summam a prædonibus ablatam?

℟. Jux-

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 7. tenetur: patet enim, Benedictum revera consensisse in furtum Martino illatum, eumque totius damni causam extitisse. *Quia*, ut ait Sylvius Var. resol. V. *Restitutio.* 1. *non tantum non manifestavit fures, sed eos occultavit, mendaciter negando, eos esse in itinere.* 2. *Quia damnum secutum quidem est ex perversa furum voluntate, sed cui ipse per mendacium cooperatus est.* 3. *Quia non habuit se negative, sed positive, mendaci nimirum sua assertione juvando fures, qui prædam expectabant.*

CASUS CIX. Theodorus & Mævia per quæstum peccaminosum centum florenos lucrati sunt. Tenenturne ad restitutionem, cum peccatum non sit titulus legitimus juste aquirendi?

℟. Verbis hisce: *aquirere per peccatum* vel quæstum peccaminosum multiplex potest sensus attribui. Sic 1. potest quis aquirere quidpiam titulo legitimo, etsi peccet aquirendo, v. g. dum diebus Dominicis aut festis pro mercede absque ulla necessitate peragit opera servilia, aut dum mercator præfatis diebus publice venales exponit merces suas; & in hisce casibus non datur obligatio restituendi. 2. Non tenetur restituere quis pecuniam ob admissum peccatum gratis datam, si nulla lex divina aut humana eam dari prohibeat; ut si Mœvia a fornicario admissi peccati causa centum florenos accepisset. Sunt tamen Authores insignes, qui censent, ejusmodi lucra, utpote injusta, retineri non posse, sed expendi debere in eleemosynas aut alias causas pias pro satisfactione peccatorum. S. Beuve tom. 3. cas. 148. 3. Quando quis cum alio convenit de danda pecuniæ summa pro ponenda actione peccaminosa, illam recipiens tanquam stipulatam pro peccato mercedem non tenetur ad restitutionem, nisi ejusmodi conventio a lege ut nulla declaretur, aut repugnet justitiæ commutativæ: in hoc enim casu conventio est nulla, & obligatio restituendi indispensabilis. 4. Si res per peccatum aquisita includit injustitiam, restitui debet, ut si Theodorus & Mœvia centum florenos lucrati fuissent per rapinam, furtum aut usuram. 5. Lucra per simoniam aquisita restitui debent pauperibus. Ex hisce principiis facilis est responsio ad casum præsentem, ponderatis exacte circumstantiis concurrentibus. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio quoad n. 3. non satis cohærere videtur cum responsione ad cas. 80. Tenendum est, omnes contractus sub conditione turpi initos esse jure naturali invalidos. Non igitur opus est lege irritante positiva

CASUS CX. Optatus inter bona Gilberti, cui ut hæres successerat, reperit aureum horologium viginti quinque duplionibus æstimatum, quod hucusque nunquam apud ipsum viderat. Novit Optatus, Gilbertum de commissis furtis vehementer fuisse suspectum, nec unquam ejusmodi conditionis fuisse, ut emere potuerit rem tanti pretii; hinc satis prudenter dubitat, an non horologium istud a defuncto fuerit furto sublatum. Teneturne Optatus pretium horologii erogare in pauperes, nemine illud reclamante?

℟. Cum dubium prudens ac bene fundatum sufficiat ad turbandam bonam fidem, Optatus tenetur omnem adhibere diligentiam ad indagandam rei veritatem; & si detexerit, horologium non pertinuisse ad Gilbertum, obligatur ad ejusdem restitutionem. Verum si adhibita omni possibili diligentia in veritatis notitiam venire non potuit, dubium ipsius desinit esse prudens, & bona fides eum excusat ab obligatione restituendi. *Pontas.*

Nota. Ex obligatione incerta non potest nasci onus restituendi certum. Tenemur quidem probabiliora sequi in dubio juris, non autem in dubio facti. Tenetur igitur Optatus asservare horologium tamdiu, donec spes detegendi verum dominum evanescat, sicque supponendo esse rem inventam præscribat.

CASUS CXI. Joannes, Jacobus, Petrus & Paulus adierant hæreditatem Ludovici patris sui defuncti, & cuilibet ex bonis ipsius cesserunt 10000. floreni. Ludovicus autem gravabatur debitis non nullis ante mortem necdum expunctis. An quatuor ipsius liberi obligantur in solidum ad expungenda hæc debita, ita ut duobus solutionem recusantibus, aut non habentibus, unde partem suam conferant, reliqui duo teneantur soli ad præstandam totalis summæ solutionem?

℟. Duo distinguenda sunt genera debitorum, ad quorum solutionem quis tenetur ante mortem. Alia proveniunt ex contractibus vel quasi contractibus, & sunt vel *hypothecaria* vel *personalia*; & alia proveniunt ex delictis aut quasi delictis. Si debita Ludovici sunt de primo genere & simul hypothecaria, quatuor hæredes tenentur in solidum ad ea expungenda; & pro rata partis ex hæreditate perceptæ, si sint personalia. Et hæc distinctio inter debita hypothecaria & personalia clare statuitur non solum a legibus Romanis, jure consuetudinario, & tribunalium stylo in omnibus supremis Curiis universaliter observato, sed etiam a jure canonico. Si autem debita Ludovici sunt de secundo genere, quod consistit in lucris illicitis, hæredes juxta leges civiles non obligan-

gan-

gantur in solidum, nisi personæ læsæ defuncto ante suum obitum actionem intentassent. Nihilominus non conveniunt Canonistæ hac super re, aliis hæredes semper obligantibus, aliis non nisi conformiter ad consuetudinem loci, ubi casus contingit, eos obligantibus; & hæc secunda opinio præferenda est primæ. Observandum denique quoad illicite aquisiti & ex usura provenientia, obligationem restituendi non cadere super lucra & emolumenta, quæ quis percepit ex summa usurarie aut quomodovis illicite aquisita, sed solum super ipsam summam. *Pontas.*

Nota. Vide & sequere potius dicta ad casum 105. Si bona erant onerabilia absque alterius consensu, eo ipso in contractibus bonæ fidei præsumenda sunt fuisse jure naturali obligata per modum hypothecæ privatæ.

CASUS CXII. Hyacinthus mercator possidet viginti millia florenorum legitime aquisitorum & quinque millia male partorum; moriens jam reliquit quinque millia Huberto natu minori filio per modum legitimæ; reliqua omnia transtulit in Judam filium natu majorem. Hubertus expresse monuit fratrem suum, inter bona hæreditaria patris reperiri 5000. florenos male partos, eumque ad faciendam restitutionem est exhortatus, oblata simul sua parte juxta proportionem adeptæ hæreditatis; quod tamen ut crederet, Judas adduci non potuit. Teneturne Hubertus recusante id fratre solus restituere integram summam male partorum, aut tantum pro rata portionis suæ hæreditariæ?

℟. Restitutio 5000. florenorum male aquisitorum fieri debet juxta dispositionem consuetudinis pro diversitate locorum variam. Consuetudo frequentior est, vi cujus Hubertus ad restitutionem tantum contribuere deberet quintam partem, & Judas teneretur ad residuum. *Pontas.*

Nota. Hæc consuetudo est juri naturali conformis, nisi summa Huberto relicta in individuo foret male parta.

CASUS CXIII. Caninius in mandatis dederat Diomedi famulo suo, ut auferat Joanni crumenam 500. florenos continentem; & Afranius consuluit Diomedi, ut exequeretur mandatum heri sui. Diomedes abstulit crumenam, eamque reposuit in manus Mæviæ consentiente Jacobo marito ipsius, ita ut utrique eorum furtum plene innotuerit. Julianus tandem, qui potuisset ac debuisset impedire furtum, noluit impedire. Quisnam ex his omnibus tenetur primus ad restitutionem? & hoc deficiente quis dein?

℟. Si Mæviæ adhuc ad manus funt 500. floreni, illa præ omnibus tenetur ad reftitutionem, utpote poffidens rem alienam. *Cum plures in folidum reftitutioni aftringuntur*, ait Cabaffutius L. 6. c. 23. n. 1. *obfervandus eft hic ordo, ut primum teneatur is, qui rem habet adhuc in fua fubftantia, aut certe æquivalenter, puta fi ex aliena re jam confumpta factus eft ditior.* Deficiente Mævia tenetur præ reliquis Caninius, tanquam furti caufa principalis. *Hoc vero non reftituente tenetur fecundo ordine is, qui damnum alteri fieri mandavit, utpote caufa damni principalis. Qui autem fub eo damnum fecerit, inftrumentalis eft caufa.* Idem ibid. Tertius igitur obligatur Diomedes, qui furtum perpetravit; & his tribus deficientibus Afranius, qui dedit confilium ad committendum furtum. Etfi Mævia non amplius in fua poffeffione habeat rem ablatam, ipfa tamen & maritus aliis deficientibus tenentur ad reftitutionem, cum certe participes fuerint commiffæ injuftitiæ. Denique reliquis omnibus deficientibus tenetur reftituere Julianus, fi ratione officii aut fervitii fui debuit avertere omne damnum ab hero fuo. De cætero notandum 1. Si poffeffor rei ablatæ reftituit, omnes reliqui complices liberantur ab obligatione reftituendi. 2. Idem dicendum, fi reftitutio fuit facta ab eo, qui dedit confilium. 3. Si ii, qui fuerunt caufæ furti minus principales reftituerunt, caufæ magis principales tenentur eos fervare indemnes. 4. Denique fi quis eorum, qui funt caufæ minus principales, obtinuit ab eo, cui debetur reftitutio, condonationem fuæ in particulari reftituendæ partis, reliqui non amplius obligantur nifi ad reftituendam fuam pro fe quisque partem pro integra damni reparatione. *Pontas.*

CASUS CXIV. Sylverius, Lampridius & Orontius ex condicto noctu Gabrieli de confilio Jacobi abftulerunt quisque fex vini amphoras, aliis duobus interea excubias agentibus, ne primi tres deprehenderentur. An uno integrum damnum reparante reliqui ab omni reftitutionis onere funt liberi?

℟. Quod refponfum eft ad cafum præcedentem, id ipfum refponderi poterit ad præfentem. Si Sylverius totum damnum illatum reparet, Jacobus, qui dedit confilium, & duo excubitores ab omni prorfus reftitutionis obligatione liberi funt. Lampridius tamen & Orontius tenentur Sylverio præftare indemnitatem pro ratione portionis, quæ ipfis ex furto obtigit. *Pontas.*

CASUS CXV. Gabriel, Andreas & quatuor alii domeftici ante feptem vel octo annos ex condicto repetitis vicibus Ferdinando hero fuo 250. florenos abftulerunt. Gabrielem

hac

hac de re in confessione se accusantem obligavit confessarius ad restituendam totam summam; qui tamen pro excusatione reposuit 1. portionem ablati, quæ sibi obtigit, vix triginta florenos adæquare. 2. Verosimile non esse, quod complices furti, aut saltem non nulli eorum non restituerint partem suam. 3. Evenire posse, ut sexies Ferdinando integra summa redderetur, si quilibet complicum in solidum obligetur ad restituendam totam summam.

℟. Prima ratio Gabrielis non potest admitti; cum certum sit, quemlibet complicum furti obligari in solidum ad faciendam integram restitutionem ablati. Secundam rationem proprio Gabriel exemplo destruit, dum tamdiu confessus non fuit, aut saltem furtum in confessione non exposuit, id quod etiam a complicibus fieri potuit; credibile insuper non est ab ullo eorum restitutionem factam fuisse; cum sit rarissimum, fures esse & perseverare in concepto restituendi proposito. Tertia demum ratio nulla est; quia remanente semper perpetrati furti certitudine certa remanet restituendi obligatio, complicemque de facta restitutione certum esse oportet; meraque possibilitas Gabrielem coram Deo excusare non potest. Totum, quod in hoc casu facere potest Gabriel, est, ut inquirat, an restitutio facta fuerit; & posito, quod facta fuerit, tenetur suam ablati portionem, nempe 30. florenos restituere illi, a quo facta est integra restitutio. *Pontas.*

CASUS CXVI. Blasius vineam Christophori viri omnibus infensissimi ingressus sepes rumpere ac vites evellere incipiebat. Quatuor alii fortuito ibi se detinentes cæptam devastationem prosequebantur, quin tamen a Blasio fuerint instigati. Alii duo primorum exemplum secuti idem fecerunt, ita ut brevi temporis intervallo vinea penitus fuerit destructa. Tenenturne singuli isti septem in solidum ad reparandum damnum?

℟. Si omnes ex condicto delictum hoc commisissent, omnes, & quilibet in particulari, tenerentur in solidum reparare damnum illatum. Licet autem in præsenti casu nulla intervenerit conspiratio; cum tamen pravo exemplo maxima insit vis etiam alios trahendi in societatem criminis, & quo plures ad illud perpetrandum concurrunt, eo majori singuli accendantur audacia, etsi quilibet tantum proprio suo motu agat, satis probabiliter defendi potest, omnibus in particulari incumbere obligationem in solidum reparandi damnum, etiam illo non excepto, qui ex parte sua non nisi modicum contulisset. Sic sentit S. Bernardinus Serm. 33. in Dom. 4. Quadr. art. 2. cap. 1. Tom. 1. Nihilominus cum in casu pre-

proposito damnum fuerit illatum successive, & diversis temporibus, non videtur quilibet in particulari obligandus in solidum ad reparandum integrum damnum, sed tantum pro ratione damni a se illati. *Pontas.*

CASUS CXVII. Fulcus & ducenti cum eo fanatici, quorum caput erat, ex condicto urbem quamdam expilarunt. Fulco in prædam venerunt 100. dupliones; conversus autem postmodum partem suam, cum plura non posset, restituendi promptum concepit animum. Cuinam facienda restitutio in hoc casu, in quo impossibile est particulariter nosse damnificatos?

℞. Juxta S. Thomam in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstiunc. 4. ad 3. restitutio facienda est pauperibus urbis, aut res ablata pro bono communi incolarum impendenda secundum arbitrium Episcopi, vel eorum, ad quos spectat cura loci illius. Reliquis ducentis interea semper imposita manet obligatio in solidum reparandi residuum damnum, prout & Fulco ipsi. *Pontas.*

Nota. Quoad modum obligationis restituendi in solidum vide & sequere legem charitatis, de qua ad casum 88.

CASUS CXVIII. Petrus sciens, Didymum Religiosum professum dono accepisse horologium argenteum, illud ipsi furatur. Elapsis tribus mensibus Petrus rogat Didymum furti veniam & restitutionis condonationem; quam gratiam etiam Didymus illi annuit. Num liber exinde coram Deo Petrus est ab obligatione restituendi?

℞. Idem hic dicendum est de debito, quod de donatione. Jam vero certum est, Religiosum professum nec donationem facere, nec debitum remittere posse. Hinc condonatio debiti Petro facta a Didymo coram Deo nulla est, Petrusque semper manet obligatus ad faciendam restitutionem monasterio; cum Didymus nihil possidere possit jure proprietatis. *Pontas.*

CASUS CXIX. Cassianus mercator cum bona fide & ex inadvertentia accepisset adulterinum duplionem pro genuino, præcepit uxori suæ, ut illum cum aliis commisceat, ac cum genuinis pro facienda solutione expendat; id quod uxor ex metu fuit executa. Teneturne uxor proprio ac privato suo nomine ad restitutionem? aut num sufficit, si commoneat maritum de obligatione restituendi?

℞. Maritus & uxor in solidum tenentur ad restitutionem. Maritus tamen tenetur prior, & eo deficiente uxor. *Pontas.*

CA-

CASUS CXX. Sempronia filia Mævlæ pluribus annis serviit matri suæ sine ulla accepta mercede, iterata tamen sæplus proportionatæ remunerationis promissione. Mævia subito apoplexia tacta ac usu loquelæ destituta comprimit manum Semproniæ, & moritur. Sempronia id pro signo interpretata factæ sibi donationis triginta duplionum, quos Mævia insciis reliquis Semproniæ sororibus reconditos habebat, hanc sibi summam vendicat in justam recompensationem præstiti per tot annos servitii. An peccavit Sempronia? Num legitime hanc sibi summam acquisivit?

℞. Non peccavit quidem Sempronia contra conscientiam suam; cum non crediderit se ullam committere injustitiam, aut Deum offendere: peccavit tamen contra legem, vi cujus nemini licet accipere rem alienam. Jam vero triginta dupliones non magis ad Semproniam, quam ad reliquas sorores ipsius pertinebant. Signum donationis a Mævia factum est valde ambiguum: poterat enim eadem vel ampliori verisimilitudine indicare desiderium auxilii spiritualis vel corporalis, aut provenire ex affectu amicitiæ, aut omnino ex motu convulsivo. Hinc Sempronia reliquis sororibus suam ex retenta summa partem restituere tenetur. Servitia a Sempronia matri exhibita non tribuunt illi authoritatem occulte sibi mercedem quærendi; quia filia tenetur gratis exhibere matri auxilia necessaria ac possibilia: ad hæc credibile non est, reliquas sorores in domo torpuisse otiosas, & nullum indigenti matri præstitisse obsequium. *Pontas.*

CASUS CXXI. Leodegarius & Leander nummularii commune frequenter exercebant commercium. Leandro defuncto Leodegarius defuncti hæredibus declaravit, in manibus suis quædam adhuc bona esse reposita ad Leandrum pertinentia, eaque illis reddidit addita simul & a se & a conjuge sua declaratione, sibi nulla alia superesse bona ad successores defuncti spectantia. Leodegarius & ipse post quatuor annos mortuus reliquit quatuor liberos, duos ex primo, ac totidem ex secundo thoro. Liberi ex primo thoro petierunt partem ex bonis paternis sibi competentem; sed noverca iis respondit, paratam se fore ad tradendam cuilibet partem suam, in conscientia tamen se obligari, ut indicet, bona sibi & Leodegario communia onerata esse debitis 1000. florenorum Leandri hæredibus persolvendorum; &, ut illos de dictorum veritate omnino convinceret, prima restituit 500. florenos ex parte sua, quam ex bonis communibus habebat, dimidiam. Liberi ex thoro primo de veritate rel persuasi suam etiam partem contribuerunt. Sed ubi ao circa illorum e vivis excesse-

rat declaratione sua non retractata, liberi ex thoro secundo geniti coram judice protestati sunt, se nullam de hoc debito patris sui habere notitiam, sicque per sententiam juridicam ab obligatione solvendi liberati fuerunt. Censendine sunt etiam liberi ab hac obligatione in foro interno?

℟. Cum declaratio matris sincera videatur, & nullus omnino superfit locus suspicandi collusionem cum hæredibus Leandri, prudenter remitti non potest liberis secundi thori obligatio suam quoque portionem conferendi ad expunctionem debiti paterni. *Pontas.*

CASUS CXXII. Humbertus debet Bernardo & pluribus aliis notabiles admodum pecuniæ summas, pro quibus creditores immissionem in bona illius obtinuerunt. Verum Humbertus Bernardo amico suo gratiam facturus integrum ei ex bonis suis debitum solvit. Reliqui creditores hoc cognito prætendunt, Bernardum in conscientia obligari, ut accepta in communem massam referat. Poteftne Bernardus uti quovis, quod in promptu habet, remedio ab hac obligatione sese eximendi?

℟. Bona in favorem omnium creditorum arresto subjecta una cum fructibus inde provenientibus pertinent ad omnes creditores in communi, & non ad quemquam in particulari. Hinc Bernardus non potest tuta conscientia se eximere ab obligatione ad communem massam reponendi, quæ ab Humberto acceperat. *Qui vero post bona possessa debitum suum recepit*, ait Lex *Quod autem.* 6. §. 7. ff Lib. 42. Tit. 8. *hunc in portionem vocandum, exæquandumque cæteris creditoribus: neque enim debuit præripere cæteris post bona possessa, cum jam par conditio omnium creditorum facta esset.* Idem dicendum, dum debitor facit cessionem bonorum. *Pontas.*

Nota. Aliud dicendum, si Bernardus suam pecuniam commodasset ad breve solum tempus in usum determinatum privilegiatum v. g. sationem,

CASUS CXXIII. Hildebertus supplicavit pro aliquo officio annuorum redditum 400. florenorum. Stephanus id sciens adiit collatorem, eumque rogavit, ne id conferat Hildeberto. Teneturne Stephanus ad reparationem damni illati?

℟. Semper datur obligatio reparandi damnum, dum quis aliquem impedit a consecutione juris sui per fraudem, violentiam, aut potentes preces ad persuadendum efficaces; quia manifestam committit injustitiam, aut saltem efficaciter cooperatur ad injustitiam illius, qui bonum illud impertiri tene-

nebatur petenti. Eadem datur obligatio, dum quis minis, calumniis, aut alio modo injusto quempiam impedit a consecutione rei, ad quam nullum habet jus. Stephanus autem, cum simplicibus tantum precibus usus sit, & Hildebertus nullum habuerit jus ad officium, non tenetur ad restitutionem; licet peccaverit contra charitatem. *Pontas.*

CASUS CXXIV. Patritius ex odio erga Thomam impedilt, ne ei conferatur Præbenda, qua dignus erat; vel collationem aut præsentationem jam factam revocandam curavit. Teneturne ad aliquam restitutionem?

℟. Potest quis impediri *juste*, ne Præbendam obtineat, si scilicet pro bono Ecclesiæ intendatur, ut Præbenda conferatur digniori; & tunc nulla datur obligatio restituendi: & alio modo *injuste* v. g. adhibendo violentiam, minas, aut calumnias, vel ex spiritu odii & animo nocendi, ut fit in casu præsente. Et tunc distinguendum est: si collator aut patronus necdum plene determinaverint, se collaturos Beneficium huic personæ, etsi dignæ, impediens tantum tenetur ad simplicem compensationem juxta arbitrium viri prudentis, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Si vero collator aut patronus jam promisit cuidam Beneficium, juxta eundem S. Doctorem impediens tenetur ad compensationem æquivalentem. Observandum hic ex S. Antonino 2. part Sum. Theol. Tit. 2. c. 2. §. 6. quod, si quis impediret alterum a consecutione Beneficii solum animo illud sibi aut amico procurandi, nulla detur obligatio restituendi; quia non fit injuria illi, in cujus præjudicium petitur Beneficium a collatore vel patrono, utpote necdum perfecta collatione, & consequenter jure nemini adhuc aquisito. *Pontas.*

Nota. Compensatio illa correspondens læsioni charitatis versari debet in genere obsequii indebiti charitatis, si inveniri queat occasio, aut certe iteratis precibus supplenda. Hæc autem obligatio non daretur, si quis haberet rationabile motivum dissuadendi vel impediendi alterius promotionem, v. g. ex intentione commendandi certo digniorem.

CASUS CXXV. Epimenides sciens, a quodam amicorum suorum Lælium universalem legatarium solemni testamento fuisse institutum, vehementer adeo sollicitavit amicum, ut mutato testamento ipse universalis legatarius institueretur; prout & amico defuncto in bonorum ejus possessionem successit. Teneturne Epimenides Lælio ad aliquam restitutionem?

℟. No-

℟. Notandum, tres requiri conditiones, ut alterius bonum impediens teneatur restituere: 1. Ut impeditus facile potuisset rem obtinere, nisi hoc impedimentum obstitisset. 2. Ut impeditus potuisset juste rem consequi. 3. Ut quis impediverit per dolum & fraudem, mendacium aut minas, aliamve actionem justitæ oppositam: id tamen juxta Cabassutium Lib. 6. cap. 14. n. 8. solum intelligendum est de impedimento illi posito, qui nullum habebat jus ad rem. Hinc Epimenides ad nullam Lælio tenetur restitutionem; quia amicum suum ad mutandum testamentum non induxit modo injusto, Læliusque nullum habuit jus ad hæreditatem, ac præterea testatori plena erat libertas revocandi testamentum suum.

Nota. Cum charitas sui sit prior ac potior charitate erga proximum, Epimenides, si cætera sint paria, ne quidem peccavit contra ordinem charitatis commendando se ipsum vel amicum æque dignum præ alio non eminenter digniore. Si autem alius præoccupando jam cepisset quasi-possessionem in animo testatoris, non posset arbitrarie deiici sine violatione illius magnæ regulæ charitatis: *Quod tibi non vis fieri &c.*

CASUS CXXVI. Rex provinciam quamdam Alexandro commisit gubernandam assignatis ipsi redditibus 15000. florenorum cum multiplici jure utili. Præter ista assignati sunt ipsi mille floreni pro Capitaneo custodiæ suæ. Alexander hos mille florenos sibi applicaturus Capitaneum custodiæ suæ assumpsit virum nobilem de suo servitio, cui de hac pecuniæ summa obtigit nihil, licet singulis annis solutionis apocham subscribere debuerit. Unde Alexander suum Capitaneique stipendium sibi retinuit. Potest Alexander secura conscientia in proprium hos mille florenos reservare commodum, quin ad ullam viro nobili teneatur restitutionem? Idem quæritur de præfecto ærarii, vel alio ejusmodi ministro, qui pro suis usibus retinet id, quod a Rege assignatur pro persona ipsi adjuncta.

℟. Nec Gubernator provinciæ, nec præfectus ærarii possunt in suum commodum applicare has summas; cum evidenter id sit contra intentionem Regis. *Pontas.*

CASUS CXXVII. Demetrius nobilis Gallus ab Imperatore Posonii Gubernator constitutus præter nocturnas excubias etiam diurnas agi jussit a certa hominum copia, ut adventus hostium edito signo statim posset indicari vicinis oppidis, quorum singula in expensas harum excubiarum determinatam pecuniæ summam solvebant. Restituta pace Demetrius diurnas excubias inutiles esse ratus, eas omitti, & tantum nocturnas agi jubebat, licet vicina oppida easdem, quas

quas tempore belli, expensas solverent. Potestne Demetrius contributiones a vicinis oppidis factas in diurnas excubias, & restituta licet pace ac omissis de die excubiis perceptas retinere salva justitia? Et posito quod teneatur ad restitutionem, cuinam facienda est restitutio?

℟. Gubernator absolute non potest sibi retinere has contributiones restituta pace ac omissis excubiis perceptas. Considerare potius debet hanc impositionem ut injustam, & consequenter pro viribus eo tendere, ut aboleatur, aut saltem diminuatur, si in potestate ipsius sit: quod si non, saltem id boni contribuentibus procurare debet, ut Principi ob oculos ponatur, hanc exactionem finito bello jam esse injustam. *Pontas.*

CASUS CXXVIII. Aristus incitavit Tullium ad corrumpendam aliquam fœminam. Teneturne ad reparationem Tullio faciendam?

℟. Tenetur coram Deo illi reparare damnum spirituale illatum, quantum potest. *Tenetur modo sibi possibili restituere sibi damnum*, ait Scotus in 4. dist. 15. q. 3. *scilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam, & ad actus virtuosos: & si sola inductio non sufficiat, quia facilius est pervertere quam convertere, tenetur & per se orando & per orationes aliorum procuratas impetrare illi conversionem, & per alios persuasores efficaces. Pontas.*

CASUS CXXIX. Eustorgius mandavit Rellio filio suo, ut Lælium verberibus excipiat, prohibita tamen ipsi occisione aut mutilatione. Filius autem paterni mandati limites transgressus vel mutilavit vel occidit Lælium. Teneturne Eustorgius reparare omnia damna inde secuta?

℟. Qui mandat actionem malam, principalis ejusdem causa est, & tenetur juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 9. C. reparare integrum damnum exinde secutum. Hinc & Eustorgius tenetur de omni damno ex actione filio demandata secuto *Pontas.*

CASUS CXXX. Macrobius præcepit Judæ famulo suo domestico, ut necaret equum Caji inimici sui: postea vero facti pœnitens revocavit mandatum suum. Judas nihilominus insuperhabita revocatione heri sui enecavit equum. Teneturne Macrobius in conscientia ad restituendum Cajo pretium equi?

℟. Quamprimum mandatum fuit revocatum ante executionem ejusdem, Macrobius non tenetur ad restituendum pretium equi; tenetur autem Judas, qui executus est mandatum, quod sciebat esse revocatum. *Communiter concludunt*

Docto-

Doctores, ait Cabassutius L. 6. c. 16. n. 5. *eum, qui mandaverat, si ante damni executionem mandatum penes mandatarum revocaverit, eximi ab onere restituendi .... sic enim satis superque cessat mandati præcedentis influxus. Pontas.*

CASUS CXXXI. Henricus mutuos dedit 1000. florenos Laurentio mercatori sericario. Cum autem ex communi rumore cognovisset: res Laurentii lapsui esse proximas, petiit ab eo solutionem. Laurentius libere fatetur, negotiationem suam pessimo esse loco, consentitque, ut omnes merces residuæ transferantur in securum locum, & ex earum venditione Henricus retineat mille florenos, residuum autem sibi reddatur; id quod executioni datum est. Verum Laurentius residuum ex mercium venditione pretium brevi dissipavit; exceptis 250. florenis adhuc in manibus Henrici hærentibus. Henricus postmodum a quodam Laurentii creditore in judicium vocatus favore & authoritate amicorum suorum causam lucratur, procurata insuper creditoris condemnatione in actionis expensas 250. florenorum summam adæquantes. Jam quæritur, ad quid teneatur Henricus, qui in omni suo agendi modo summam Laurentio charitatem exhibuisse se arbitrabatur, nec a longe suspicans, mali quid se fecisse.

℟. Henricus vere est complex occultationis mercium Laurentii, & quidem non fine notabili damno creditoribus illato. Et hinc tenetur in conscientia ad præstandam illis indemnitatem quoad omnia, quæ Laurentius male dilapitavit, ac etiam quoad summam 250. florenorum in manibus suis relictam. Quod attinet 1000. florenos a Laurentio illi debitos ac perceptos; si hujus summæ solutio in judicio idoneis testibus probaretur, teneretur eam referre in massam communem; imo posset puniri ut complex decoctionis a Laurentio factæ. *Pontas.*

CASUS CXXXII. Caprasius Titii confessarius dedit ipsi consilium, ut restituat centum florenos; ad quam restitutionem tamen Titius non tenebatur. Obligandusne Caprasius ad reparandum Titio damnum?

℟. Doctores non conveniunt circa hoc punctum. Nihilominus videtur, Caprasium teneri ad faciendam suo pœnitenti restitutionem 100. florenorum, si hoc ei consilium dedit ex malitia, ignorantia graviter culpabili, aut ex imprudentia inexcusabili. Et hæc est sententia S. BERNARDINI *Serm. 34. in Dom 4. Quad. tom. 1.* Cujus rationes sunt: *Prima, quia tenentur talia præcavere. Secunda, quia unusquisque tenetur sufficienter scire & exequi diligenter artem, qua n*

pro-

profitetur; maxime quando vergit in periculum alterius error suus. Tertia, quia eorum imperitia & negligentia habent quamdam efficacem causalitatem damnificationis illorum. Si tamen confessarius competenti scientia instructus erret, pœnitentem eximendo ab onere restitutionis, ad quam obligatur, vel ad illam sine necessitate obligando, suggesto consilio, quod in conscientia dandum esse putabat, non videtur talis obligatus esse ad reparandum damnum in his circumstantiis illatum; dummodo in casu dubii consuluerit viros eminenti scientia conspicuos, si fieri potuerit. *Pontas.*

NOTA. Hinc in materia restitutionis, si occurrat casus extraordinarius, de cujus resolutione confessario prudens occurrit dubium, peccat confessarius, nisi sibi tempus deliberandi vel peritiores consulendi exposcat, aut si pœnitens redire nequeat, eum ad consulendum alium peritum suæ viciniæ confessarium obliget.

CASUS CXXXIII. Theocrites homo privatus, catapulta, duobus sclopis minoribus, & gladio instructus, ac cujusdam amici pariter armati comitatu stipatus plateam civitatis pertransit, & furem deprehendit, qui actu domum vicini sui spoliabat: quem, licet facillime abigere potuisset, tamen non abigit. Teneturne fure non restituente reparare damnum vicino suo illatum?

℟. Graviter in hoc casu peccavit Theocrites contra charitatem; ad restitutionem tamen non obligatur; quia non ex justitia tenebatur impedire furtum. *Si tamen ad officium hominis non spectat*, ait S. Bernardinus l. c. *& malis seu aliorum damnis, cum possit, non obstat; licet mortaliter peccet, quia non diligit proximum sicut se ipsum, non tamen satisfacere obligatur. Pontas.*

NOTA Erronea est hæc ratiocinatio: *non obligatur ex justitia ad impediendum furtum, sed tantum ex charitate: ergo non tenetur restituere. Non obstans* cum obstare possit, fit alieni criminis v. g furti reus; ergo tenetur restituere.

CASUS CXXXIV. Theodemirus Judex civilis & criminalis in quodam Provinciæ oppido novit, Julianum Jacobi tutorem usurpare ac diripere bona pupilli sui nemine se opponere auso; nec tamen malo medetur, etiamsi desuper fuerit requisitus. Teneturne in conscientia ad reparandum omne damnum huic pupillo illatum?

℟. Cum Theodemirus ratione officii sui fuerit obligatus ad protegendum hunc pupillum, tenetur in solidum una cum tutore ad reparandum omne damnum illi illatum. *Pontas.*

Nota. Recte dicitur *in solidum*: qui enim solum ex *charitate* tenetur impedire damnificationem proximi, non tenetur ad restitutionem in solidum, sed ex æquo juxta exigentiam læsi arbitrio boni viri, v. g. confessarii pro variis circumstantiis varie metiendam. Vide *Cas.* 88. 97. 124. 125.

CASUS CXXXV. Amaricus parochus vidit bona ecclesiæ suæ dissipari a curatoribus, qui potentia pollentes hanc sibi authoritatem arrogarunt; quin se opponeret, veritus, ne simultatibus viam apperiret. Teneturne parochus deficientibus curatoribus ecclesiæ suæ reparare damnum illatum?

℟. Ex responsionibus ad præcedentes casus satis colligitur, eum teneri. Deberet parochus in charitate curatoribus atrocem injustitiam proponere, eisque gravem damnum reparandi obligationem inculcare, &, si surdis loquatur, sese convertere ad Episcopum, aut implorare desuper legitimum judicem. *Pontas.*

CASUS CXXXVI. Palladins falsum deposuit testimonium circa rem uno abhinc anno factam, ratus tamen, se dicere verum; ac per hoc pars innocens 100. florenorum jacturam passa est. An defectus memoriæ eum excusat a peccato mortali, & obligatione reparandi damnum?

℟. Si hic defectus memoriæ est pure naturalis, Palladius juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 70. *art.* 4. *ad* 1. peccati mortalis condemnari nequit, nec, ut addit Cajetanus *in S. Thomam citat.* tenetur ad restitutionem damnum passo. Si tamen ejusmodi testis postmodum adverteret, se veritatem non dixisse, teneretur admonere reum, in cujus favorem deposuit, ut hic damnum parti læsæ reparet; & casu, quo hic restitutionem repudiaret, coram judice revocare deberet testimonium suum, si sine gravi periculo id fieri possit. *Pontas.*

Nota. Tuta sententia est, ex culpa theologice levi non dari obligationem reparandi totum damnum grave.

CASUS CXXXVII. Thimoleon civis in judicium vocatus ad dicendum de furto sibi noto testimonium, non omnem, ut potuisset, aperuit veritatem, suoque silentio causa exstitit, quod totum damnum non fuerit reparatum. Teneturne in conscientia fure deficiente resarcire integrum damnum?

℟. Si Thimoleon plenam detegendo veritatem non incurrisset grave periculum v. g. amittendi vitam aut bona sua, eximi non potest ab obligatione integrum resarciendi damnum; cum ipsius silentium omissæ integræ restitutionis causa fuisse supponatur. *Pontas.*

CA-

CASUS CXXXVIII. Trebonianus Judex valde doctus ac idoneus scit, plures collegarum suorum proxime esse dispositos ad injustam ferendam sententiam, & metuens, ne ipsis displiceret diversa opinando, omnino non accessit judicium, licet sibi perspectum haberet, se posse illos convincere de committenda injustitia. Teneturne Trebonianus coram Deo reparare damnum per iniquam reliquorum Judicum sententiam parti læsæ illatum?

℟. Cum Trebonianus non habuerit causam legitimam se subtrahendi consessui judiciali, cui ex officio interesse decuisset, apparet, eum teneri ad reparandum parti læsæ damnum: non enim se opposuit injustæ sententiæ collegarum suorum, prout tamen ratione muneris, & in conscientia debuisset. Idem dicendum foret, si Trebonianus adstitisset quidem judicio, eandem tamen cum reliquis sententiam tulisset, illis complacendi gratia. *Pontas.*

CASUS CXXXIX. Lysidius & Mœvius contendunt de proprietate domus cujusdam: septem Judices, quibus in hac controversia pronunciandum, Lysidio infensi domum adjudicarunt Mœvio, licet satis certi, eam pertinere ad Lysidium. An omnes, & singuli in particulari tenentur Lysidio ad restitutionem?

℟. Omnes tenentur ad restitutionem, licet primi quatuor judices teneantur præ posterioribus. *Si per injustum judicium reus innocens damnatus fuit omnium judicum suffragiis*, ait Cabassutius L. 6. c. 16. n. 2. *illi, qui ultimi dedere suffragium, post completum requisitum ad sententiæ validitatem numerum suffragiorum, videntur nihilominus obligari ad restitutionem.* Ratio illius est; quia tres posteriores debuissent primis quatuor demonstrare sententiæ injustitiam. *Pontas.*

CASUS CXL. Alphius accepit tres dupliones ad faciendum aliquid, ad quod aliunde tenabatur. Teneturne has pecunias restituere?

℟. Si ad faciendum id tenebatur ex justitia, tenetur restituere has pecunias: v. g. si fuisset Judex, & accepisset has pecunias pro ferenda sententia; aut si ut testis suum vendidisset testimonium vel illud deponere recusaret, nisi illi quid detur ultra mercedem jure debitam pro suscepto in judicio comparendi labore, aut sumptibus itineris eapropter faciendis; aut si invenisset summam pecuniæ, quam nollet reddere, nisi fiat aliqua remuneratio &c. *Pontas.*

CASUS CXLI. Fulgosus a quodam Episcopo obtinuit parochiam intercedente illius cubiculario, cui Fulgosus dederat summam 150. florenorum, eidem promissam, casu quo

Beneficio isto potiretur. Jam quæritur, an Fulgosus teneatur reddere hoc Beneficium, & an cubicularius teneatur ad restituendos Fulgoso 150. florenos.

℟. Juxta S. Thomam 2. 2 q 100. art. 6. C. Fulgosus tenetur reddere Beneficium Episcopo, & cubicularius acceptos 150. florenos erogare in pauperes, quia non licet dare aut accipere temporale pro rebus spiritualibus. *Non debet fieri restitutio*, ait idem S. Doctor ibid. q. 32. art. 7. C. ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet & datio & acceptio est contra legem. *Pontas.*

Nota. Spectato solo jure naturæ male partorum per contractus turpes juxta veriorem sententiam jure naturali invalidos semper restitutio facienda est.

CASUS CXLII. Arthemius fruebatur præbenda, de qua canonice provisus non erat; quia pater ipsius eo inscio ad obtinendam provisionem decem dupliones expenderat. Duobus post aditam possessionem annis venit in notitiam commissæ simoniæ, & conscientiæ suæ tranquillitatem conciliaturus præbendam dimittit in manus collatoris. Teneturne ad restituendos fructus perceptos ante cognitam suæ provisionis nullitatem?

℟. Si ex perceptione fructuum non fuit factus ditior, ad nullam restitutionem tenetur: fuit enim possessor bonæ fidei. *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt*, ait Lex *Senatusconsultum.* 1. Cod. Lib. 3. Tit. 31. *nisi ex his locupletiores extiterint. Pontas.*

CASUS CXLIII. Josephus commissam a se inculpabiliter simoniam post sex primum menses cognovit; & ex hoc statim suam sibi procuravit rehabilitationem, obtenta possessi Beneficii nova provisione. Teneturne restituere perceptos interea ex hoc Beneficio 100. florenos, & necdum consumptos?

℟. Beneficiatus, cujus titulus est vitiosus ac nullus, nunquam potest fructus Beneficii facere suos. Hinc Josephus tenetur ad restitutionem horum 100. florenorum. Nihilominus posset a Papa obtinere condonationem horum fructuum. *Pontas.*

Nota. In casu, quo Papa convenienter adiri non potest, transactio seu compositio pertinet ad Episcopum, & in ejus difficili accessu ad confessarium nomine Dei, præsertim circa casus simoniacos mere occultos.

CA-

CASUS CXLIV. Decanus & canonici cujusdam ecclesiæ collegiatæ simoniam commiserunt in collatione cujusdam præbendæ Julio facta, qui per integrum annum præbendæ fructus percepit, licet conscius commissæ simoniæ. Poteftne is, aut debet huic ecclesiæ restituere fructus ex præbenda perceptos?

℞. Si omnes Canonici simoniæ, de qua agitur, rei non sint, sed tantum aliqui, Julius potest restitutionem fructuum facere eidem ecclesiæ; ita tamen, ut complices simoniæ nullum inde emolumentum capiant: excipienda nihilominus est portio distributionum quotidianarum & manualium, quas acceperat cum præjudicio Canonicorum nullo modo simoniæ participum; ad harum enim restitutionem obligatur. Si vero omnia membra Capituli simoniæ rea sunt, restitutio facienda est ecclesiæ alteri, aut pauperibus. Et hæc responsio sumitur ex D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4. *Pontas.*

CASUS CXLV. Fortunatus presbyter ac Prior per sex menses non recitavit Breviarium. Teneturne restituere quamdam portionem fructuum, qui consistunt in 50. florenis?

℞. Tenetur restituere partem dimidiam horum redditūum. *Officium, propter quod Beneficium ecclesiasticum datur*, inquit Bonifacius VIII. Cap. *Quia per ambitiosam.* fin. in 6. Lib. 1. Tit. 3. Quod non solum intelligendum est de recitatione divini officii, sed & de omnibus aliis functionibus naturæ Beneficii annexis. *Pontas.*

Vide *Beneficiatus*. cas. 20. & 21.

CASUS CXLVI. Godefridus vir nobilis duo vel tria Beneficia simplicia valde pinguia obtinuit pro Francisco secundo suo filio, undecim vel duodecim solum annos nato, & scholas frequentante, licet probe sciens, nullum illi ad statum ecclesiasticum esse animum. Franciscus revera Clericatum nunquam suscipere cogitans, & invitus de his Beneficiis provisus, cum iis se abdicare ob inferiorem ætatem non posset sine consensu patris, absolute volentis eorum retentionem, usque ad annum ætatis decimum sextum Breviarium non recitavit, ubi defuncto patre ocyus sua dimisit Beneficia. Teneturne coram Deo restituere fructus ex his Beneficiis perceptos, quorum administrationem pater habuit?

℞. Non videtur obligari posse Franciscus ad restitutionem fructuum ex Beneficiis perceptorum; eo quod contra voluntatem suam iis provisus fuerit, nec ea retinuerit, nisi quia iis se abdicare haud potuerit. Nihilominus licet ipse non teneatur ad restitutionem propter omissionem Breviarii,

tenentur tamen ad eam hæredes defuncti patris, in quorum emolumentum cedunt fructus percepti; & consequenter etiam Francisco eadem incumbit obligatio tanquam cohæredi pro rata portionis hæreditariæ. *Pontas.*

CASUS CXLVII. Bertrandus cujusdam ecclesiæ cathedralis Canonicus, licet sex mensibus absens, quotidianas tamen distributiones sibi persolvi curavit, concedentibus id reliquis Con-canonicis. An propterea liber censendus est ab omni onere restitutionis?

℞. Ejusmodi condonatio a Con-canonicis Bertrando facta juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. cap. 12. nulla est, utpote a jure prohibita. Hinc Bertrandus non potest ea uti tuta conscientia; sed tenetur ad restitutionem ecclesiæ aut pauperibus faciendam. *Pontas.*

CASUS CXLVIII. Gordius Canonicus per sex menses adstitit Horis canonicis negligenter, sine ulla attentione, & semper voluntarie distractus. Teneturne in rigore ad restitutionem fructuum suæ præbendæ pro rata hujus temporis?

℞. Authores circa hanc quæstionem divisi sunt. Cabassutius cum aliis l. 6. c. 14. n. 14. censet, Gordium teneri ad restitutionem pro rata temporis; cui sententiæ & nos subscribimus, cum justitiæ contrarium sit sibi aliquod bonum attribuere, quod tantum testinatum est pro iis, qui digne Deo & Ecclesiæ serviunt. Confirmari potest hæc responsio ex decreto quarti Lateranensis generalis Concilii sub Innocentio III. 1215. cujus verba sunt: *Penitus jubemus, districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote.* Glossa addit: *Studiose quantum ad officium oris, devote quantum ad officium cordis.* *Pontas.*

NOTA. Si inattentio solum fuit interna, censeo Ecclesiam non obligare ad restitutionem, sicut ex eo capite non obligat ad novam recitationem Breviarii vel auditionem Missæ: Cum enim gravis materia actuum internorum non habeat mensuram determinatam, ea lex redderet innumeros perplexos sine necessitate.

CASUS CXLIX. Pompilius collator præbendæ cujusdam redituum 250. florenorum, illam contulit Jacobo minus digno præ Joanne illam petente, & singulariter merito. Teneturne Joanni ad restitutionem æquivalentem, eo quod peccaverit contra justitiam?

℞. Pom-

℞. Pompilius ad nullam tenetur restitutionem, etsi peccaverit contra justitiam distributivam; teneretur autem, si peccasset contra justitiam commutativam. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4. C. Per justitiam commutativam redditur proximo, quod illi debetur. Cæterum obligatio restituendi ex tribus fontibus emanat. 1. Quando res aliena in manibus detinetur. 2. Quando res aliena injuste accipitur. 3. Quando intercedit legitima conventio, seu contractus. In casu autem præsente nihil horum intervenit: nec enim Joannes habet jus in re aut ad rem intuitu hujus præbendæ; nec collator ex quadam conventione eam ipsi conferre tenetur *Pantas*.

Nota. Benedictus XIV. concedit circa Beneficia curata actionem evidenter digniori.

CASUS CL. Sophronius Canonicus regularis gaudens pensione annua ex quodam officio claustrali, aut ex Beneficio, per meram parsimoniam congessit 1500. florenos, eosque donavit nepti suæ quindecim aut sedecim annos natæ. Summa hæc matris custodiæ tradita, pervenit in manus patris, qui ea brevi dissipata moritur. Neptis paulo post contrahit matrimonium, & in primo anno fit vidua. Teneturne neptis hanc summam restituere ecclesiæ aut pauperibus? Dubium nepti movetur ex eo, quod audiverit, Sophronium, utpote Religiosum, proprium possidere non posse.

℞. Distinguendum est inter Religiosum simplici pensione fruentem, & officium claustrale vel Beneficium possidentem. Religiosus non potest habere administrationem cujusdam pensionis, nisi cum licentia sui Superioris, quæ concedenda non est, nisi pro necessariis ad sustendationem vitæ. Si Sempronius habet officium claustrale, aut Beneficium, de redditibus disponere potest ut sæculares. Hoc supposito, si Beneficiati ejusmodi sunt domini redditnum beneficialium, possunt pro suo libitu de illis disponere, quin peccent contra justitiam, etiam male utendo, licet peccent contra charitatem; & ii, qui aliquam exinde partem obtinuerunt, ad nullam tenentur restitutionem. Verum si tantum sunt Oeconomi fructuum Beneficialium, prout nos censemus, de eo tantum disponere possunt, quod est necessarium ad honestam sustentationem vitæ, & residuum tenentur erogare in pauperes. Nihilominus si neptis Sophronii bona fide ab eo accepit 1500. florenos, non videtur, eam teneri ad restitutionem; maxime cum exinde non sit facta ditior. S. Beuve tom. 3. cas. 137. *Pontas*.

Nota. Religiosus non potest valide disponere de bonis annexis massæ aut personæ regulari. Canonicus autem Regularis, cum ex ipsa natura sui ordinis sit capax beneficiorum sæcularium, licite & valide disponit de redditibus beneficii sæcularis conformiter ad mentem Ecclesiæ. Idem dicendum de Beneficio regulari, in quo institutio ac destitutio tantum pertinet ad Episcopum, sic ut Vicarius regularis ad nutum sui Superioris amoveri non possit. Ita docet Navarrus comm. 2. n. 6. & 7. & supponere videtur Pontasius hoc loco. Quod tamen intelligendum, nisi alia lex per consuetudinem introducta sit, aut nisi in ipsa incorporatione redditus Beneficii sine exceptione deputati fuerint pro sustentatione fratrum.

CASUS CLI. Adrianus tempore vindemiali locavit Bertholdo vasa vindemialia, quæ sciebat esse putrefacta. Bertholdo vinum immittente, illud aut fuit corruptum, aut effusum. Teneturne Adrianus ad reparandum damnum?

℟. Adrianus peccavit mortaliter, & tenetur ad reparandum integrum damnum: idem enim tenendum de contractu locationis, quod de contractu emptionis & venditionis. *Si quis dolia vitiosa* ignarus locaverit, ait Lex *Sed addes.* 19. §. 1. ff. Lib. 19. Tit. 2. *deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod interest; nec ignorantia ejus erit excusata. Pontas.*

CASUS CLII. Si Adrianus credidisset, vasa locata non esse vitiosa, tenereturne tamen præstare damnum locatario illatum? Et, si non teneatur, poteltne insuper percipere a Bertholdo pretium locationis?

℟. Si Adrianus bona fide vasa locavit, nulla habita justa ratione suspicandi aliquod vitium, & ea Bertholdo simpliciter tradidit, non affirmata eorum bonitate, sed relicta locatario plena libertate ea visitandi ac probandi ad nullam tenetur restitutionem; cum hæc ignorantia eum reum non constituat: quia tamen hæc vasa ad destinatum usum non erant idonea, Adrianus petere non debet solutionem pretii locationis, Verum si Adrianus hæc vasa locasset affirmata illorum bonitate per fidem suam, integrum damnum Bertholdo reparare teneretur. Et in hoc sensu intelligenda sunt verba legis ad casum præcedentem citata: *Si quis dolia vitiosa &c.* & alia Glossæ: *Ille tenetur* (damni) *sive scienter sive ignoranter locet, vel vendat vas corruptum. Pontas.*

CASUS CLIII. Daniel sub falsa promissione matrimonii, & violentis sollicitationibus corrupit Joannam octodecim annorum puellam; idque factum est notorium, & publicum. Teneturne puellæ ad aliquam restitutionem? An pari ratione teneretur, si nec fraude nec violentia fuisset usus?

℟. Quod attinet primum, tenetur puellæ reparare damnum, eam ducendo, si fieri possit, & ipsa velit, aut eam dotan-

tando. Quoad secundum dico, Danielem ad nullam restitutionem teneri; *scienti enim & consentienti non fit injuria, neque dolus. Pontas.*

Nota. Juxta probatiorem sententiam, quod contractus turpes sint jure naturæ invalidi, etiam in primo casu Daniel ad nihil tenetur ante sententiam judicis, qui, si expedire videatur, ad hanc pœnam potest condemnare reum.

CASUS CLIV. Constantina genuit ex adulterio infantem, qui cum aliis liberis pro legitimo habetur. Debetne confessarius eam obligare; ut veritatem suo marito vel huic proli declaret, ad præcavendam injustitiam, quam reliqui liberi paterentur? Et sub quibus conditionibus ea est absolvenda?

℟. Principium jure naturali fundatum est, quod nemo teneatur se ipsum diffamare. Hinc Constantina non obligatur ad peccatum suum declarandum, nec marito, nec illegitimæ proli; imo ne quidem crederetur propriam alleganti turpitudinem, & proles dulterina semper haberetur pro legitima in foro externo, non obstante declaratione matris. Ad hæc, quamvis hæc proles teneatur restituere id, quod jam accepit, & ab ulteriori acceptione abstinere, supposito, quod matris suæ declarationi fidem adhibeat; certum tamen est, quod nullo modo teneatur credere id, quod ipsi pater vel mater hac in re declararet. Interea, si Constantina moraliter certa foret, nullum ex sua declaratione marito facta oriturum scandalum aut aliud malum, videtur dici posse cum S. Antonino, eam teneri ad declarandam veritatem; idem sentiendum, si prolem suæ declarationi fidem habituram crederet. Nihilominus tamen sanctus hic Archiepiscopus id restringit ad casum, quo jam antea apud maritum & alios fortis & gravis suspicio invaluisset, prolem hanc esse adulterinam. Ex quibus omnibus sequitur, confessario Constantinæ sufficere debere, ut ei proportionatam delicto pœnitentiam injungat; quin eam obliget ad declarandam turpitudinem suam. *Pontas.*

CASUS CLV. Fernandus suscepit prolem adulterinam ex Bertha Theodori conjuge. Teneturne in conscientia deficiente matre reparare damnum inferendum, aut jam illatum liberis legitimis, vel hæredibus Theodori & Berthæ?

℟. Dubium non est, quin teneatur ad reparandum damnum, sive id consistat in expensis a Theodoro jam factis in sustentationem hujus prolis, sive consistat in parte ex hæreditate Theodori ab hac prole jam accepta, vel accipienda. *De adultero autem, cujus est filius*, ait S. Antoninus 2. part. Summ. Th. Tit. 2. c. 7. §. 4. *dicendum videtur, quod si scit, vel cre-*

credit verisimiliter, illum esse suum, ubi mater ipsa satisfacere non valet, videtur, quod teneatur de expensis educationis patri putativo; quia causam efficacem dedit tali damno. Nihilominus mater hujus prolis tenetur prior ad reparandum damnum, si possit; si non possit, pœnitentiam agere debet, & exhortari patrem adulterinæ prolis ad supplendum suum defectum. *Pontas.*

NOTA. Cum hæc restitutio fundetur solum in obligatione personali ex facto, a confessario nomine Dei ex æquo componenda est. Vide *Cas.* 88.

CASUS CLVI. Alexander suscepta prole ex adulterio cum Antonia Ludovici uxore commisso, cogitat reparare damnum vivente adhuc Ludovico; sed nescit, quomodo, aut cui facienda restitutio. Quale igitur consilium ipsi suggerere debet confessarius? Quid, & cui restituendum est?

℞. Nec justitia, nec ratio exigere videtur actualem ab Alexandro restitutionem portionis ex hæreditate Ludovici huic proli obventuræ liberis legitimis faciendam; cum hæc proles prævenire possit fata Ludovici; & in hoc casu restitutio foret nimia. Verum diligenter inquirere debet, quantas expensas Ludovicus fecerit in educationem, sustentationem statui congruam, aut etiam in promotionem prolis putatitiæ ad statum aliquem stabilem: & ad id omne restituendum confessarius obliget Alexandrum, persuadeatque illi, ut serium concipiat propositum reparandi damnum, quod pati possent legitimi hæredes Ludovici, si proles hæc veniret in partem hæreditatis, aut, posito quod sit proles unica, in totam hæreditatem succederet in præjudicium aliorum hæredum. *Navarr. Manual. c.* 16. *num.* 50. *Pontas.*

CASUS CLVII. Si Alexander, de quo in præcedenti casu sermo erat, sit morti proximus eo tempore, quo sese ad faciendam restitutionem offert, quomodo poterit illam facere, ut justa sit, & competens, & quid agendum confessario, ut moribundi securam reddat conscientiam?

℞. Confessarius non debet ipsum obligare ad reparandum damnum incertum, sed tantum ad certum, id est, ad omnes expensas rationabiles a Ludovico in prolem adulterinam jam factas; & respectu damni dubii obligandus est ad restitutionem juxta æstimationem viri prudentis, intelligentis, & non interessati. *Navarr. ibid. Pontas.*

CASUS CLVIII. Geruntius genitam ex quadam puella a se corrupta prolem secreto tulit in hospitale liberorum expositiorum ad evitandum scandalum, & salvandum suum ac puel-

puellæ honorem. Teneturne huic Hospitali restituere expensas ad nutritionem & sustentationem hujus prolis necessarias ?

℟. Si Geruntius est pauper, non tenetur ; si autem ipsi sufficientia suppetunt media necessariam proli sustentationem procurandi, absque manifesta injustitia non potest omittere restitutionem. *Qui etiam filios per adulterium vel fornicationem aquirunt*, ait S. Antoninus p. 2. Tit. 1. c. 24. *sed ad occultationem peccati, & tollendum scandalum mittunt ad hospitalia, tenentur illos alere expensis suis, & eis providere, si possunt. Pontas.*

CASUS CLIX Septem aut octo creditores Mœviæ obtinuerunt immissionem in quemdam illius fundum, eumque judicialiter elocarunt pro censu annuo 1100. florenorum. Titius unus ex creditoribus ægre ferens, fundum ob varias technas fœminæ tamdiu non posse vendi, sese emptorem fundi offert Mœviæ pro 20000. florenis sub nomine Caji, & insciis reliquis creditoribus ; quamvis fundus valeret 30000. florenis. Mœvia acceptat hanc oblationem, &, ut Titius facilius iniret hunc contractum, Mœvia ipsi remisit 3000. florenos, quæ prætendere poterat ex bonis venditis, tanquam vitalitium viduum. Jam quæritur, an Titius in foro interno teneatur aliis creditoribus ad restitutionem pro eo, quod bona minoris fuerint vendita ; & an creditoribus etiam teneatur restituere 3000 florenos, vitalitium Mœviæ ?

℟. Titius tenetur ad restitutionem reliquis creditoribus non tantum quoad excessum pretii, quo bona juxta æstimationem prudentum potuissent vendi, sed etiam quoad omnes expensas, quas subire coacti sunt ob fraudem Titii : creditores enim minus læsi fuissent, si fundus justo pretio fuisset venditus. Quod attinet remissionem vitalitii a Mœvia Titio factam, ea non est habenda pro mera liberalitate, licet Mœvia plenum hujus vitalitii habuerit dominium. Denique non solius Titii intererat. Mœviæ tantum reliquere, ut congrue possit sustentari, sed omnium creditorum. *Pontas.*

CASUS CLX. Herculus cujusdam Ducis ac Paris Franciæ procurator domesticus promisit cuidam sartori, se curaturum, ut ipsi pro hero suo ac tota domo deinceps vestes conficiendæ forent, si pro se ac uxore sua easdem gratis conficeret. Conventio hæc ab utroque inita per septem aut octo annos fuit servata. Teneturne Herculus sartori ad quamdam restitutionem ?

℟. Non videtur Herculus peccasse contra justitiam commutativam ; & hinc ad nullam tenetur restitutionem. Ratio

est

est 1. Quia sartor per initam cum Herculo conventionem non modo nil detrimenti passus, sed satis notabili lucro potuit esse in compensationem modicæ utilitatis redundantis in Herculum. 2. Quia Herculus non tenebatur eum præferre aliis sartoribus. 3. Quia nullo usus est dolo, ut sartorem ad hanc conventionem induceret. Supponendum autem, quod Herculus nequaquam admissurus sit, ut sartor ultra condignam mercedem legitime debitam pro confectione vestium quidquam exigat: si enim circa hoc quadam inter illos facta fuisset collusio, ambo in solidum tenerentur ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS CLXI. Fuldradus matrimonio locaturus quamdam puellam cognatione sibi conjunctam, non nisi mille florenis divitem, eam Eusebio obtulit, cui asseverabat, puellam ter mille florenos numeratam habere pecuniam. Eusebius prorsus Fuldrado confisus consentiebat ad faciendas nuptias, facta tamen declaratione, se, si hanc dotem puella non foret allatura, eidem se non esse nupturum. Fuldradus postquam etiam juramento affirmaverat hanc puellæ substantiam, tandem contractum fuit matrimonium. Eusebius cognita postmodum fraude Fuldradi petiit sibi restitui duo florenorum millia promissæ doti deficientia. Num jure petit?

℞. Prætensio Eusebii justa est, & Fuldradus tenetur ipsi præstare indemnitatem, & defectum promissæ dotis compensare, utpote reus mendacii, perjurii, & manifestæ injustitiæ. *Pontas.*

CASUS CLXII. Eustachius mutuos dedit 250. florenos Rudolpho recepta ab eo obligatione ab unico tantum Notario sine testibus subscripta. Defunctis creditore & debitore cautio inter Rudolphi debitoris scripta reperiebatur, quam Godefridus testamenti executor subtractam transmisit Joanni Eustachii filio. Hic suo eam procuratori monstrat, idque ex eo capit consilii, quod, si nulla præstitæ solutionis apocha inveniretur, ab hæredibus Rudolphi exigi possit solutio; necesse tamen esse, ut obligatio ab alio adhuc Notario subscribatur: quod & factum est, licet ab inito hoc contractu mutui decem jam anni effluxerint; sicque hæredes Rudolphi per sententiam judicialem ad solutionem hujus summæ condemnati sunt. Potuitne Godefridus hanc obligationem subtrahere & transmittere Joanni? An peccavit Joannes sequendo consilium a procuratore sibi suggestum? Teneturne Joannes, si non potuit exigere hanc solutionem, ad restitutionem 250. florenorum & omnium expensarum? Num potuit Notarius secundam cautionis subscriptionem facere absque peccato; & ad quid tenetur, supposito,

quod

quod id non potuerit? Teneturne Godefridus ad aliquam restitutionem? Supposito etiam, cautionem jam antea fuisse subscriptam a duobus Notariis, num Joannes, qui facile credere poterat, debitum jam fuisse solutum aut gratis remissum ab Eustachio, tenetur restituere hæredibus Rudolphi 250 florenos? Num eo nihil restituente ad id teneretur Godefridus, qui cautionem Joanni tradiderat?

℟. Godefridus manifestam commisit injustitiam; debuisset enim judicare, debitum aut jam fuisse solutum, aut gratis remissum Rudolpho; nec Joannes hac cautione uti potuit, & procurare sibi solutionem, non obstante consilio a procuratore sibi dato: manifestum enim malæ fidei suæ argumentum dedit, dum cautionem decem annis post primam expeditionem per alterum Notarium subscribi curavit. Tenetur igitur Joannes hæredibus Rudolphi non solum ad restitutionem summæ 250. florenorum, sed etiam ad refundendas omnes expensas, quas illi facere debuerunt. Notarius, qui secundo subscripsit huic cautioni, peccavit mortaliter, & tenetur ad eandem restitutionem in solidum cum Joanne; quia vere fuit causa effectiva damni Rudolphi hæredibus illati. Idem dicendum de Godefrido, utpote primo authore hujus injustitiæ. Denique, licet hæc cautio fuisset inventa cum subscriptione duorum Notariorum inter scripta Rudolphi, non potuisset tamen Godefridus absque injustitia illam Joanni tradere. *Pontas.*

CASUS CLXIII. Massæus mutuos dedit Florentio 200. florenos solvendos, quando debitori placuerit; neque a tribus abhinc annis solutionem petiit Massæus. Oborta tandem inter eos dissensione Massæus in judicium vocavit Florentium, ut ediceret, an non ipsi deberet 200. florenos. Florentius ob hanc insolitam citationem ratus, a Massæo chirographum fuisse amissum, debitum negavit. Massæus studiose non produxiit suum chirographum, nisi postquam Florentio causaverat expensas 75. florenorum, ad quas simul ac ad solutionem summæ fuit condemnatus. An non tenetur Massæus ad restitutionem expensarum, eoquod illas Florentio solum vindictæ animo fecerit?

℟. Debitor iste mala fide sua ipsemet hanc in se condemnationem attraxit; & hinc Massæus non tenetur ad restituendas 75. florenorum expensas, etsi peccaverit contra charitatem: *Damnum*, juxta Regulam juris 86 in 6. *quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare.* Nihilominus, cum justum non sit, ut Massæus ex vindicta sua lucrum reportet, in conscientia tenetur hos 75. florenos erogare in

pau-

pauperes: *æque enim in omnibus fraus punitur*, ut ait lex *in fraudem* 45. ff. Lib. 49. Tit. 14. *Pontas.*

Nota. Maffæus neque tenetur in pauperes erogare 75. florenos: pœna enim pecuniaria ob peccata soli charitati contraria non habet locum in foro interno; imo ne quidem in foro externo ante sententiam.

CASUS CLXIV. Theodorus filiusfamilias quindecim annos natus, Canonicus cujusdam Ecclesiæ cathedralis præbendam suam resignavit Jacobo æque filiofamilias octodecim circiter annorum, cum retentione pensionis ducentorum florenorum. Domus illius canonica vi recepti ordinis obtigit Juliano, qui & possessionem illius adiit; sed cognito pessimo ædificii statu Theodorum in jus vocavit ad solvendas necessariarum reparationum expensas: Theodoro autem, utpote filiofamilias, nulla bona propria possidente, pensionem a Jacobo ipsi debitam arresto oneravit. Jacobus vero in judicio declaravit, se nihil debere Theodoro, id quod Julianus credidit, cum de bona fide Jacobi non dubitaret; & propterea egit contra Theodorum, eumque condemnari fecit in summam 250. florenorum pro reparanda domo, a quo tamen nihil accepit, eoquod Theodorus, cum hæc gererentur, e vita decesserit. Teneturne Jacobus in conscientia ad solvendos Juliano 250. florenos a Theodoro illi debitos? an etiam ob falsam declarationem Juliano refundere tenetur expensas litis?

℞. Si falsa declaratio fuit facta sponte & scienter, Jacobus in conscientia tenetur ad solvendas Juliano reparationes domus & litis expensas: verum si hanc declarationem fecit invitus, paterna deceptione inductus, ac fraudulenter persuasus, se nullam Theodoro debere pensionem, non tenetur ad restitutionem, nisi pro rata portionis hæreditariæ a patre acceptæ; sufficitque, ut reliquos suos cohæredes sollicitet, ut reliquum restituant, quisque pro ratione portionis suæ. Quod attinet expensas litis, intelliguntur hic solum legitimæ, & necessario faciendæ. *Pontas.*

CASUS CLXV. Athanasius homo pauperrimus fingit se incarceratum ratione debiti 150. florenorum, rebusque compositis cum carceris custode amico suo, eidem duplionem promittit, si sibi permittatur, ut in carcere se detineat in vigilia Paschatis, ubi personæ quædam piæ solent visitare carceres, ibique ratione debitorum detentos liberare. Athanasius producit falsum creditorem secreti conscium, qui exhibito falso chirographo dicit, se fore contentum, si dimidium debiti solvatur, reliquam partem se debitori condonaturum; quod

&

& factum est, & Athanasius beneficio hujus stratagematis accepit 75. florenos. Peccavitne mortaliter Athanasius? num tenetur ad restitutionem 75. florenorum? & cui?

℟. Absque dubio Athanasius peccavit mortaliter per falsitatem hanc gravem, & interpositione fidei publicæ confirmatam; teneturque ad restituendam pecuniam contra justitiæ leges acceptam; eaque applicanda est ad liberationem pauperum, vere ratione debitorum in carcere detentorum. Et hæc est mens legis *Jure*. 206. ff Lib. 50. Tit. 17. dicentis: Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem. *Pontas.*

CASUS CLXVI. Wunibaldus licet sufficienter pro ratione status sui vivere posset, ex tædio tamen laboris mendicitate victum quærit. Teneturne ad restituendam hoc modo collectam eleemosynam? cui & quomodo facienda est restitutio?

℟. Cum eleemosynas hasce dolo aquifierit, tenetur ad earum restitutionem: certum enim est, eum nunquam illas consecuturum fuisse, si erogantes scivissent, eum non esse indigum, solumque mendicare ex amore otii, acediæ aut avaritiæ. Catechismus Concilii Tridentini part. 3. de 7. præc. n. 17. ejusmodi simulatos pauperes in numerum furum refert. Restitutio autem facienda est veris pauperibus, quos dolose a se corrasis spoliavit eleemosynis. *Pontas.*

CASUS CLXVII. Damianus Notarius erecto instrumento admisit aliquam cautionem usurariam Ægidium inter & Paulum legendi scribendique ignaros, qua Ægidius Paulo creditori sese obligabat ad solvendam excessivam usuram. Teneturne Damianus Paulo nihil restituente ad restituendum Ægidio exactum ab illo censum?

℟. Si usura innotuit Damiano, is regulariter loquendo tenetur ad restitutionem; imo meretur suo privari officio, & condemnari ad mulctam: quia revera se complicem reddidit injustitiæ Pauli. Dicitur, *regulariter loquendo:* si enim Damianus usurariam cautionem admisisset non nisi ad preces Ægidii, qui in urgenti necessitate constitutus rebus suis mederi non poterat, nisi exactam a Paulo usuram persolvendo, non obligaretur ad restitutionem; licet certum sit, illum peccasse mortaliter. S.Antonin. 2. *part Sum.theol. tit.*1, *c.*9. §.6. Addit Sanctus hic Præsul, quod si in instrumento facta sit expressa mentio de usura, Notarius non teneatur ad restitutionem: *nam potest*; ut ait, *qui mutuum accepit ad usuram, in judicio se juvare, ut non solvat. S.* Beuve *tom.* 1. *cas.* 143. & *tom.* 2. *cas.* 145. existimat, quod, quando contrahentes sciunt lege-

legere & scribere, & Notarius non sollicitavit usurarium ad dandum mutuum pro usura, ille ad restitutionem condemnari non possit; cum hoc modo non sit causa efficax usurae.

Nota. Cum etiam periculum sortis fundet justum titulum exigendi censum, & hoc periculum a Notario aestimari non possit, licite scribit contractum, quamdiu de ejus injustitia sibi certo non constat.

CASUS CLXVIII. Marculfus Notarius aliquod damnum intulit Juliano; eoquod instrumentum non rite confecerit. Teneturne ad reparandum damnum?

℟. Tenetur ex quasi delicto ad reparandum damnum Juliano illatum; cum tantam teneatur habere scientiam, quantam officii sui ratio exigit. *Pontas.*

CASUS CLXIX. Eligius gregem habebat quadringentarum ovium, quem pastor quidam sollicite custodiebat; milites autem pastorem interceperunt, & ad castra vi abstraxerunt, sicque grex ovium agrum Medardi frumentarium invasit, qui ab Eligio indemnitatem petit. Teneturne Eligius ad reparandum damnum?

℟. Medardus jure petit indemnitatem, & quidem conformiter ad leges tam civiles quam Canonicas. *Quodsi animalia tua nocuisse proponas*, ait Gregorius IX. Cap. *Si culpa.* fin. Lib. 5. Tit. 36. *nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum velis liberare te ipsum.* Verum cum in hoc casu nec culpa Eligii nec pastoris intervenerit, Eligius non tenetur in conscientia ad reparandum damnum, nisi ad id judicialiter condemnetur. *Pontas*

CASUS CLXX. Cum grex armentorum ad Carpophorum spectans in campis pasceretur, pastore sopore oppresso, armenta campum ingressa, ubi Carpophorus non habebat jus pascendi, aut alium locum, ingentem ibi devastationem causarunt. Teneturne Carpophorus in conscientia ad reparationem damni?

℟. Non videtur, Carpophorum posse eximi ab obligatione reparandi damnum: ipsius enim est reddere rationem gregis sui, & illius, cui illum custodiendum commisit. *Leg. si quadrupes.* 1. *ff. L b.* 9. *tit.* 1. Nihilominus non tenetur Carpophorus ad reparationem damni ipso facto, sed duntaxat post latam a Judice sententiam condemnatoriam. *Pontas.*

CASUS CLXXI. Taurus, quem habebat & sciebat Stephanus esse admodum ferocem, in publicis cum reliquo armentorum grege pascuis se detinens, equum vel aliam pecudem ad Renatum pertinentem occidit. Teneturne Stephanus ad reparandum damnum, antequam a judice condemnetur?

℟. Te-

℟. Tenetur; quia revera in culpa fuit, eoquod hunc taurum non custodierit, & cum reliquis armentis in pascua emiserit. Responsio hæc convenit cum lege veteri Exod. 21. *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & divident pretium; cadaver autem mortui inter se dispertient. Sin autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri & nudiustertius, & non custodivit eum dominus suus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet.* Pontas.

CASUS CLXXII. Palamedes ex curiositate alebat lupum, solicite tamen inclusum; nihilominus e custodia elapsus notabile damnum intulit ovium gregi ad Julium pertinenti. Teneturne Palamedes ad reparationem hujus damni?

℟. Si lupus e custodia elapsus est sine culpa Palamedis, hic non tenetur reparare damnum. *Cum vero evaserit custodiam nostram*, Leg. *Quod enim.* 3. §. 2. ff. Lib. 41. Tit. 1. *& in naturalem libertatem se receperit, nostrum esse desinit.* Si vero elabatur animal non ex natura sua ferox, licet mali inferendi capax, & damnum inferat, dominus feræ tenetur de damno illato. *Si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit*, Leg. *Si quadrupes.* 1. §. 5. ff. Lib. 9. Tit. 1. *& alicui damnum dederit, si contineri firmius ab alio poterit, vel si per eum locum induci non debuit; hæc actio cessabit, & tenebitur, qui canem tenebat.* Pontas.

NOTA. Hæ duæ leges sibi invicem contradicunt. In foro interno nemo tenetur restituere ex culpa theologica levi. Palamedes potius obligandus ad restitutionem ex æquo, cum periculum ab ejusmodi animali sit inseparabile.

CASUS CLXXIII. Ansbertus Dux & Par Franciæ possidet silvam refertam cervis, capreis & apris, quæ animalia grandem in vicinos agros inferunt vastationem. Sex agricolæ supplicabant pro indemnitate & facultate has feras occidendi, aut saltem abigendi. Ansbertus neutrum concessit, prætendens jus suum venandi. Peccavitne Ansbertus contra justitiam? Num tenetur ad justam agricolis indemnitatem?

℟. Juxta legem divinam Exod. 22. 5. *si læserit quispiam agrum vel vineam . . . pro damni æstimatione restituet*; & hæc lex neminem excipit ab obligatione. Hinc Ansbertus tenetur his agricolis reparare damnum. Notatu dignissimum est, quod scribit Tilletus in sua de Regibus Franciæ historia, Reges scilicet Philippum Pulchrum & Philippum Longum stricto conscientiæ debito sese obligatos existimasse, ut ingen-

tem pecuniæ ſummam per teſtamenta ſua legarent agricolis fundos ſilvis regiis contiguos poſſidentibus in compenſationem damni fundis hisce illati. Quis jam ſubditorum quantavis authoritate aut dignitate pollentium ab hac obligatione ſe eximet, propoſito tam inſigni juſtitiæ regiæ exemplo? *Pontas.*

CASUS CLXXIV. Pamelius videns, feras ſilveſtres noctu devaſtare agros ſuos, profundas conſtruit foſſas in via ſtrata, qua feras incedere ſciebat, easque ramis ac frondibus tegit. Contigit autem, ut Matthæus rei ignarus hac via tranſiret, ac præceps in foveam actus tibiam & brachium frangeret, ita, ut per tres menſes labori vacare non poſſet. Teneturne Pamelius ad reparandum Matthæo damnum?

℟. Pamelius nullo jure gaudebat has foſſas conſtruendi; dein etſi hoc jure gauderet, culpa tamen non caret, eoquod has foſſas conſtruxerit in via ſtrata, qua incedere ſolebant homines. Hinc videtur, dubitari non poſſe, quin teneatur ad reparandum Matthæo damnum. *Si foſſam feceris in ſilva publica*, ait L. *Si alius.* 7. §. 8. ff. Lib. 43. Tit. 24. *& bos meus in eam inciderit, agere poſſum hoc interdicto; quia in publico factum eſt. Pontas.*

CASUS CLXXV. Adolphus cum tempore opportuno ſpinas ac tribulos in agro ſuo incendiſſet, ſuborto ſubito vento flamma in agrum vicini ſui deportata eſt, & omne in eo frumentum conſumpſit. Teneturne ad præſtandum damnum?

℟. Leges civiles in hoc caſu eximunt ab obligatione reparandi damnum. Nihilominus talis indulgentia approbari non poteſt: Exodi enim 22. 6. ſic habetur: *ſi egreſſus* (proſerpendo) *ignis invenerit ſpinas, & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.* Et certe potuiſſet Adolphus ejusmodi eventum facile prævidere, ſive ſpinas comburendo in majori ab agris vicini ſui diſtantia, ſive combuſtionem differendo poſt meſſem collectam. *Pontas.*

Nota. Lex Exodi eſt ſolum diſpoſitiva pro foro externo ex præſumptione culpæ ſaltem levis, quæ, ubi agitur de periculo boni publici, graviter puniri poteſt.

CASUS CLXXVI. Nicaſius cum ex negligentia paleas in horreo Juvenalis ignem concipere permitteret, tota domus conflagravit. Teneturne de damno, etſi culpa ipſius fuerit leviſſima?

℟. Cer-

℟. Certum eſt, in foro externo Nicaſium ad reparandum damnum condemnandum fore. Leg. *In lege.* 44. ff. Lib. 9. Tit. 2. Jus Romanum omnino vult, ut in ejuſmodi caſu damnificator, ubi damnum reparandi media non ſuppetunt, corporaliter puniatur: *Qui ædes, acervumve frumenti juxta domum poſitum combuſſerit, vinctus, verberatus, igni necari jubetur; ſi modo ſciens prudensque id commiſerit. Si vero caſu, id eſt, negligentia, aut noxam ſarcire jubetur; aut ſi minus idoneus ſit, levius caſtigatur* Leg. *Qui ædes.* 9 ff. Lib. 47. Tit. 9. Non videtur tamen ad id teneri in foro interno ante ſententiam condemnatoriam. Nihilominus Lex naturalis exigit, ut reparet partem damni juxta judicium viri prudentis, conſiderantis qualitatem & circumſtantias culpæ *Pontas.*

CASUS CLXXVII. Cum ignis corripuiſſet domum quamdam adjacentem domui Titii, quam & ipſam flamma brevi invaſura erat, proximi vicini videntes, quod, ſi ignis Titii domum invaderet, ſuas pariter in eandem ruinam trahendas fore, illam diruerunt, ac ſolo æquarunt. Tenenturne Titio ad reparandum damnum?

℟. Cum ejuſmodi eventus conſiderandi ſint tanquam caſus mere fortuiti, quorum damna unice in illos, quorum intereſt, redundare debent, vicini iſti ad nullam Titio indemnitatem tenentur, etiamſi domum illius propria authoritate demoliti fuerint in abſentia Magiſtratus aut Prætorum, ad quos ſolos alias ſpectat talia præcipere. Reſponſio hæc concordat cum lege *Quemadmodum.* 29 §. 3. ff. Lib 9. Tit. 2. quæ in ſimili caſu ſic decernit: *Labeo ſcribit, ſi cum vi ventorum navis impulſa eſſet in funes anchorarum alterius, & nautæ funes præcidiſſent; ſi nullo alio modo, niſi præciſis funibus explicare ſe potuit, nullam actionem dandam. Idemque Labeo & Proculus & circa retia piſcatorum, in quæ navis incideret, æſtimarunt. Pontas.*

Nota. Ea licentia diruendi fundatur partim in pacto moribus comprobato, partim in lege non ſcripta, partim in conſuetudine.

CASUS CLXXVIII. Medardus in domo ſua propria, aut ſibi locata Pariſiis extra feneſtras ſecundæ condignationis aliquam afferum contabulationem fieri curavit, ac in ea quædam vaſa plantaria poſuit. Hæc contabulatio licet ſolide affixa, venti impetu tamen ſoluta in nonnullas domum prætereuntes perſonas delabitur, quas inter non nemo vulneratus eſt. Teneturne Medardus ad reparandum damnum?

℟. Medardus peccavit contra leges politicas, & tenetur ad reparationem, ad quam a Judice condemnatus fuerit. Non tenetur tamen ad id in conscientia ante sententiam. *Pontas.*

CASUS CLXXIX. Blandina Theodati civis Parisiensis famula, aut domus locatarius per fenestram effudit aliquam materiam humidam, quæ in vestes cujusdam matronæ delapsa, illas penitus corrupit. An Theodatus tenetur de damno a Blandina vel locatario matronæ illato?

℟. *Pœna suum authorem teneat*, inquit Bonifacius VIII. in cap. *Si compromissarius.* 37. in 6. l. 1. tit. 6. Nihilominus leges civiles obligant Dominos domorum ad reparationem damni a suis domesticis cuipiam illati: quando tamen dominus nihil participat de culpa domestici sui, in foro conscientiæ ad nullam tenetur reparationem ante sententiam condemnatoriam judicis; & in præsenti casu tunc dominus habet suum recursum adversus Blandinam vel locatarium, qui absque controversia tenentur reparare damnum *Pontas.*

CASUS CLXXX. Polybius retibus ceperat duodecim anatas lacustres, illasque in tuto ac clauso loco asservatas uno mense aluit. Verum cum ancilla quondam loci januam apertam relinqueret, anates in proximum stagnum evolarunt, ubi paulo post Cajus sex earum sclopeto trajecit. Teneturne Cajus ad restitutionem Polybio id petenti?

℟. Polybius tamdiu solum habuit dominum harum anatum, quamdiu illas in sua habuit possessione; & hinc in stagno natantes non amplius pertinebant ad ipsum, & Cajus nullo modo tenetur ad restitutionem. Aliud tamen dicendum foret de animalibus naturaliter cicuribus & domesticis v. g. de gallinis, anseribus & columbis &c. Inter animantia etiam naturaliter fera recenseri possunt apes, donec in alveario inclusæ fuerint. *Feræ igitur, bestiæ, & volucres & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt*, inquit Justinianus Instit. Lib. 2. Tit. 1. §. 12. *Quidquid autem eorum ceperis, eousque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur. Cum vero evaserit tuam custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit, tuum esse definit, & rursus occupantis fit.* Mox explicat, in quo consistat naturalis libertas, his verbis: *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio. Pontas.*

CASUS CLXXXI. Conradus cum in domo sua vel horto aquis indigeret, puteum illas abunde subministrantem effodi curavit; sed per hoc fontem vicini sui exsiccavit. Teneturne

ne vicino huic graviter conquerenti ad aliquam indemnitatem?

℟. Nulla vicino huic debetur indemnitas: dominus enim fundi eum sibi utilem reddere potest, prout opportunum judicaverit; dummodo id non faciat animo nocendi proximo. Dein defectus aquæ aliunde est casus mere fortuitus. Hinc juxta communem Juris regulam: *Non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo.* Roboratur responsio Lege *Fluminum.* 24. §. 12 ff. Lib. 39. Tit. 2. *In domo mea puteum aperio, quo aperto venæ putei tui præcisæ sunt: an tenenar? Ait Trebatius, non teneri me damni infecti: neque enim existimavi, operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua jure meo usus sum.* Id tamen solum locum habet supposito, quod hæc mutatio, seu novum opus non adversetur legi particulari, vel consuetudini, aut cuidam alteri titulo id prohibenti. *Pontas.*

Nota. Si aqua vicini est æque bona, ipsique proficua, aut omnino necessaria, teneretur Conradus ex charitate moderari profunditatem putei ad libellam.

CASUS CLXXXII. Tarbulius ictu minoris sclopi periculose vulneravit Sylvestrum, non ex malitia, sed ex imprudentia, quam homo prudens ac diligens evitasset. Teneturne in conscientia ad reparandum damnum, antequam a judice ad id condemnetur?

℟. Juxta Innocentium IV. ad Lib. 5. Decret. Tit. 12. *de homicidio.* cap. *sicut dignum.* n. 4. & 5. Tarbulius ad nullam reparationem tenetur. Plures tamen alii docti interpretes in illius sententiam non concedunt, & dicunt, Tarbulium teneri etiam ante sententiam condemnatoriam de sua negligentia, quæ excusari non potest. *Pontas.*

Nota. Quo majus est malum, quod potest incurri, eo majori diligentia illius periculum vitandum est. Et ideo Tarbulius, si confitetur, se advertisse aliquale periculum, ex æquo, ut se læso ad notabilem compensationem offerat, obligandus est.

CASUS CLXXXIII. An Tarbulio defuncto ad eandem reparationem teneantur hæredes ipsius?

℟. S. Raymundus *in Sum. l.* 2. *t.* 5. §. 24. censet, hæredes teneri ad eandem restitutionem; cum hæredes aliquo modo onerentur culpa a defuncto commissa juxta hanc regulam Juris: *Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.*

Nota. Hæredes, nisi testator aliud ordinet, possunt supponere, eum vel nullam culpam theologicam in se agnovisse, vel jam satisfecisse.

CASUS CLXXXIV. Ephidius, cum videret domum Tullii vicini sui proximam minitari ruinam, illamque, si corrueret, domui suæ admodum fore damnificam, institit apud Tullium, ut domum suam aut demoliretur, aut fulcris sustentari curaret: Tullio autem rem hanc differente domus corruit, unamque domus Ephidii partem destruxit, ex quo is 3000. florenorum damnum passus est, eoquod multæ picturæ ac sculpturæ omnino perierunt. Teneturne Tullius ad reparandum hoc damnum?

℞. Si Tullius potuit avertere periculum ædibus Ephidii imminens, tenetur ipsi præstare damnum illatum. Leg. *Prætor.* 7. ff Lib. 39 t. 2. Verum si Tullius non potuit raparare aut fulcire domum suam, monitusque id declarasset Ephidio, simulque ipsi domum in hypothecam obtulisset, si ipsemet necessarias ad præcavendum damnum expensas facere vellet, id vero Ephidius recusasset; videtur æquitas naturalis deobligare Tullium a prætensa ab Ephidio indemnitate, vel saltem illam facere moderatiorem ex judicio æqui judicis. Quod attinet picturas & sculpturas, leges volunt, æstimationem damni non in omni rigore esse faciendum. *Ex damni infecti stipulatione*, ait lex *Ex damni.* 40. ff. Lib. 39. Tit. 2. *non oportet infinitam vel immoderatam æstimationem fieri, ut puta ob tectoria, & ob picturas: licet enim in hæc magna erogatio facta est, attamen ex damni infecti stipulatione moderatam æstimationem faciendam; quia honestus modus servandus est, non immoderatæ cujusque luxuriæ subsequenda. Pontas.*

CASUS CLXXXV. Maurus & Adrianus in spatioso quodam compito ludum conorum exercebant, & Bernardus forte ex adverso transiens ingentem in tibia plagam accepit per globum a Mauro emissum. Teneturne Maurus Bernardo reparare expensas in chirurgum factas, & refundere lucrum interea cessans?

℞. Juxta Legem *Sed & si.* 5. §. 1. ff. lib 9. tit. 2. damnum reparari debet ab eo, qui illius causa exstitit; & hinc Maurus tenetur Bernardo ex integro reparare damnum ex sua incuria aut negligentia vel ex culpabili ignorantia, aut ex alia culpa etsi levi illi illatum juxta aliam Legem 10. ibid. *Lusus quoque noxius in culpa est.* Aliud tamen dicendum foret de eo, qui imprudenter locum lusus globorum pertransiret eo tempore, quo ordinarie ludi solet, & vulnus acciperet a globo jam emisso, ut habetur Lege *Item.* 9. §. 4. ibid. *Si cum alii*

lii campo jacularentur , servus per eum locum transierit, Aquilia cessat ; quia non debuit per campum jaculatorium iter intempestive facere. Qui tamen data opera in eum jaculatus est, utique Aquilia tenebitur. Pontas.

Nota. Qui facile advertere possunt periculum casus fortuiti ex actione non necessaria vel utili , sed mere voluptuaria , eo ipso ex æquitate naturali tacite in se recipiunt periculum damni.

CASUS CLXXXVI Stephanus sæpe accipiebat bona fide nummos aureos, præscripto a legibus pondere carentes, illosque ad alios transmisit mercatores , qui eos pariter non examinato pondere expendebant, licet quandoque quatuor aut quinque grana justo deessent ponderi. Teneturne ad aliquam restitutionem ?

℟. Quando consuetudo viget generalis non ponderandi monetas aureas , quas quis recipit & iterum expendit in commercio , non censetur Stephanus obligandus esse ad aliquam restitutionem. Et hæc responsio fundatur in regula Juris : *Nemo videtur fraudare eos , qui sciunt & consentiunt. Pontas.*

CASUS CLXXXVII. Tremerius quondam abstulit 50. florenos cuidam , cujus nec nomen , nec domicilium , nec patriam novit. Quid illi agendum , ut satisfaciat conscientiæ suæ ?

℟. Hanc summam applicare debet in causas pias , maxime in eleemosynas pro salute illius , cui abstulit , sive jam obierit , sive adhuc vivat. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. *Pontas.*

Nota. In hac re ad præsumptam intentionem damnificatorum , ordinata charitate ad nutus divinos regulatam , respiciendum est. Cum ergo Deus dicat : *Misericordiam volo , & non sacrificium*, Matth. 9. censeo , ejusmodi restitutiones potius faciendas esse in vere pauperes pios observato ordine charitatis , quam in stipendia missarum erga quosvis male expendentes tales eleemosynas , aut vane. Suaderem , ut media pars applicetur in stipendia missarum erga Sacerdotes pauperes , pios , Ecclesiæ utiles.

CASUS CLXXXVIII. Rigobertus 100. florenos debet Dominico , qui jam per septem aut octo annos se detinet in Persia , ibique fixit domicilium : nulla autem Rigoberto relatio ad regnum Persarum. Quid ipsi agendum pro tranquillanda conscientia ?

℟. Si absolute nullum reperiatur medium hanc summam reddendi Dominico , aut graves nimium obstarent difficultates , hæc summa deponenda est in loco securo , & monendus

desuper Dominicus, quod recipere possit hanc summam ex manibus depositarii, quamprimum & quomodocumque voluerit. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5 ad 3. Nec tenetur Rigobertus ad expensas in restitutionem faciendas, si hanc summam non aqu sivit modo injusto.

CASUS CLXXXIX. Clotarius, postquam Festo mille florenorum damnum intulerat, ab obligatione hic & nunc restituendi se excusat ex tribus his rationibus: 1. quia est nobilis, ac restituendo se & familiam suam ad mendicitatem esset redacturus. 2. Quia, etsi posset restituere, ad id tamen se obligari non putat; eoquod Festus sit prodigus, & publicus dissipator, qui restitutam sibi summam exiguo tempore dilapidaret. 3. Quia sine sui diffamatione non potest fieri hæc restitutio. An istæ rationes coram Deo securam reddant Clotharii conscientiam?

℟. Hæ rationes sufficere possunt ad excusandum coram Deo Clotharium ab obligatione mox restituendi. Prima ratio, juxta S. Antoninum, 2. parte Summ. Th. Tit. 2. c. 8. legitima est. *Ratio hujus est*, inquit, *scilicet quod talis restitutio potest differri; quia secundum Scotum creditor, id est, qui debet habere, magis debet velle in hujusmodi casibus, ut maximum incommodum seu damnum ejus, qui habet restituere, evidetur in modica restitutionis dilatione, quam suum incommodum modicum vel damnum ex carentia ad tempus suæ rei.* Secunda ratio æque probatur a S. Antonino l. c. ubi ait: *Tunc tenens non est detentor injustus: nam & depositum debet redditione strictissima, cum repetitur, reddi; & tamen invito domino, voluntate inordinata cum repetit, ut cum eo malum faciat, sibi vel alteri potest retineri.* Tertia demum ratio haud minus valet, si re ipsa ac vere intervenit: nam juxta eundem S. Doctorem, si possessor rei alienæ nec per sese ipsum, nec per aliam personam restituere potest sine diffamatione sui, non tenetur in conscientia restitutionem facere durantibus hisce circumstantiis: bonum enim famæ plurimum prævalet omnibus aliis bonis temporalibus, juxta illud Prov. 22. v. 1. *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ.* Hinc Clotharius pro præsenti solum obligatur ad parcendum, quantum fieri potest, suis redditibus, ut conquirat media sensim id, quod debet, restituendi. Potest differre restitutionem, si Festus pergat bona sua prodigere; sollicite tamen curare debet, ut restitutio ipsi suo tempore certa sit, prout fieret, si deponatur hæc summa in loco securo, aut, si esset periculum diffamationis, faciat restitutionem per testamentum, aut personam aliam tertiam, probam ac discretam, cujus fides minime suspecta est. Si tamen Festus

gravi

gravi necessitate laboraret, nullo modo Clotharius excusari posset a facienda restitutione. *Pontas.*

Nota. Æquitas naturalis petit, ut gravius onus indigentiæ ferat reus, quam innocens. Econtra si nec debitor nec creditor fit reus, in easum ferendæ indigentiæ ad majus onus obligare se præsumitur debitor, non tamen ad totum.

CASUS CXC. Artemidorus Notarius regius, cui unicus erat filius viginti annos natus, a sua infantia demens aut paralyticus, bis mille tantum florenos possidet, & similem summam diversis personis debet. Potestne tuta conscientia pensionem alimentariam ex hac substantia suo constituere filio, antequam suum creditoribus debitum persolvat?

℞. Juxta Cabassutium Lib 6. c. 23. n. 5. potest in hoc providere filio; idque desumitur ex Lege *Si pupillus.* 18. ff. Lib. 42. Tit. 6. *Si pupillus ex contractu suo non defendatur; ideoque bona ejus creditores possidere cœperint, diminutio ex his bonis fieri debet vescendi pupilli causa.* Personæ miseræ omnique vitæ subsidio destitutæ æquiparantur pupillis. *Pontas.*

Nota. Competentia status non solum debetur personis honoratis, sed etiam rusticis.

CASUS CXCI. Fulgosus jam est in procinctu restituendi 100. florenos Friderico furto ablatos, dum comperit, patrem suum in extremam devenisse necessitatem, e qua ipsum eruere non posset nisi retenta hac summa. Potestne differre restitutionem, ut patri suo subveniat?

℞. Potest differre restitutionem, ut patri subveniat. D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 4. Hic tamen casus est rarissimus. *Pontas.*

CASUS CXCII. Waldradus debet Natali summam 1000. florenorum, ad cujus solutionem intra tres menses præstandam se obligavit per publicum instrumentum. Elapso hoc termino Waldradus non potest satisfacere suæ obligationi, nisi vendat domum & merces suas viliori pretio, ex quo notabile pateretur damnum; Natalis autem ex dilatione solutionis non pateretur tale damnum. Teneturne Waldradus nihilominus solvere, non obstante damno perferendo?

℞. Excusatio Waldradi non admitteretur in foro externo; in foro tamen interno non tenetur ad restituendum hic & nunc, nisi Natalis ipse laboraret indigentia: tunc enim teneretur ad restitutionem statim faciendam, non obstante perferenda jactura. Et sic senti Cabassutius L. 6. c. 21. n. 3 hanc allegans rationem; *quia procul dubio in pari causa melior*

hac in re debet esse conditio creditoris utpote domini, quam ejus, qui alienum ob suam penuriam detinet. Idem observat, quod si debitum proveniret ex furto aut ex alia causa injusta, damnum ex parte debitoris sustinendum nunquam suppeditaret justam excusationem differendi solutionem. *Pontas.*

CASUS CXCIII. Duodecim socii in nova quadam manufactura indigentes privilegio regio una cum utili quadam clausula, proponunt Juvenali consorti suo, ut rogatum accederet Ducissam, quæ magna pollet apud aulam authoritate, ipsique in recognitionem nomine omnium offerat 7500. circiter florenos, &, si opus fore censeat, insuper augeat hanc summam. Juvenalis suscepta in se hac commissione loquitur Ducissæ, ipsique declarat, etiam sibi partem esse relinquendam ex hoc dono aureo. Ducissa consentit, & obtento a Rege privilegio recipit summam 7500. florenorum, de qua 1500 florenos donat Juvenali in puram gratificationem. Num hæc summa Juvenali fuit legitime aquisita?

℟. In hoc casu Juvenalis respiciendus est tanquam commissarius aut mandatarius societatis, qui voluntarie suam navat operam ad procurandum gratuito commune bonum societatis, cujus & ipse membrum est. Hinc obligatur in conscientia ad administrandum gratuito sociorum suorum interesse, juxta id, quod dicitur Leg. *Obligatio* 1. §. 4. ff. Lib. 17. Tit. 1. Mandatum, nisi gratuitum, nullum est: nam originem ex officio atque amicitia trahit. Juvenalis ergo societati declarare debuit, Ducissam fuisse contentam summa 6000. florenorum; residuum, quod ipsa reddidit, censetur pertinere ad societatem, nec illud Juvenalis retinere potest sine consensu suorum sociorum. *Pontas.*

Vide cas. seq.

CASUS CXCIV. Cræsus dives telonarius a senatu taxatus ad 400000. florenos. Cum sibi persuasum haberet, hanc bonorum suorum taxationem dimidia parte esse majorem, accessit Paulinam, quæ magna apud aulam pollebat gratia, eidemque supplicavit, ut vellet suam conferre operam pro taxationis diminutione, oblato dono 5000. florenorum pro quolibet summa 50000. florenorum, cujus remissionem in favorem Cræsi fuerit obtentura: Paulina Cræso obtinuit remissionem dimidiæ taxæ, a quo percepit in gratificationem 20000 florenos. Poteſtne Paulina hanc summam lucrari, & sine peccato retinere?

℟. Paulina in casu præsenti nullatenus recipere potest hanc summam, aut receptam retinere juxta doctrinam sacræ Facultatis Parisiensis art. 89. *Qui gratia & authoritate, qua*

pal-

pollent apud Magnates . . . , abutuntur ad quæstum . . . , peccant, & restitutionis lege tenentur. Idem dicendum de præfectis aut procuratoribus Principum & Magnatum, qui pro summa pecuniæ vel insigni munusculo aliis procurant officia quæstoris, judicis & hujusmodi. Principium certissimum ac fixe tenendum est, vendi aut emi non posse nisi res ordinarie venientes in hominum commercio : favores autem ac gratiæ Principum sunt extra humanum commercium ; ac consequenter nec emi nec vendi possunt. *Pontas.*

Nota. Si constaret, advocatam esse concubinam Patroni, nunquam liceret, ejus intercessione uti, utpote semper fundata & fundanda in obsequio meretricio, seu contractu innominato; do ut des, facio ut facias.

CASUS CXCV. Riberius mutuas dedit Augustino plures pecuniæ summas, quæ simul sumptæ conficiunt 1750. florenos, pro quibus Augustinus non solum sua illi reddidit chirographa, sed in suo diario etiam dies signavit, quibus quamlibet summam accepit, ibique inter alias summas annotavit tres, quamlibet 250. florenorum, primam acceptam 2. Januarii, secundam 23. Februarii, & tertiam 20. Martii. Elapsis sex mensibus Augustinus sex ejusmodi summas restituit consistentes in 1500. florenis ; videns autem, quod Riberius septimam non exigat consistentem in 250. florenis, quam in suo diario annotaverat ut acceptam 20. Martii, ipsemet declarat Riberio, se adhuc hanc illi summam debere ; sed Riberius non reperto septimo chirographo hanc summam acceptare renuit, non obstante iterata oblatione ab Augustino sibi facta ; eoquod semper dubius hæreret, an non jam soluta fuerit hæc summa. Poteftne tandem acceptare hanc summam 250. florenorum, quam Augustinus absolute vult restituere ?

℟. Riberius potest eam acceptare ; quia credibile non est, Augustinum in suo diario annotasse summam ut debitam adhuc, quæ tamen soluta jam sit. 2. Quia, cum hoc debitum sit scripto annotatum, positiva habetur probatio, debitum adhuc exstare : positiva autem probatio prævalere debet simplici dubio. 3. Quia, cum Augustinus in rebus ac negotiis suis domesticis admodum exactus sit, præsumendum non est, eum falsum quid ac præjudiciosum sibi in suo annotasse diario. *Pontas.*

CASUS CXCVI. Emilianus, cum audiret, post menses imminuendum valorem pecuniæ, suam omnem tradidit Joanni amico suo, ut eam expenderet in commercio, ac post imminutionem pretii sibi iterum æqualem summam restitueret.

ret. Accepta conditione Joannes expendit pecuniam Emiliani, & post imminutionem pretii separatim in sacculo reponit æqualem summam, destinatam ac proxime restituendam Emiliano. Interea autem crescit valor pecuniæ in sacculo contentæ. Ad quem pertinet lucrum?

℞. Lucrum, quantumcunque notabile fuerit, pertinet ad Joannem, qui in se recepit omne periculum, & omnem imminutionem pecuniæ, semperque fuisset obligatus ad restituendam Emiliano integram summam ab eo acceptam: Joannes enim in hoc casu non est habendus pro simplici procuratore, cum semper habuerit dominium hujus pecuniæ. *Pontas.*

CASUS CXCVII. Diogenes pauper agricola in extremam paupertatem redactus tempore penuriæ, cogebatur secreto per aliquot menses furto auferre farinam vicino pistori, ne fame periret. Elapso hoc egestatis termino per laborem suum aut per eleemosynas tantum sibi comparaverat, quantum sufficiebat ad sustentationem suam, & etiam ad faciendam diviti pistori restitutionem ablatæ farinæ. Parochus autem ipsi dicebat, eum ad nullam in conscientia obligari restitutionem. Potestne tuta conscientia sequi opinionem parochi sui?

℞. Potest sequi; licet melius fieret restitutio: non abstulit, nisi quod vi juris naturalis ipsi licebat auferre juxta S. Thomam 2. 2. q. 66. art. 7. ad 2. ubi ait: *Quia per talem necessitatem efficit suum id, quod talis accipit ad sustentandam propriam vitam.* Nihilominus si quidpiam de ablata farina adhuc in natura existeret, illud restituere teneretur. *Pontas.*

Nota. Etiam in extrema necessitate bona non fiunt absolute communia, sed solum conditionate cum onere restitutionis, si quis ad pinguiorem fortunam pervenerit.

CASUS CXCVIII. Eraldus nobilis cum in suo frumento ad messem jam maturo deprehenderet octo vel decem porcos ad Robertum pertinentes, eosque abigere non posset sine augmento illatæ ab iis vastationis, duos sclopo trajecit. Peccavitne? & num tenetur in conscientia ad valorem restituendum Roberto, qui porcos custodiri, & factam ab iis devastationem impediri non curavit?

℞. Dubium non est, quin Eraldus peccaverit; cum in propria causa se judicem constituerit, licet potuisset ac debuisset recurrere ad judicem pro obtinenda justa compensatione. Nihilominus si damnum illatum justo valori porcorum occisorum æquivaleat, in foro interno ad nullam Roberto tenetur reparationem damni. Si consuetudo regionis Eraldo

per-

permittat, ut ipse sibi justitiam fieri curet, ad id duntaxat obligatur, ad quod obligat consuetudo. Denique ab onere restitutionis immunis foret Eraldus, si per sententiam judicis fuisset absolutus ab obligatione reparandi damnum; aut si in porcos projecisset lapides, aut canem incitasset, & illi in aquam præcipites acti, aut alio modo periissent. *Pontas.*

Nota. Si a judice sperari non posset certa reparatio damni, aut non sine periculo magnorum sumptuum damno prope parium, licite egisset Eraldus.

CASUS CXCIX. Sisinnius Toparcha in flagranti delicto deprehendit Lucianum agricolam, qui in districtu ipsius venabatur, aut columbas ejus trajiciebat; illum aggreditur, ac ablato sclopeto, minabatur illi actionem judicialem. Lucianus his minis territus relicto sclopeto duos insuper dupliones ipsi obtulit ad declinandam in judicio persecutionem. Sisinnius hanc obligationem acceptavit. Teneturne ad aliquam restitutionem?

℟. Censeo, Sisinnium nec accipere nec retinere posse duos dupliones a Luciano oblatos: hæc enim solutio esset instar mulctæ; mulcta autem nec debetur, nec potest exigi, nisi a judice imponatur. Si tamen Lucianus intulisset damnum datæ summæ æquivalens, eam accipere ac retinere posset, tanquam præstitam sibi indemnitatem. Quod attinet sclopetum, non videtur, Sisinnium obligari ad illud restituendum; quia id genus armorum plebeis stricte est prohibitum, nec licet sclopeta publice venalia exponere; ita, ut Dominus, qui deprehendit rusticum hujusmodi instrumento instructum, propria authoritate possit illud confringere. *Pontas.*

CASUS CC. Andronicus Parochus vocatus ad excipiendam confessionem Gerardi excommunicati denunciati ob furtum 500. florenorum, quos abstulit Gabrieli, & periculose decumbentis, eundem absolvit ab excommunicatione & peccatis suis, eoquod simplicem fecisset promissionem restituendi hos 500. florenos una cum sumptibus actionis. Gerardus paulo post in phrenesin delapsus non potuit exequi promissum suum. An peccavit Andronicus? & num tenetur ad resarciendum Gabrieli omne damnum a Gerardo illatum?

℟. Parochus iste gravissime peccavit contra justitiam & obligationem suam; &, si Gabriel nequeat totum damnum sibi illatum recuperare, eximi non potest ab obligatione integrum damnum reparandi; cum ex imprudentia sua & nimia facilitate unica illius causa extiterit. *Pontas.*

Nota.

Nota. Excommunicati notorii absolvendi non sunt, ne quidem in articulo mortis, nisi præstita possibili cautione de satisfaciendo læsis.

CASUS CCI. Tatianus mutuam dedit Jacobo summam 10000. florenorum, ex qua per quinque annos censum usurarium percepit. Eodem tempore debebant Regi pendi decimæ omnium bonorum, quæ quilibet possidebat. Num decimæ ex hac summa solvi debent a Jacobo, an a Tatiano?

℟. Edicto, quo decimæ partis bonorum pensio fuit decreta, cautum est, ut omnes particulares personæ decimas bonorum suorum Regi persolverent, illasque possent suis deducere creditoribus ex censu illis persolvendo. Hoc supposito si Jacobus in declaratione bonorum suorum Regi facta mentionem fecit capitalis summæ 10000. florenorum a Tatiano mutuatæ, & census præstandi, non taxabitur ad decimam, nisi post factam ex illius bonis hujus decimæ partis deductionem; quo casu Tatianus ad illam Jacobo restituendam non tenetur; eoquod Regi nihil persolverit. Si non fecit mentionem mutuatæ summæ, Regique ex bonis suis decimas persolvit, Tatianus tenetur eam ipsi restituere. Denique si istæ decimæ Regi non fuerunt persolutæ, Tatianus eas solvere tenetur, quamprimum præfectus earum illas exegerit. *Pontas.*

CASUS CCII. Farinacius Advocatus disertissimus susceptam in se causam, quam injustam noverat, tam dextre propugnavit, ut illam fuerit lucratus. Teneturne in conscientia ad restituendos 20. dupliones pro labore suo acceptos?

℟. Evidens est, eum accepisse has pecunias contra justitiam; & consequenter tenetur ad restitutionem. *Si justitia sincerius consulatur*, ait S. Augustinus Epist. 153 al. as 54. *justius dicitur advocato: redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* Tenetur insuper ad reparandum omne damnum adversæ parti illatum, illo non restituente, pro quo hanc causam injuste fuit lucratus. *Pontas.*

CASUS CCIII. Heraclides Advocatus consuluit Ludovico clienti suo litiganti cum Antonio, ut negaret verum aliquod factum, nisi vellet cadere causa sua. Ludovicus Advocati consilium secutus lucratus est causam suam. Teneturne Heraclides ad reparandum Antonio damnum in defectu Ludovici?

℟. Certum tam juris canonici quam Romani principium est, illum, qui consulit furtum, ejusdem reum esse. Hinc Heraclides tenetur Antonio reparare damnum illatum, si il-
lud

lud non reparet Ludovicus. Sic respondet author Glossæ in constitutionem Innocentii IV. *Statuimus*. 1. Lib. 2. Tit. 9. in 6. in 6. inquiens: *Scire debes, quod advocatus, qui docet clientulum falsum respondere, tenetur adversario illius damna resarcire, quæ ab hoc pertulit; puta ex onere probandi, vel amissione causæ. Unde solent advocati dicere clientibus: si hoc confitearis, causam perdes; nec dicunt: si negaveris, animam perdes. Pontas.*

CASUS CCIV. Hyginus præmeditate occidit Paulum Renati patrem; & Petrus ac Jacobus soli sunt testes oculati. Ad supplicem Renati libellum fuit facta inquisitio contra Hyginum, & in judicium vocati sunt Petrus & Jacobus una cum pluribus aliis ad perhibendum testimonium; sed nullus contra Hyginum testatus est. Jam quæritur, num Petrus & Jacobus, qui veritatem reticuerunt, ad restitutionem teneantur fisco, ad quem maxima bonorum Hygini portio pertinuisset post latam in eum mortis sententiam.

℞. Lex pure pœnalis a potestate sæculari condita, quæ nec recipitur, nec in usum deducitur, & quidem cum consensu saltem tacito hujus potestatis sæcularis, in foro interno non obligat: *Lex in nihilo recepta in nihilo obligat*, inquit Navarrus Man. c. 23. n. 62. Ratio est; quia lex primum obtinet rationem veræ legis, dum promulgatur, & per acceptationem eorum, quos respicit, confirmatur. Quando lex secundum receptum usum est promulgata, obligat in conscientia. Dein potest lex recipi & vigere quoad certos articulos, non item quoad alios; quo casu ad hos posteriores nulla datur obligatio. Denique non obligat amplius lex, quæ fuit abrogata ab ipso Legislatore, aut per consuetudinem contrariam rationabilem & legitime præscriptam. His prænotatis dicitur, Petrum & Jacobum in casu proposito ad nullam fisco obligari restitutionem; quia lex pœnalis bona alicujus hominis ad mortem condemnati fisco adjudicans, locum & usum non habet, donec sententia a judice fuerit pronunciata. *Pontas.*

CASUS CCV. Christianus contra Religiosos cujusdam Ordinis reformati male affectus ob perditam contra illos causam, persuasit Paulo, qui a decem annis frater laicus solus sartoris munere in Communitate fungebatur, ut transiret ad Ordinem laxiorem; id quod cum dispensatione Romana etiam factum est. Teneturne Communitati ad aliquam restitutionem?

℞. Christianus excusari nequit ab obligatione reparandi damnum Communitati, quæ alterius sartoris operam conducere cogebatur: non enim peccavit solum contra charitatem,

sed

sed etiam contra justitiam; eoquod ex malitia huic Communitati damnum intulerit. Merbesius *Sum. Christ.* tom. 1 part. 2. q. 172. conclus. 3 pag. 619. Peccatum Christiani ex eo fit gravius; quia causa exstitit cujusdam generis apostasiæ, in quam incidit Paulus. *Pontas.*

CASUS CCVI. Victoricus famosus campsor tres habet commercio suo famulantes, Paulum, Petrum, & Claudium, qui cum illo de sua mercede convenerant, nimirum Paulus pro 200. florenis, Petrus pro 150., & Claudius pro 100. Petrus & Claudius non minus operæ præstabant hero suo, ac Paulus; & ideo idem cum Paulo sibi salarium deberi existimabant. Hoc nixi fundamento ex pecuniis pro hero suo acceptis tantum retinent, quantum cujuslibet salario a summa 200. florenorum deest. Tenenturne in rigore ad restituendum id, quod ultra constitutum salarium occulte sibi attribuerunt?

℟. Casuistæ, qui docuerunt, domesticos in hoc casu propria authoritate uti posse occulta compensatione, fuerunt censurati ab Universitate Lovaniensi, & pluribus Episcopis Galliæ. Doctrina Facultatis Parisiensis hujusmodi domesticos exprese furti insimulat. Propositio horum perniciosorum Theologorum est hæc: *Famuli & famulæ possunt occulte heris surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod accipiunt.* Censura autem Cleri Gallicani anno 1700. fuit ista: *Hæc propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.* Eandem propositionem anno 1679. condemnavit Innocentius XI. Hinc Petrus & Claudius tenentur restituere id, quod ultra constitutum salarium clam surripuerunt.

CASUS CCVII. Albertus vir nobilis cum perdidisset horologium argenteum, ocyus in furti suspicionem attraxit Barnabam famulum suum; idque manifestavit toti familiæ suæ; etsi falsum fuerit. Teneturne a Barnaba calumniæ veniam petere, & reparare famam hujus famuli?

℟. Tenetur in conscientia Albertus ad reparandum Barnabæ famam injuste ablatam: non tamen tenetur ab eo petere veniam; sed sufficit, si 1. coram iisdem personis declaret, quod sine fundamento in suspicionem furti traxerit famulum. 2. Si cum eo agat cum plena confidentia, omni remoto contemptus aut alicujus diffidentiæ indicio. 3. Si eum denuo in suum recipiat servitium, casu quo illud sive sponte sive coacte dimiserit. Ita Merbesius *Summ. Christ.* Tom. 1. part. 1. q. 178. conclus. 3. *Pontas.*

CA-

CASUS CCVIII. Pyſander ante triginta annos in Univerſitate Pariſienſi per duos annos ſtudiis vacabat; & cum a patre ſuo per annum tantum recepiſſet 65. florenos pro ſuſtentatione ſua, non potuit ſolvere debitum Profeſſori ſuo honorarium 24. florenorum. Jam Pyſander Profeſſore nil unquam exigente domum rediit, ibique ſuſcepto ſtatu eccleſiaſtico obtinuit Beneficium, cujus redditus annui cum aliis bonis hæreditariis aſcendunt ad ſummam 1250. florenorum. Teneturne 24. florenos reſtituere hæredibus ſui Profeſſoris?

℞. Pyſander non cenſetur obligari ad hanc reſtitutionem; licet generaliter loquendo Profeſſores eo tempore jus haberent tale honorarium exigendi. Quia tamen tale ſalarium Profeſſoribus tantum debebatur ab iis, quibus illud ſolvendi facultates ſuppetebant, & reliqui conſiderandi erant tanquam pauperes, Pyſander ut talis conſiderari debuit, & non obligatus tunc temporis ad ſolvendum ſalarium, non amplius obligari poteſt; quia, ut habet axioma, *obligatio ſemel extincta nunquam reviviſcit. Pontas.*

CASUS CCIX. Corentinus, poſtquam legerat publice affixam ſchedam, qua Jacobus triginta dupliones promittebat illi, qui ſibi in manus deferret adamantem 2000. florenorum in quadam eccleſia perditum, ſedulo illum quæſivit, & in dicta eccleſia reperit. Accedit ocyus Jacobum, & ab eo triginta duplionum ſolutionem petit, alias non redditurus adamantem. Jacobus veritus, ne corentinus, quem non noverat, reſtitutionem recuſaret, triginta illi dupliones numerat, & ſuum recipit adamantem. Jam Confeſſarius Corentinum obligat ad reſtitutionem triginta duplionum; Corentinus autem ratione factæ a Jacobo promiſſionis ſe excuſat.

℞. Exiſtimo, Corentinum in caſu propoſito teneri ad reſtitutionem acceptæ pecuniæ; quia illam exegit, antequam reddiderit adamantem, ſuamque illum alias non reddendi mentem ſatis declaravit: nemo enim ſine crimine retinere poteſt bonum alienum invito domino: facile inſuper quivis ſibi imaginari poteſt, Jacobum non promiſiſſe triginta dupliones, niſi ex metu perdendi adamantem ſuum. Verum ſi Corentinus reddidiſſet adamantem, quin aliquid exegiſſet, Jacobus autem nihilominus ipſi dediſſet triginta dupliones, gratificatio hæc juſte ipſi foret aquiſita; licet longe melius eſſet nihil recipere *Pontas.*

Nota. Non videtur ſolida hæc Pontaſii reſponſio; quia proclamatio præmii eſt tacita conductio innumerorum hominum ad laborem inquirendi ſedulum & exactum: hi inter ſe certant cum induſtria pro præmio. Si ergo in aliis certaminibus aut luſibus poteſt levi

brachio obtineri fors ingens, idem poterit fieri in præsenti. Et hinc, licet Corentinus teneatur quidem absolute reddere adamantem; licite tamen convenire poterit Jacobum coram judice ad standum promissis.

CASUS CCX. Freculfus patruus & tutor Mariæ & Ludovicæ, minis, vi, ac iniqua tractatione Ludovicam coegit, ut religiosum statum amplecteretur; quia erat valde deformis, ipsique odiosa. Teneturne ad aliquam restitutionem? & cui?

℟. *Libertas inæstimabilis res est.* Unde nihil justitiæ magis adversatur, quam aliquem privare libertate sua. Cum autem omne peccatum contra justitiam obliget ad restitutionem, etiam Freculfus obligatur ad reddendam Ludovicæ integram ac plenam libertatem 1. agnoscendo, quod eam coegerit ad amplectendum statum religiosum. 2. Eidem declarando, quod possit egredi e monasterio, ipsique procurando media annullandi vota sua. 3. Offerendo ipsi gratiam recipiendi eam in domum suam, & cum mansuetudine ac charitate tractandi. 4. Ex propria sua pecunia persolvendo omnes expensas in ingressum Religionis, ac commorationem in eadem factas, deductis tamen expensis, quas facere debuisset in alimentationem Ludovicæ, si mansisset in sæculo. *Merbesius Sum. Christ. tom.* 1. *part.* 2. *q.* 173. *conclus.* 2. *Pontas.*

CASUS CCXI. Lactantius mercator anno 1680. quingentos florenos mutuos dedit Josepho æque mercatori, qui tradidit ipsi chirographum, quo annus mutuatæ pecuniæ non literis, sed numeris erat expressus. Lactantius non petita solutione usque ad obitum Josephi, & veritus, ne Jacobus unicus defuncti filius nuper primum a bello redux, ubi quindecim annis Regis stipendia meruit, & prorsus ignarus de statu rerum sui parentis, extinqueret hoc debitum 500, florenorum jure præscriptionis, loco 1680. posuit 1689. Hac usus industria impediit quo minus posset Jacobus uti præscriptione, illumque obligavit ad solvendum debitum 500. florenorum. Teneturne in foro interno Jacobo ad restitutionem?

℟. Nunquam absque peccato potest fieri aut supponi falsum chirographum, aut quicumque alius titulus: hinc Lactantius graviter peccavit falsificando chirographum. & Jacobus filius Josephi, cum esset in bona fide, & ignoraret statum bonorum paternorum, potuisset absque peccato uti jure præscriptionis, ac se eximere ab obligatione solvendi 500. florenos. Non tamen censetur obligatus esse ad restitutionem; quia hæc summa legitime illi debebatur. *Pontas.*

CA-

CASUS. CCXII. Euphrasius Notarius, creditor Barnabæ, cum recepisset summam 1000. florenorum, deducendam a summa 3000. florenorum eidem mutuo data, pro qua accepit cautionem datam primo Januarii 1660, neglexit petere solutionem residuorum 2000. florenorum usque ad primum Martii 1692.; quia putabat, eum fore solvendo, & studiose intendebat, ut debitum in notabilem summam accresceret, sicque debitorem suum postea obligaret ad concedendum sibi pro solutione pratum sibi valde commodum. Facta autem reflexione, jam plusquam triginta annos fuisse elapsos a die datæ cautionis, & Barnabam uti posse jure præscriptionis, loco Nullionis posuit numerum novenarium, ut appareret, cautionem primum datam esse 1669. sicque præscriptioni locus non esset. Barnabas obtenta cautione in originali sibi communicata, & cognita Euphrasii falsificatione, tanquam falsarium in judicio ipsum detulit. Verum tribus annis in continuata actione elapsis Euphrasius lucratus est causam suam, & Barnabas fuit condemnatus non solum ad solvendos 2000. florenos residuos, sed etiam in expensas ac interesse 500. florenorum; quam integram solutionem sibi ocyus fieri curavit Euphasius. Appropinquante autem mox tempore Jubilæi Euphrasius hoc factum exposuit confessario; quem cum parum favorabilem expertus esset, reposuit, Barnabæ certo constitisse hocce debitum residuum 2000. florenorum, seque ab eo falsi accusatum fuisse solum animo eripiendi hanc pecuniæ summam sub prætextu præscriptionis; unde ipse sibi imputare deberet infelicem causæ judicatæ aleam, sicque se eximi ab omni obligatione restituendi expensas, & perceptum interesse.

℟. Ingens discrimen est inter summam principalem 2000. florenorum & inter expensas ac interesse 500. florenorum: summam enim principalem Euphrasius tuta conscientia retinere potest, ut legitime sibi debitam. Verum quod attinet expensas & interesse, tenetur in conscientia ad restitutionem; nam Euphrasius immutando annum datæ cautionis ansam præbuit Barnabæ actionem instituendi de falsificatione: *Qui occasionem dat, damnum dedisse videtur*, inquit Regula juris. *Pontas.*

CASUS CCXIII. Pothinus duos florenos cum dimidio accepit pro depositione testimonii in quadam causa, pro qua a Judice fuerat citatus. Teneturne ad restitutionem acceptæ pecuniæ?

℞. Si has pecunias accepit pro pretio depositi testimonii, tenetur ad faciendam restitutionem; eoquod peccaverit contra justitiam, quæ non minus testibus prohibet vendere suum testimonium, quam judicibus judicium. Non tenetur autem restituere, si eas accepit per modum justæ compensationis expensarum necessario faciendarum, aut ex decreto judicis. *Pontas.*

CASUS CCXIV. Fulcinus noctu abstulit Jacobo equum aliquo morbo laborantem, qui quatuor aut quinque horis post commissum furtum repente occubuit. Teneturne restituere valorem equi?

℞. Authores quoad hoc punctum in diversas abeunt sententias: justum tamen magis videtur & tutius pro conscientia, sequi opinionem S. Thomæ, juxta quem 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *C* ille, qui abstulit rem alienam, ad restitutionem tenetur non solum ratione rei, sed etiam ratione injustæ actionis, quam commisit. Hinc Fulcinius tenetur Jacobo restituere valorem equi. *Pontas.*

Nota. Tenetur fur a momento furti ad valorem rei, quem habuit tempore furti, & quanti interest Domino, animali non potuisse applicari debite somenta.

CASUS CCXV. Papyrius homo mediocris conditionis postquam vita excesserat, Jacobus ipsius hæres ab intestato reperit inter mobilia defuncti bona argenteum horologium pretio constans 20. florenorum; sed sciens Papyrium isto horologio nunquam usum fuisse, dubitat, an non in foro conscientæ teneatur ad restituendum pauperibus justum illius valorem. Quid respondendum ipsi a confessario?

℞. Si Jacobi dubium legitimo nititur fundamento, a confessario ipsi consulendum est, ut faciat istam restitutionem. *Pontas.*

Nota. Potius Christiane de Papyrio sentiendum, quod horologium vel invenerit, vel in pignus non redemptum receperit, vel in militia ex hoste occupaverit.

CASUS CCXVI. Candidianus dives agricola, ut desiderium Paulini filii sui secundi expleret, qui statum religiosum in ordine quodam Mendicantium amplecti volebat, convenit cum Superiore & Capitularibus, se ante illius Professionem daturum 1250. florenos præter summam 150. florenorum pro anno Novitiatus; id quod etiam executus est, non modico licet cum scrupulo. Poteftne Superior & Conventus retinere

hanc

hanc fummam? & , fi obligantur ad reftitutionem, num ea facienda eft Candidiano?

℟. Religiofi ifti absque omni jure receperunt fummam 1250. florenorum, quam Candidianus non ex mera liberalitate ac gratuito ipfis numeraverat, fed fub conditione, ut filium fuum ad profeffionem admitterent; & hinc tenentur ad reftitutionem. Hæc autem reftitutio non eft facienda Candidiano, cum mala fide egerit & contra confcientiam fuam, nec absque fcrupulo, fed pauperibus; vel hæc fumma applicanda eft in alias caufas pias, quin Superior aut Religiofi eam privata authoritate fuo applicare Conventui poffint. *Pontas.*

Nota. Monafteria non illicite tranfigunt anticipato de legitima dotis. Peccant tamen in ordinibus clericalibus, fi recipiant Clericandos ex motivo primario dotis: hoc eft, alioquin non recipiendos. Ob eam tamen internam intentionem, quæ in foro externo eft difficilis probationis, non datur obligatio reftituendi.

CASUS CCXVII. Andronica vidua quinque liberorum parens, quorum fecundus eft adulterinus, videns, fe periculofe decumbere, nec poffe exhæreditare illum, lege id prohibente, omnes convocat deoneratura fuam confcientiam ratione damni reliquis quatuor liberis inferendi, fi æqualis inter omnes fieret divifio bonorum hæreditariorum, ipfis declarat, quempiam eorum effe ex adulterio natum, feque ad eum manifeftandum, fi vellent, paratam fore. Liberi mox confentiunt in hoc, ut mater adulterium non manifeftet, feque invicem condonare damnum alterutri inferendum, quiscumque ille fit. An ifthoc remedium coram Deo in confcientia fecuram reddit Andronicam?

℟. Alciatus approbat talem præcautionem ut fufficientem. Nihilominus præferenda videtur fententia Covarruviæ Epifcopi Hifpalenfis contrarium fentientis: duplex enim metus, incurrendi infamiam & amittendi hæreditatem, cenfendus eft plurimum poffe in animis horum infantium, ita, ut ipfis fufficiens libertas non relinquatur faciendi reciprocam condonationem; ex quo etiam non fufficienter tranquillari poteft confcientia matris. *Pontas.*

CASUS. CCXVIII. Defiderius irregularis ex delicto fe provideri curavit a Collatore ordinario de parochia quadam, ex qua per duos annos reditus percipiebat; quamvis nec refidentiam fervaverit, nec toto illo tempore Breviarium recitaverit. Supplicavit poftmodum Papæ pro rehabilitatione & condonatione fructuum; id quod ipfi etiam conceffum fuit;

in fupplicatione autem omiffionem refidentiæ & Breviarii exponere non aufus, folam expreffit irregularitatem. Eftne fecurus in confcientia ?

℟. Ex triplici titulo Defiderius non potuit percipere fructus hujus Beneficii, nimirum ratione irregularitatis, ob omiffionem refidentiæ & Breviarii; cumque in fupplicatione folam expreflerit irregularitatem, Refcriptum fubreptitium eft & nullum, ac confequenter fructus jam perceptos, non obftante condonatione a Papa fibi facta, tenetur reftituere. Refcriptum folum id operatur, ut incipiat novus effe Titularis legitimus a die dati Refcripti. Ut autem fructus perceptos fibi attribuere poffit, opus eft novo Refcripto. *Pontas.*

CASUS CCXIX. Anatolius abftulit 250. florenos cuidam Abbati Commendatitio, & fimilem fummam cuidam patrifamilias. Jam ad reftitutionem paratus eft; fed dubitat, num illis ipfis ea facienda fit; quia ambo jam per plures annos diffipant bona fua comeffationibus, lufu ac venatione; imo in hunc ipfum finem contrahunt etiam debita; nec melius applicarentur pecuniæ reftituendæ. Quid agendum Anatolio ?

℟. Quoad Abbatem reftitutio facienda eft ecclefiæ aut pauperibus. *Si Prælatus*, inquit Cajetanus Summ. V. *Reftitutio. 4. n. 2. eft dilapidator rerum ecclefiæ, &, experientia tefte, dilapidarat etiam hæc; non ei, fed illi ecclefiæ, quæ eft vera domina, reftitutio in foro confcientiæ fieri poteft, & debet.* Quod attinet patremfamilias, reftituendum eft uxori ipfius, fi prudenter res domefticas adminiftrat; dummodo timenda non fit perturbatio ac difcordia eam inter ac maritum, fi hic forte in rei notitiam venerit. *Deficiente viri prudentia circa rem domefticam*, ait Gaugericus in Cajet. V. *Furtum. pertinet ad uxorem de bonis communibus difponere. Sic tamen id fiat, ut, quoad effe poteft, caveatur omnis perturbatio regiminis domeftici. Pontas.*

CASUS CCXX. Alphiarius diaconus, viginti tres annos & dimidium natus, de Beneficio curato provifus intra annum Ordinem presbyteratus fufcipere neglexit: continuata per alios duos annos poffeffione, in Curia Romana refignavit hoc Beneficium Remigio fratri fuo presbytero & parocho alterius parochiæ reditnum admodum tenuium. An hæc refignatio valida eft, & Remigius canonice provifus poft lapfum horum trium annorum ? An non tenetur Alphiarius ad reftitutionem fructuum perceptorum ex hac parochia?

℟. Quia

℟. Quia Alphiarius intra annum non recepit presbyteratum, & insuper per alios duos annos retinuit parochiam, *ipso jure* ea privatus exstitit; & consequenter nullum habuit jus per simplicem resignationem eam dimittendi Remigio, qui proinde illegitime de ea provisus fuit. Ad hæc tenetur Alphiarius ad restitutionem omnium fructuum ultimis duobus annis ex Beneficio perceptorum, utpote illegitimus ejusdem possessor: imo obligatur etiam ad restitutionem fructuum primo anno perceptorum, si acceptavit provisionem animo non recipiendi presbyteratum intra annum. Ita Bonifacius VIII. Cap. Commissa. 35. L. 1. T. 6. in 6. Verum si Alphiarius ob legitimum impedimentum non potuisset suscipere presbyteratum, juxta eundem Papam non excidisset suo Beneficio. *Pontas.*

CASUS CCXXI. Emericus cum recepisset 5000. florenos octiduo, antequam valor pecuniæ diminueretur, notabilemque jacturam timeret, hanc summam dedit cuidam actionario pro schedis nummariis. Justinus, qui gravis summæ debitum solvere debebat, obtulit se Emerico ad accipienda ejus chirographa juxta valorem suum intrinsecum, ac præstandam annuam pensionem 250. florenorum, licet tunc hæc chirographa tertia pretii parte publico edicto fuerint diminuta. Emericus acceptavit Justini oblationem, & inito contractu per duos annos censum recepit. Justinus postea Emericum certiorem reddit, quod tertiam pretii partem perdiderit, sibique justam fieri remissionem petit. Teneturne Emericus fidem habere Justino? an obligatur ad faciendam petitam remissionem, reducendo 250. florenos per contractum importatos ad duas tertias? An ob eandem rationem reddere tenetur unam tertiam 500. florenorum lapsu duorum annorum jam perceptorum?

℟. Lucrum hoc est usurarium, quidquid de eo sentiant quidam Authores, qui considerant hujusmodi chirographa tanquam mercem currenti pretio æstimabilem. Hoc supposito si Emericus recepisset ab actionario chirographa 750. flonos continentia sub prætextu amittendæ alias unius tertiæ partis, justum non est, hanc tertiam a Justino, qui tantundem amisit exigere, supposito, quod jactura sit certa, & ipse Emericus sibi persuasum habeat, hanc jacturam Justino fuisse illatam: & in hoc casu Emericus debet reparare damnum Justino causatum, annuam pensionem ad duas tertias reducendo & reddendo duas tertias per biennium jam perceptas. Verum si Justinus non potest convincere Emericum de jactura, quam se passum fuisse ait, Emericus regu-

lariter loquendo non tenetur ipsius verbis credere. Denique supposito quod Emericus receperit chirographa 750. florenos continentia pro 5000. florenis numeratæ pecuniæ, quos dedit actionario, & quod hanc summam expenderit sine suo damno, & quod non obligetur Justino, propterea non cessat obligatio hanc tertiam partem resituendi jacturam passo; qui si lateat, restitutio in eleemosynas vel alias pias causas facienda est. *Pontas.*

CASUS CCXXII. Hildebaldus filiusfamilias rixatus cum Henrico, tam crudum illius capiti ictum impegit, ut illud perterebrari debuerit, imo post octo aut decem dies Henricus ex hac plaga obierit. Framburgus Hildebaldi pater cognito hoc facto, & sciens, viduam Henrici jam obtinuisse decretum comprehendendi occisorem, una cum provisione 100. florenorum contra suum filium, eidem de fuga prospexit. Vidua autem intentata Framburgo actione prætendit, illum condemnari debere non solum ad solutionem 100. florenorum, sed etiam in expensas chirurgi & funeralia sui mariti. Potestne Framburgus in judicio se defendere a præstanda hac solutione pro filii sui delicto? Potestne a judice condemnatus ad hanc solutionem, in conscienta & absque injustitia se eximere ab obligatione solvendi?

℟. Jus naturale & divinum non permittit, ut delictum filii imputetur patri. Judex igitur solum condemnare potest Hildebaldum in solutionem provisionis, in expensas, in damnum & interesse, atque ad pœnam capitalem commisso homicidio promeritam. Cæterum Framburgus potuit, imo debuit filio suo de fuga prospicere. *Pontas.*

CASUS CCXXIII. Creditori cuidam syngrapha mutuo datæ pecuniæ furto ablata fuerat, cui substituit aliam recentiorem, eamque in excussione bonorum debitoris exhibuit, & obtinuit solutionem, posthabitis aliis creditoribus, quorum debita quidem erant recentiora, syngraphæ tamen antiquiores. Potuitne recipere solutionem in præjudicium horum creditorum posteriorum?

℟. Non potuit eam recipere; sed tenetur ad restitutionem reliquis creditoribus vi juris consuetudinis. *Fromageau.*

CASUS CCXXIV. Quidam recepit census usurarios, aut jure hæreditario aquisivit bona ex usura provenientia. Cuinam facienda est restitutio?

℟. Illi

℟. Illi facienda est restitutio, qui solvit hujusmodi census usurarios: si tamen census isti solverentur voluntarie, & mere gratuito, tanquam donum ex generositate factum retineri possent. *Fromageau.*

CASUS CCXXV. Petrus ingentes cumulavit divitias ex meris mutuis usurariis. Teneturne restituere, quæ hoc modo aquisivit?

℟. Tenetur omnia restituere; & si restitutio non facta est in vita ipsius, ad eam tenentur hæredes: neque differenda est ejusmodi restitutio. Si ii non reperiantur, quibus facienda est restitutio, summa restituenda erogari debet in pauperes. *Fromageau.*

CASUS CCXXVI. Mercatores compererunt, antequam publico innotuisset, Algerienses bellum indixisse Gallis; & hac occasione utendum rati, naves suas eodem pretio sibi assecurari curarunt, quo assecurari solent tempore pacis.

℟. Non potuit id fieri tuta conscientia; tenenturque assecuratoribus reparare damnum per fraudulentam dissimulationem illatum. *De Lamet.*

CASUS CCXXVII. quispiam bona fide percepit censum usurarium ex mutuo. Teneturne ad restitutionem?

℟. Potest contingere, ut quis in casu valde extraordinario ratione bonæ fidei non obligetur ad restitutionem census usurarii ex mutuo percepti. Verum, quamprimum censum esse usurarium semel innotuit, eum non amplius percipere potest. *De Lamet.*

Nota. Ad casum extraordinarium pertinet repentina indigentia possidentis lucrum usurarium.

CASUS CCXXVIII. Quidam fuit vulneratus ab iis, quos ipsemet primus est aggressus: nihilominus falsi testimonii beneficio favorabilem pro se obtinuit sententiam. Potestne uti hac sententia?

℟. Non potest; imo tenetur etiam reparare damnum illatum illis, contra quos obtinuit sententiam. *De Lamet.*

CASUS CCXXIX. Mercator quidam vendi ac tradi sibi curavit frumentum jam venditum, sed nondum traditum alteri. Potestne retinere lucrum ex hac emptione perceptum?

℟. Tuta conscientia non potest lucrum retinere; sed tenetur illud restituere primo emptori. *De Lamet.*

CASUS CCXXX. Judex quidam potitus est prædio vi Decreti, quo sub nomine alieno sibimet ipsi illud adjudicavit. Potestne illud retinere?

℟. Tuta conscientia non potest retinere. Aggravatur culpa ex eo, quod proximum consanguineum impedierit, ne predium recuperare potuerit jure reluitionis. Tenetur insuper eidem sic oppresso reparare damnum, eique restituere prædium pro eadem summa, quam ipse vi decreti solvit. Et hæc obligatio afficit in solidum tam judicem, quam omnes alios, quicumque hujus injustitiæ sese reddiderunt participes. *De Lamet.*

CASUS CCXXXI. Tenenturne hæredes restituere bona male aquisita, quæ in partem hæreditatis veniunt? Tenenturne ad id omnes simul, aut quilibet in particulari?

℟. Quilibet eorum tenetur ad restitutionem pro ratione portionis suæ hæreditariæ. *Fromageau.*

CASUS CCXXXII. Quidam induxit filiumfamilias, ut furetur patri suo pecuniam. Teneturne sic inducens ad restitutionem?

℟. Integram summam tenetur patri restituere, etiam defuncto filiofamilias. *Fromageau.*

CASUS CCXXXIII. Homicida detentus in carcere quadraginta nummos aureos illis se daturum promittit, qui evadendi viam sibi aperuerint. Id aggrediuntur duo, perficiuntque. Et hinc quadraginta aurei uni eorum numerantur, monito tamen, ut triginta aureos socio solvat illi debitos, Hic socio tantum solvit viginti tres. An tenetur septem, quos retinuit aureos, restituere? Et supposito, hanc aquisitionem quadraginta aureorum esse injustam, cuinam restitutio facienda est?

℟. Condemnatus ad mortem occasione elabendi, si quam nanciscatur, uti potest. Qui operam suam ad homicidæ hujus fugam contulerunt, fecere quod non licuit: quadraginta tamen aureos restituere non tenentur; licet ille, qui septem aureos sibi servavit, eos socio tradere teneatur. *Fromageau.*

CASUS CCXXXIV. Sempronius videns, a Titio actu committi furtum decem modiorum tritici, ipsemet hac occasione tale furtum committit, de quo tamen non cogitasset, nisi suo Titius exemplo præivisset. Tenenturne Titius restituere pro Sempronio, si hic restituere nolit?

℟. Non tenetur; quia Titius nec positive fuit causa furti a Sempronio commissi; sed tantum occasionem præbuit. Præbendo autem Sempronio occasionem furandi Titius non peccavit contra justitiam, sed tantum contra charitatem; & hinc non tenetur ad restitutionem. C. B.

No-

Nota. Responsioni huic opponi potest 1. Lex *Qui occidit.* 30. §. 2. ff. L. 9. T. 2. *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.* 2. Authoritas Innocentii XI. qui censura confixit sequentem propositionem. : *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

CASUS CCXXXV Titius bona fide emit bovem, quem decem florenis pluris denuo vendit Paulo: postea autem comperiens, bovem hunc fuisse furto ablatum, & pertinere ad Franciscum, quærit, utrum teneatur Francisco restituere lucrum ex venditione bovis Paulo facta redactum, nempe decem florenos.

℟. Non tenetur, nisi bos factus sit intrinsece melior. Ratio est; quia in casu, quo bos nullam recepisset mutationem intrinsecam, lucrum reportatum unice respiciendum est tanquam fructus industriæ Titii. C. B.

CASUS CCXXXVI. Bertha frequenter a Francisco recepit munuscula, ea intentione sibi facta, ut tandem consentiat pravis ipsius desideriis; sed Bertha constanter restitit. Teneturne restituere munuscula?

℟. Non tenetur Bertha restituere hæc munuscula; quia ea acceptando nullam contraxit obligationem justitiæ erga Franciscum, vi cujus haberet jus exigendi, ut Bertha vel consentiat voluntati ipsius, vel reddat accepta. C. B.

Nota. Aut Bertha firmiter statuerat constanter resistere Francisco, aut dubia hærebat. In primo casu eum decepit, & hic agendi modus habebat rationem veri doli. In secundo casu recepta munuscula jam erant fructus iniquitatis. In utroque ergo casu tenetur restituere.

CASUS CCXXXVII. Cajus inter deposita a defuncto parocho, patruo suo sibi relicta, reperit monilia aurea, quæ certo vel ad Petrum vel ad Paulum spectant. Cum autem detegi non posset, quis horum verus monilium dominus sit, quærit novum parochum, cuinam sint reddenda.

℟. Parochus tenetur ipsi respondere, ut pretium monilium dividat æqualiter inter Petrum & Paulum. C. B.

Nota. Tenetur potius monere ambos, & reddere illi, qui jus suum probaverit; vel ea deponere apud sequestrum a Judice designandum.

CASUS CCXXXVIII. Agricola quidam, cui nec panis ad vescendum suppetebat, mutuos accipit ab aliquo decem florenos, cum obligatione eos reddendi tempore messis. Teneturne se ipsa restituere hanc summam tempore præfixo?

℟. Tenetur : licet enim agricola iste fuerit pauperrimus actu, non tamen erat talis in spe; hinc, sicut nec publice nec occulte potuisset cuipiam auferre decem florenos, nisi cum obligatione eos restituendi, ita non potuit recipere hanc summam ad sublevandam suam miseriam, quin eandem obligationem contraheret. Dein, etsi in extrema necessitate omnia fiant communia, sententia tamen adhuc valde probabilis est, quod quis in extrema necessitate constituto non teneatur subvenire gratis per donationem, sed licite possit illi dare mutuum. Hoc supposito, cum ille, qui dedit agricolæ mutuos decem florenos, juste inierit hunc contractum, & agricola receperit, quod volebat, non videtur, quomodo hic vi hujus ipsius contractus non obligetur ad restituendam summam tempore præfixo.

CASUS CCXXXIX. Res injuste ablata perit in domo furis; ea tamen æqualiter periisset apud legitimum possessorem, domo ipsius in cineres redacta. Ad quid tenetur fur?

℟. Ad nihil tenetur; quia nec ipse per furtum fuit factus ditior, nec domninus rei pauperior: sicut nec nauta tenetur ad restitutionem, licet contra voluntatem Domini sui merces transtulerit ex navi optime constituta in aliam male constitutam, in qua dein perierunt; si navis prior similiter naufragio periit.

Nota. Cum in optione domini sit, ex incendio salvare rem etiam viliorem, & cum periculo vitæ, fur nihilominus ad restitutionem *ex æquo* obligendus est. Vide cas. 214.

CASUS CCXL. Titius cum quibusdam debitis esset oneratus, nec ea dissolvere posset, in hunc finem adhibe annulum aureum, a se inventum, cujus dominum detegere non potuit.

℟. Licite in hunc finem utitur invento annulo: si enim non liceret, tunc ideo; quia inventa, quorum dominus nescitur, erogari debent in pauperes, aut applicari in alias causas pias: in casu autem proposito Titius ex una parte est habendus pro paupere, cum debita sua solvere non possit; & ex altera parte annulus aureus applicatur in causam piam, qualis est, impedire, ne debitor vexetur a creditoribus suis. C. B.

Nota. 1. Inquirendum est, an Titius vere sit pauper absque ulla spe melioris fortunæ. 2. Consulendus est prudens director conscientiæ, cui nulla a proprio commodo pertimescenda est illusio.

CA-

CASUS CCXLI. Petrus bona fide possidet agrum per aliquod tempus ; dein , postquam per integrum annum dubitavit , an ager iste pertineat ad se , certum ipsi fit , agrum pertinere ad alium. Quid tenetur Petrus restituere ?

℟. In primis tenetur restituere agrum , nisi dominium ejusdem aquisierit per præscriptionem : dein tenetur restituere fructus nondum præscriptos , deductis tamen semper pro indemnitate sua expensis in agrum factis. Præscriptio hujusmodi fructuum locum habet post triennalem possessionem , sive ea fuerit bona fide, sive fide dubia, dummodo eo anno , quo dubitavit de legitimitate possessionis , sufficientem diligentiam adhibuerit ad indagandam rei veritatem : tunc enim dubium non tollit possessionem bonæ fidei, nec impedit, quo minus tempus præscriptionis continuetur. Verum si fuit omissa debita diligentia pro indaganda rei veritate , tunc , cum statim ab initio possessionis dubiæ quis fit possessor malæ fidei, annus hujus possessionis dubiæ non potest computari inter annos necessarios ad legitime præscribendum. Denique si Petrus possedit agrum per aliquod tempus non sufficiens ad præscriptionem ejusdem , aut fructuum , teneretur restituere & agrum , & omne id , unde per possessionem ejusdem factus est ditior ; quia omni caret titulo ea retinendi. C. B.

Nota. Ut quis præscribat rem , necesse est , ut eam possideat cum persuasione , quod sit sua. Possessor dubitans, an res sit sua , nunquam sit possessor bonæ fidei ex eo , quod in veritatem rei sedulo indagaverit.

CASUS CCXLII. Duo homines , quorum unus se fingit pauperem , alter autem revera talis est , ingentes pecuniæ summas coacervant petendo eleemosynas.

℟. Ille , qui se fingit pauperem, tenetur ad restitutionem ; quia erogantes ipsi elemosynam fuerunt decepti quoad objectum charitatis & misericordiæ suæ : error autem hujusmodi tollit consensum donantis, & consequenter impedit translationem dominii rei donatæ. Quod attinet alterum reipsa pauperem, is ad nihil tenetur. Prudentis confessarii est ejusmodi pauperibus etiam vere talibus, validis tamen , ac ad laborem aptis inculcare hæc Apostoli verba : *Si quis non vult operari , nec manducet.* C. B.

Nota. Si vere pauper habeat liberos , licite illos elocat ad honestam sustentationem , aut sibi ipsi de ea providet ex eleemosynis.

CA-

CASUS CCXLIII. Titius habet filiam nobilem; cum autem paupertate pressus eam dotare non posset, abstulit 500. florenos, quos pro dote dedit filiæ suæ, quæ etiam sic dotata facile maritum reperit. Aliquod annis post consumationem matrimonii maritus detegit, dotem ab uxore sibi allatam fuisse furto ablatam Cajo, Teneturne eam restituere?

R. Si dos nondum fuit commixta cum aliis bonis mariti, censeo, eum obligari ad restitutionem, supposito quod nondum legitime contra eam præscripserit. Verum si tempus ad præscripsionem requisitum jam effluxit, aut facta est commixtio dotis cum aliis bonis, non tenetur ad restitutionem. C. B.

Nota. Commixtio bonorum non liberat ab onere restituendi furtiva, ex quibus Titius factus est ditior. Neque enim Legislator titulum transferendi dominii absolute indulsisset commixtioni furtivorum.

CASUS CCXLIV. Titius in confessione se accusat, quod abstulerit 100. florenos, quin tamen sciat, ad quem pertineant. Confessarius ipsum obligat ad distribuendam hanc summam in pauperes. Distributio hæc vix fuit facta, & Titius mox comperit, hos 100. florenos pertinere ad Petrum.

R. Titius non tenetur altera vice solvere hanc summam, si ante factam distributionem in pauperes adhibuit omnem diligentiam prudenter exigibilem ad detegendum verum dominum hujus pecuniæ. C. B.

Nota. Hinc confessarii potius obligent pœnitentem ad deponendam pecuniam obsignatam in loco tertio tuto per confessarium designando, donec omnis spes retegendi veri domini evanescat.

CASUS CCXLV. Titius vendidit dolium vini, quod cum aveheret ad emptorem, in via advertit, dimidium vini fuisse effusum; dolio hinc tantum aquæ affudit, quantum vini defuit, ne tam facile adverteret emptor. Teneturne ad restitutionem? & ad quam?

R. Supposito quod venditor fuerit obligatus ad avehendum vinum ad emptorem, dico in primis, Titium teneri ad reparationem illato proportionatam damno; sive quia vendidit aquam pro vino, sive quia commixtio aquæ vix non omnem vino vigorem adimit. Dein dico, si commixtio aquæ vinum reddidit totaliter inutile emptori, venditor tenetur ad totalem reparationem dmni. Si autem vinum sic mixtum potest adhuc servire emptori, venditor tenetur ad reparationem pro ratione damni, quod intulit emptori. C. B.

CA-

CASUS CCXLVI. Macarius furatus est pullum equinum, qui postea adolescens in insignem excrevit equum. An restitutio regulanda secundum valorem equi præsentem, vel secundum eum, quem habuit tempore furti?

℞. Tenetur Macarius restituere tantum, quantum equus valet actu; quia in rebus recipientibus incrementum ab intrinseco, restitutio facienda est in pretio summo: omne enim incrementum inseparabile a re furto ablata, cedit totum in lucrum domini legitimi. C. B.

Nota. Cum tamen valde incertum sit, an obtineri potuisset pretium summum, sola illius spes adhuc vaga non recipit in humano æstimationem commercio. Aliud dicendum, si jam constaret de offerente summum pretium.

CASUS CCXLVII. Petrus lucratur in lusu chartarum; sive quia inspicit chartas colludentis, qui sua non satis occultat folia; sive quia durante lusu nosse didicit chartas sine ullo tamen signo ipsis impresso. Teneturne ad aliquam restitutionem?

℞. Non tenetur restituere lucrum; quia ex propria culpa colludentis accidit, quod non sollicite sua occultet folia; & quod Petrus noverit chartas sine ullo tamen signo impresso, ipsius fortuna & astutia est. C. B.

Nota. Cum lusus sit contractus bonæ fidei, qui ex intentione contrahentium legem accipit, ea inspectio & notatio chartarum sinceritati & æqualitati colludentium, ac proin etiam justitiæ repugnat, atque ad restitutionem lucri obligat.

CASUS CCXLVIII. Titius abstulit vitulum valentem quinque florenos, quem tanta industria aluit, ut post aliquod tempus æstimatus fuerit 10. florenis: sed inadvertenter pretium ejusdem iterum decrevit, ita, ut tantum valeret septem florenos cum dimidio. Quomodo in hoc casu regulanda restitutio?

℞. Titius utpote possessor malæ fidei tenetur restituere vitulum, si eum habet adhuc, in eo statu, quo esse supponitur, & legitimo domino reparare damnum, quod occasione furti pati potuit. De damno autem illato judicari poterit, si consideretur, quid valuisset vitulus, si ab ipso legitimo domino fuisset venditus; & hæc circumstantia adhuc clarior reddetur ex consideratione qualitatis ac professionis legitimi possessoris. Si non obstante hac consideratione res adhuc manet incerta, restitutio fieri debet juxta æstimationem & judicium peritorum in hac re. C. B.

No-

Nota. Non reparandum omne damnum, quod dominus rei absolute pati poterat, sed quod verosimiliter passus erat.

CASUS CCXLIX. Titius confitetur, se furto abstulisse decem florenos; & addit, se non posse restitutionem facere illi, ad quem pertinent, quin incurrat infamiam. Confessarius hac ratione motus, eum obligat ad distribuendam hanc summam in pauperes.

℟. Si periculum per restitutionem incurrendi infamiam cessaret, posito quod restitutio fiat per tertium, responsio confessarii ineptissima est, quia salva fama Titii præceptum restituendi obligat ad inquirenda omnia media reparandi damnum per furtum illatum. Verum si Titius nullo modo posset evitare sui diffamationem, quomodocumque demum fiat restitutio, hocque periculum sit perpetuum, bene sic egit confessarius; quia nemo tenetur sacrificare bona superioris ordinis bonis inferioris ordinis; & aliunde in casu, quo restitutio moraliter fit impossibilis, præsumpta legitimi domini intentio est, ut summa ablata distribuatur in pauperes. C. B.

Nota, Vix occurret casus, in quo restitutio per æquivalens fieri nequeat absque infamia, si differatur sufficienti tempore, & interim deponatur res restituenda apud tertium. Posset etiam fieri per confessarium restitutio.

CASUS CCL. Famulus quidam domesticus hero suo quinquaginta interruptis vicibus aufert 24. florenos, sine ulla tamen intentione sensim deveniendi ad tantam summam, & quin unquam in actuali furto recordatus fuerit furtorum præcedentium.

℟. Tenetur sub peccato mortali ad restituendam integram summam. Modus, quo famulus iste abstulit successive hanc summam, eum quidem excusat a peccato gravi; sed cum obligatio restituendi non solum deducatur ex injusta acceptione, sed etiam ex notabili quantitate rei ablatæ, certum est, famulum hunc domesticum teneri ad restitutionem. Responsio hæc fundatur in propositione 38. damnata ab Innocentio XI. C. B.

CASUS CCLI. Colonus quidam differt metere segetes, etsi herus id fieri mandaverit; & interea grando vix non totam depopulatur messem. Ad quantam reparationem damni colonus iste tenetur?

℟. Si dilatio coloni est theologice culpabilis, tenetur ad reparandum damnum pro ratione ubertatis fructuum speratorum; quia vere est causa hujus damni. Si autem hæc dilatio

tio non est culpabilis, sive quod segetes ad messem maturæ satis nondum fuerint, sive quod deficerent operarii ac messores, colonus ad nihil tenetur; quia in hoc casu damnum tantum per accidens contigit, & mandatum heri relate ad has circumstantias tanquam irrationabile censeri potuit.

Nota. Ex culpa theologice levi non datur quidem obligatio restituendi erga eos, erga quos non tenemur ad præstandam culpam levem ex contractu, *Colonus* vero obligatur ex contractu ad præstandam obedientiam & servitutem debito tempore & quidem in casu periculi gravium malorum sub gravi obligatione ex intentione principalis contrahentis seu primi obligantis, puta Domini directi, cujus est ponere legem contractui. Poenitens proin restituat ex æquo.

CASUS CCLII. Quidam recreationis causa cum cane suo mitissimo verticem montis conscenderat; & oves ibi pascentes aspectu canis territæ, omnes sese de monte præcipites egerunt. Teneturne is ad aliquam reparationem damni?

℟. Non tenetur; quia nemo tenetur reparare damnum tantum per accidens, & nulla interveniente propria culpa causatum, ut contigit in casu præsente: dominus enim canis, qui supponitur fuisse mitissimus, prævidere non potuit, eo viso gregem terreri, & sese præcipitem agere. C. B.

Nota. Responsio admitti potest, si supponatur, quod homo iste gregem ovium a longe non adverterit: alias enim potuisset facile prævidere periculum, & debuisset ex justitia sumere aliam viam.

CASUS CCLIII. Sylvester domi suæ numerosam habet familiam; cumque sit pauperrimus, durante hyeme ruri ligna quærit. Cum autem ligna arida non reperiret, sumit arborem actu fructus proferentem, aut proxime prolaturam.

℟. Si Sylvester in tantam extremitatem redactus est, ut absque subsidio lignorum ablatorum, aut ipse, aut quidam ex familia aut liberis suis de vita periclitaretur, omni culpa caret factum ipsius; quia in extrema necessitate, in qua Sylvester se deprehendit, omnia fiunt communia, & dominus arboris eodem modo ageret, si in statu Sylvestri foret constitutus. Si autem necessitas non fuit adeo urgens, male egit Sylvester, id quod ex propositione 36. ab Innocentio XI. damnata desumitur. C. B.

Nota. Cum etiam in extrema necessitate, præsertim breviter transeunte, non fiant omnia absolute communia, tenetur Sylvester habere animum, quamprimum poterit, compensandi ablata.

test esse aperta, quin propterea fures ingrediantur. Hinc, quia Franciscus non fuit causa mali, non tenetur ad reparandum damnum. C. B.

Nota. *Animadvertere debuerat*, inquit S. Thomas; & hæc inadvertentia est causa virtualis furti a prædonibus perpetrati. Dein non videtur eximendus ab omni restitutione; quia debuit judicialiter exigere solutionem. Ad hæc navans operam actioni illicitæ conjunctæ cum periculo remoto damni tenetur reparare damna secuta per accidens, v. g. Clericus venans, aut bacillis ludens. Ad quod autem juste obligat Judex in foro externo, ex æquo obligare potest confessarius nomine Dei.

CASUS CCLVIII. Franciscus semper solet oves suas mittere ad communia pascua: quodam die tamen eædem pratum vicinum ingressæ, magnam ibi devastationem causarunt. Teneturne dominus ovium reparare hoc damnum?

℟. Non tenetur; quia hoc damnum ex parte Francisci est tantum casuale: non enim prævidere potuit, ab ovibus suis in campo vicino devastationem fore causandam, postquam frequenter adeo in publica emissæ pascua nil mali unquam causarunt. C. B.

Nota Si emisit oves sine custode, tenetur reparare damnum; quia, cum pascua sint communia, ad communitatem pertinet, contractui pro eorum usu ponere legem. Communitas autem haud dubie in tali locationis contractu usufructuarios tacite obligat, ut, si absque custode oves emittant, in se recipiant periculum damni. Potuit insuper Franciscus ac debuit prævidere, quod, licet decies nil mali evenerit, id accidere possit undecima vice. Peccavit igitur non vigilando super gregem suum; & posito etiam, quod peccatum ipsius sit tantum veniale; damnum tamen illatum potest esse adeo notabile, ut sub mortali teneatur reparare saltem partem ejusdem.

CASUS CCLIX. Titio commodatus est equus, qui ipsi post modum furto abductus fuit: dubitat autem, an non ex negligentia sua id factum sit; & quærit, num teneatur ad restituendum pretium equi.

℟. Si Titius certus non est, se fuisse negligentem, & equum ex sua negligentia fuisse furto abductum, ad nihil tenetur in foro interno; quia, quando culpa non est evidens, præsumptio stat pro innocentia. C. B.

Nota Si Titio probabilius sit, se fuisse sua negligentia causam damni, obligandus est a confessario, ut satisfaciat *ex æquo*. Qui dubitat de sua innocentia, non est certo innocens; & in dubio, si quis non obligatur ad restituendum totum, ad quod teneretur certus de sua culpa, non potest saltem eximi ab omni restitutione.

CASUS CCLX. Mater quædam actu lactans prolem suam, obligabat se pro 30. florenis ad lactandam etiam prolem Titii, quæ autem brevi ex nimio languore obiit; eoquod huic fœminæ sufficiens lac deesset ad nutriendos duos infantes. Num peccavit & restituere tenetur perceptam summam?

℞. Si fœmina isthæc advertit, sufficiens sibi lac deesse ad necessariam nutritionem duorum infantium; & ob defectum nutritionis aut sollicitudinis maternæ proles obiit, cui pro solutione præstanda fuit alimentatio, peccavit mortaliter, & tenetur restituere partem summæ acceptæ. Si vero non advertit defectum lactis, & æquali prorsus cura ac sollicitudine fovit utramque prolem, non peccavit nec tenetur ad ullam restitutionem. C. B.

Nota. Hujusmodi inadvertentia in his circumstantiis nec verosimilis videtur, nec excusabilis.

CASUS CCLXI. Antonius cecidit arbores in fundo vicini sui, quæ actu tantum valebant decem florenos, intra decem annos autem valituræ fuissent triginta florenis. Ad quid tenetur?

℞. Restitutio fieri debet juxta æstimationem viri prudentis. Ratio est; quia ex una parte dominus arborum habet jus exigendi reparationem damni respondentem spei, quam habuit, ex istis arboribus intra decem annos percipiendi triginta florenos; & hæc spes non parum auget pretium actuale arborum. Quia tamen ex altera parte hæc spes non est adeo certa ac firma, ut non potuisset contingere, has arbores intra decem annos quidpiam sperati pretii amittere, injustum foret, actu has arbores triginta florenis æstimare. Necesse proin, ut consideratis omnibus restitutio fiat juxta æquum viri prudentis arbitrium. C. B.

CASUS CCLXII. Antonius graviter infensus Philippo concipit propositum ignem subjiciendi cuidam domui ipsius; sed in executione fallitur, & ex errore incendit domum Alberti.

℞. Tenetur ad reparandum Alberto illatum dammnum; quia, quicumque directe vel indirecte habet animum nocendi proximo, tenetur ex hoc titulo ad reparationem damni illati: obligatio enim restituendi in genere deducitur ex omni actione formaliter injuriosa ac damnosa personæ individuæ ac particulari. C. B.

CASUS CCLXIII. Titius Cajo vendit bovem; sed quindecim horis post initum contractum occumbit bos ex occulta infirmitate. Teneturne Titius ad restituendum pretium bovis, posito quod invincibiliter ignoraverit defectum illius?

℞. Te-

℞. Tenetur : licet enim bona fides & ignorantia Titium excusent a peccato ; quia tamen occulta bovis infirmitas causa fuit erroris afficientis ipsam substantiam contractus, sequitur, hunc contractum fuisse nullum ; quia defuit consensus ad valorem contractus necessarius. C. B.

Nota. Censeo, Titium ad nullam restitutionem obligandum, si ne quidem habuit prudens dubium de occulto defectu ; quia pretia rerum communi æstimatione figuntur. Si autem habuit dubium, juxta qualitatem dubii in foro interno ad restitutionem obligandus est *ex æquo* : in foro enim externo ob præsumptionem scientiæ obligaretur ad restituendum *ex toto*.

CASUS CCLXIV. Bernardus Sempronio vendit equum ; & quia hic non inquirit in qualitates equi, Bernardus ipsi non detegit defectum occultum, quo laborat equus ; etsi sciat, Sempronium non fore empturum equum, si defectus hujus notitiam haberet.

℞. Si defectus iste equum reddat nocivum aut inutilem emptori, Bernardus peccat graviter, & tenetur rescindere contractum ; quia omnis venditio est injusta, & consequenter nulla, ubi intervenit fraus notabilis, quæ dat causam contractui. Verum si equus iste ex suo defectu non sit inutilis emptori, Bernardus non peccavit, nec tenetur ad reparationem damni, supposito quod eum vendiderit justo pretio. Ratio est ; quia Bernardus solum usus est jure suo, quærendo scilicet commodum suum, quin ulli exinde noceat. D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. C. C. B.

CASUS CCLXV. Agricola quidam emit bovem, quem paulo post iterum vendit quatuor florenis pluris, ac eum coemerat. Venditione facta comperit, bovem hunc fuisse furto surreptum Cajo ab eo ipso, a quo illum emerat. Ad quid tenetur hic agricola ?

℞. Si agricola bovem emit infra justum pretium, tenetur reddere hos quatuor florenos tanquam partem pretii intrinseci bovis, quæ proin pro fructu propriæ industriæ haberi non potest. Si vero bovem emit justo pretio, ad nihil tenetur, ob rationem contrariam. C. B.

Nota. Si ne quidem habuit dubium de furto, ad nullam restitutionem tenetur ante sententiam judicis forte præsumpturi scientiam & concessuri regressum. Secus obligandus est *ex æquo*. Vide Casum 259.

CASUS CCLXVI. Mercator quidam non rogatus Antonio mutuos dat 100. florenos, quos paulo post utiliter applicare pro commercio potuisset. Antonius acceptat hanc summam, eamque adhibet pro negotio, in quo multum lucratur.

tur. Jam mercatori censum solvere recusat, quem petit ratione lucri cessantis. Poteستne mercator hunc censum exigere?

℞. Non potest, quia ad hoc, ut mutuum dans habeat jus quidpiam exigendi titulo compensationis, tanquam conditio necessaria requiritur prævia monitio facta mutuatario de præstanda compensatione, & inita desuper conventio, antequam contractus concludatur: alias enim mutuatarius semper & merito quidem dicere posset, se non fuisse acceptaturum mutuum sub hac conditione. Cum autem in præsente contractu id observatum non fuerit, concludendum est, Antonium jure recusare solutionem census. C. B.

CASUS CCLXVII. Petrus mandat Cajo, ut furetur centum florenos, etsi prævideat, Cajum majorem summam ablaturum, si commode possit: & revera Cajus abstulit ducentos florenos. Teneturne Petrus ad restitutionem ducentorum florenorum, si Cajus non restituat?

℞. Solum centum florenos tenetur restituere; quia obligatio restituendi fundatur in mandato, quod dedit Petrus ad committendum furtum. Jam autem, cum mandatum se tantum extendat ad centum florenos, etiam obligatio restituendi ulterius se non extendit. C. B.

Nota. Responsio hæc manifeste adversatur decisioni Bonifacii VIII. Cap. *Is qui.* fin. Lib. 5. Tit. 4. in 6. ubi Pontifex ait: *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, aut membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat; cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* Et certe Petrus injuste proximum exponens periculo gravis damni, tacite in illud consensisse videtur. Tenetur ergo restituere 200. florenos; imo tenetur ad id, etiamsi inhibuisset, ne Cajus plus quam centum furetur.

CASUS CCLXVIII. Famulus quidam domesticus confitetur, se ex mandato heri sui abstulisse modium tritici, de quo tamen nihil pro se retinuerat. Confessarius eum nihilominus obligat ad restitutionem, si herus non restituat. Num bene ad id obligat confessarius?

℞. Hic famulus est obligandus ad restitutionem; quia uterque, mandans furtum, & illud exequens, est causa totalis furti, licet ille sit causa magis principalis quam hic. Obligatio igitur restituendi æqualiter respicit utrumque, quamvis mandans teneatur primus ad restitutionem, & dein solum exequens, si nimirum mandans non restituat. Confessarius igitur bene egit, famulum hunc obligando ad restitutionem, si herus ipsius non restituat. C. B.

CA-

CASUS CCLXIX. Idem famulus domesticus, cum non posset restituere, petit ac obtinet a domino tritici condonationem furti. Num ex hac condonatione etiam herus hujus famuli eximitur ab obligatione restituendi?

℞. Non eximitur; quia, cum herus fuerit causa principalis commissi furti, condonatio facta famulo non potest extendi ad ipsum: sicut enim ille, qui est causa principalis furti, semper foret obligatus ad reparandum damnum, etsi ille, qui est causa minus principalis, fecisset restitutionem; ita ille non eximitur ab obligatione restituendi, etiamsi huic condonetur hæc obligatio. Et ita sentiunt plurimi Doctores. C. B.

CASUS CCLXX Petrus videns tabernam Sempronii apertam, dicit Cajo: si tibi arrident quædam bona mobilia Sempronii, modo poteris habere, quin ullus hominum id sciat. Teneturne Petrus ad restitutionem, si Cajus ibi furtum commisit, & nolit restituere.

℞. Non tenetur; quia non est complex furti a Cajo commissi; cum nec mandatum nec consilium dederit ad illud committendum. Solum igitur fuit occasio furti, & propterea peccavit contra charitatem; quin ulla ipsi incumbat obligatio ex justitia. C. B.

Nota. Hæc responsio adversatur Innocentio XI. damnanti propositionem ad casum 234. adductam. Saltem Petrus obligandus est ad restitutionem *ex æquo*: licet enim se non fecerit participem furti alieni *consilio* stricte dicto; fecit tamen se participem *consensu*, sollicitatione, silentio, conniventia &c.

CASUS CCLXXI. Paulus potuisset alios in auxilium advocando impedire damnum per furtum suo vicino illatum: sed oblata a furibus summa pecuniæ ipsum induxit, ut taceret, & neminem advocaret. Poteftne retinere hanc summam pecuniæ?

℞. Potest eam retinere, quia habet Jus a furibus solutionem exigendi sui silentii ipsis adeo utilis. Hinc, licet peccaverit tacendo, potest tamen retinere id, quod ipsi oblatum est tanquam pretium silentii. C. B.

Nota. Hæc responsio est erronea ac scandalosa; & juxta Theologos saniores Paulus non solum non potest retinere pecuniam hac ratione acceptam, sed etiam tenetur ad restitutionem ablati, si fures non restituant; quia per promissum pro pecunia silentium cooperatus est efficaciter ad furtum, & fures reddidit audaciores & in perpetratione pessimi facti securiores.

CASUS CCLXXII. Antonius occidendo Cajum tantum commisit culpam venialem ob defectum sufficientis advertentiæ. Teneturne sub peccato mortali reparare damnum per hoc homicidium familiæ Caji illatum?

℟. Non tenetur: sicut enim Antonius, si occidendo Cajum omnino nullam culpam commisisset, ad nihil prorsus teneretur; si etiam, sic culpa est tantum levis, obligatio restituendi non potest esse adeo stricta & rigorosa; quia non minus repugnat, dari effectum sine causa, ac admittere effectum majorem, quam causa est, a qua producitur. Ita Lessius L. 2. c. 7. n. 27. C. B.

Nota. Lessius addit, quod, dum de homicidio agitur, peccatum facile transeat in mortale; & in dubio nunquam judicium sit ferendum in favorem homicidæ.

CASUS CCLXXIII. Operarius quidam, laborans in agro heri sui, plures ibi reperit monetas aureas magni pretii. Num eas omnes retinere potest?

℟. Supposito quod non sciatur dominus harum monetarum, quærendum est, utrum operarius has monetas detexerit casu fortuito, vel adhibita ad id industria. Si primum, dico, operarium non omnes has monetas retinere posse; quia jus civile partem earum dimidiam attribuit domino agri; & cum hæc lex pœnalis non sit, eaque universaliter sit recepta, obligat etiam in conscienta independenter a sententia judicis. Si secundum, sciendum est, utrum operarius has monetas quæsierit sine vel cum consensu heri sui, & an consensus iste non fuerit per fraudem obtentus. Si consensus accessit legitimus, operarius omnes monetas retinere potest; quia dominus agri censetur renuntiasse juri suo. Verum si non accessit consensus heri, aut per dolum fuit obtentus, dico, quod operarius, post sententiam judicis, non antea, quia agitur de lege pænali, teneatur omnes monetas repertas reddere domino agri. C. B.

Nota. Operarius non tenetur restituere thesaurum inventum. Lex civilis non obligat circa hanc rem in conscientia *ante sententiam judicis*, nec jure naturali, nec positivo; quia tale jus positivum nec probatur ex claro textu, nec ut tale agnoscitur a Doctoribus vel populis.

CASUS CCLXXIV. Titius certus de contracto olim debito, sed incertus, an jam satisfecerit creditori suo, qui actu obiit, putat se esse exemptum ab obligatione solutionem præstandi hæredibus defuncti.

℟. Per

℟. Per tale dubium non eximitur ab obligatione solvendi: dum enim quis dubitat, utrum sit adhuc debitor, nec ne, credere debet, se adhuc oneratum esse obligatione solvendi; quia præsumptio stat penitus in favorem obligationis, quam quis certo scit se contraxisse, & quæ nec redditur dubia, nec tollitur per solutionem dubiam. C. B.

CASUS CCLXXV. Titius certam quantitatem fœni abstulit; sed quia milites altera die violenter abstulerunt omne, quod reliquum erat, putat, se non obligari ad restitutionem.

℟. Tenetur ad restitutionem: res enim injuste accepta debet restitui, etiamsi postmodum ab alio fuisset ablata. Ratio est; quia res a possessore illegitimo detenta clamat ad legitimum dominum suum tamdiu, quamdiu ipsi potest restitui.

Nota. Si certum sit, æque periturum fuisse in domo veri Domini, non tenetur restitu re; quia Dominus prudenter non est amplius invitus. Aliud dicendum, si hoc non est certum, aut si ablatum sit in rationes communes communitatis.

Vide *Advocatus*. *Commodatum*. *Compensatio*. *Contractus*. *Donatio*. *Emptio*. *Judex*. *Mutuum*. *Societas*. *Tutor*. *Venditio*. *Usura*.

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

1. *Restitutio in integrum* est terminus juridicus, & definitur, *Prioris juris redintegratio, & in pristinum statum repositio*.

2. Remedium hoc a jure Romano introductum Prætor ut judex ordinarius concedebat iis, qui in contractibus initis læsos se fuisse jure quærebantur, eosque in eum statum restituebat, quo erant ante contractum: quo tamen remedio opus haud erat circa contractus ipso jure invalidos.

3. Causæ, ex quibus ordinarie conceditur restitutio in integrum, sunt sequentes: 1. Violentia. 2. Metus gravis, & minæ intentatæ ab eo, qui habet authoritatem eas intentandi, & potestatem exequendi. 3. Fraus seu personalis dolus illius, quocum contractus fuit initus. 4. Minorennitas, quando intervenit manifesta & notabilis læsio. 5. Absentia ex justa aliqua necessitate. 6. Error facti.

4. Ecclesia & Status semper habentur instar minorennium; & hinc Alexander III. & Innocentius III. declararunt, quod si ecclesia ex culpa Episcopi aut curatorum negligentia se

læsam sentiat, ei jus competat petendi restitutionem in integrum etiam contra aliam ecclesiam, & ipsam summi Pontificis sententiam.

5. Dum minorennis obtinuit restitutionem in integrum, fidejussores ipsius nihil inde referunt commodi, sed manet adhuc eorum obligatio, & quidem merito; quia rationabiliter præsumi debet, eum, qui cum minorenne contraxit, non fuisse contracturum absque præstita ex parte minorennis cautione. Id autem extra casum minorennitatis locum non habet; cum in omni alio casu, quamprimum contrahens principalis restituitur in integrum, omnis quoque fidejussorum cesset obligatio.

6. Si læsus ultra dimidium in contractu venditionis petat, ut jure potest, restitutionem in integrum, ex arbitrio emptoris pendet vel rescindere contractum, vel supplendo defectum pretii retinere rem emptam.

7. Dum agitur de bonis mobilibus aut juribus successivis, venditor non admittitur ad petendam restitutionem in integrum; neque locum habet hæc restitutio, quando res immobilis venditur vi decreti judicialis.

8. Ordinarie conceditur quadriennium ad petendam restitutionem in integrum; & respectu minorennium incipit hoc tempus currere a die adeptæ majorennitatis. Si autem violentia aut fraus in contractu intervenerit, eaque duret ultra quadriennium, etiam jus petendi restitutionem ultra id temporis extenditur.

CASUS I. Gorgias minorennis Claudio vendidit domum; cum autem adepta majorennitate agnovisset, se notabiliter fuisse læsum, petiit rescissionem contractus, paratus ad restituendum pretium acceptum. Estne hæc petitio justa, quocumque demum tempore ea fiat?

℟. Quantumcumque Gorgias fuerit læsus in hac venditione, si jam quatuor annos adeptæ majorennitatis superavit, reclamans venditionem non amplius auditur. Quarto autem anno adhuc currente potest petere restitutionem in integrum, eamque obtinebit, si sufficienter probaverit læsionem: imo si Claudius in hac emptione commisit injustitiam tenebitur Gorgiæ etiam ad reparandum damnum. *Pontas.*

CASUS II. Damianus annos viginti natus, & consequenter adhuc minorennis renunciavit cuidam hæreditati, quæ ipsi videbatur negotiis ac debitis nimium onerata. Leander post Damianum proximus hæres illam acceptavit, ac adhibito multo conatu, ac vendita quadam parte bonorum debita

debita dissolvit, ac negotia perfecit. Damianus majorennis factus vult uti beneficio restitutionis in integrum. Poteftne Leander absque injustitia illi sese opponere?

℟. Prætensio Damiani est injusta: debuisset enim petere restitutionem in integrum, dum res adhuc erat integra juxta legem *Quod si minor*. 24. §. 2. ff. Lib. 4. Tit. 4. ubi dicitur: *Scævola noster ajebat, si quis juvenili levitate ductus omiserit, vel repudiaverit hæreditatem, vel bonorum possessionem; siquidem omnia in integro sint, omnino audiendus est. Si vero jam distracta hæreditate, & negotiis finitis, ad paratam pecuniam laboribus substituti veniat, repellendus est. Pontas.*

CASUS III. Cestius viginti & duos annos natus acceptavit hæreditatem valde proficuam, omniaque dissolvit debita, quibus onerata erat, partim ex bonis hæreditariis mobilibus, partim ex bonis propriis, ut bona immobilia in salvo consisterent. Anno elapso, cum pars bonorum immobilium casu fortuito periisset, vult Cestius susceptam acceptationis obligationem excutere & a creditoribus repetere solutam ipsis summam. Poteftne id fieri salva justitia.

℟. Non potest fieri absque injustitia: creditores enim nihil perceperunt, nisi quod legitime ipsis debebatur, & quod sibi comparare potuissent per venditionem bonorum mobilium & immobilium, antequam casu fortuito periissent. *Si locupleti hæres exstitit*, ait Lex *Verum* 11. §. 5. ff. Lib. 4. Tit. 4. *& subito hæreditas lapsa sit (puta prædia fuerunt, quæ chasmate perierunt, insulæ exustæ sunt; servi fugerunt aut decesserunt) Julianus quidem sic loquitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem apud Julianum notat, cessare in integrum restitutionem: neque enim ætatis lubrico captus est adeundo locupletem hæreditatem; & quod fato contingit, cuivis patrifamilias, quamvis diligentissimo, possit contingere. Pontas.*

CASUS IV. Theodebertus minorennis 18. annorum commodatum a Leandro accepit equum 30. duplionibus constantem, eumque penitus inhabilem factum reddidit. Leander justam exigens indemnisationem obtinuit ab eo promissum scripto datum, quo se obligabat ad restituendum alium equum 20. duplionibus constantem; sed majorennis factus recusavit exequi promissum. facta insuper comminatione obtinendi literas rescissorias, si Leander ipsum vellet in judicio persequi. Poteftne Theodebertus sic agere tuta conscientia?

℟. Non

℟. Non potest: neque enim fuit læsus, nec deceptus; in quibus solis casibus leges concedunt minorennibus beneficium restitutionis in integrum. *Deceptis non decipientibus opitulatur* (Senatusconsultum) Leg. *Et primo*. 2. §. 3. ff. Lib. 16. Tit. 1. *Pontas*.

CASUS V. Andreas sedecem annos natus ex bonis maternis opulentissimus mandat Claudio consanguineo suo, ut quolibet mense suppeditet unum duplionem pro sustentatione patris sui nil bonorum possidentis: id, quod exequitur Claudius. Verum Andreas minorennitatem egressus contra Claudium literas rescissionis petere cogitat, ne factos ab illo in sustentationem patris sumptus refundere deberet. Poteftne id ab Andrea fieri salva conscientia?

℟. Haud dubie injuste ageret Andreas hoc modo; quia nulla omnino ipsi suppetit ratio, ex qua possit petere literas rescissorias: nihil enim egit Andreas, quod emolumento suo ac officio adversaretur; imo stricte tenebatur assistere patri in necessitatibus, & sustentationis media ipsi subministrare, ad quod & facultates ipsi suppetebant. *Pontas*.

CASUS VI. Agapius minorennis inito cum Antonio contractu sub cautione Ludovici circa negotium quoddam, quo ut se posset exonerare, obtinuit literas rescissorias, quibus mediantibus obtinuit sententiam restitutionis in integrum. An vi hujus sententiæ Ludovicus deobligatur a sua cautione?

℟. Restitutio in integrum, quæ tollit obligationem Agapii minorennis, neutiquam deobligat Ludovicum fidejussorem ejus, nisi contracta ab Agapio obligatio fundetur in dolo aut violentia ab Antonio adhibita. *Si dolo malo apparuerit*, ait lex *Si ea*. 2. Cod. Lib. 2. Tit. 21. *contractum interpositum esse, manifesti juris est, utriusque personæ, tam venditricis quam fidejussoris, consulendum esse. Pontas.*

CASUS VII. Geduinus, cum minis & violentia cogeretur ad vendendam Julio Toparchæ villam, & Julius deinde illam dedisset Gualtero in solutionem summæ eidem debitæ, obtinuit post obitum Julii literas rescissionis, & petiit a Gualtero restitutionem villæ; quod cum Gualterus recusaret, inquiens, se villam non ab eo accepisse, Geduinus cogitat eum in jus vocare. Poteftne judicialiter agere contra Gualterum, antequam egerit contra hæredes Julii?

℟. Rescissio sortitur suum effectum non solum contra eos, qui modo injusto eidem ansam præbuerunt, aut qui eorum personam repræsentant; sed etiam contra tertium possessorem. Hinc Geduinus absque injustitia potest agere contra

Gual-

Gualterum ad recuperandam villam suam, restituto tamen ipsi pretio, *quod* expenderat. *Pontas.*

CASUS VIII. Fridericus tutor Remigii vendidit Samsoni domum sui pupilli ad dissolvenda ejusdem debita; Remigius autem majorennitatem ingressus turbat Samsonem in possessione jam sexennali domus, & vult rescindere venditionem a tutore factam. Potestne id fieri absque injustitia?

R. Leges prohibent alienationem bonorum immobilium ad pupillos pertinentium, nisi in judicio ea decreta fuerit. Ad conciliandam in hoc casu factæ venditioni legitimitatem requiritur. 1. Ut hæc debita ita urgeantur, ut ex dilatione solutionis minorennis notabile damnum pateretur. 2. Ut hæc debita alio modo persolvi nequiverint. 3. Ut non adfuerint alia bona mobilia, nec debita activa &c. ex quibus potuisset satisfieri creditoribus solutionem petentibus. & 4. Ut alienatio facta fuerit fundi minoris pretii & minus utilis pupillo. Si igitur Fridericus vendidit domum propria sua authoritate, & neglectis requisitis formalitatibus, licet egerit bona fide, Remigio jus competit petendi literas rescissionis contra venditionem a suo tutore factam, si ipsi magis proficua est possessio domus, quam pretium. Potest insuper actionem instituere non solum contra tutorem suum, sed etiam contra emptorem. Si tamen Samson fecit reparationes utiles aut necessarias in domo, Remigius tenetur ipsi his expensas compensare. *Pontas.*

RETRACTUS.

1. *Retractus* est jus, quo gaudet Dominus Feudalis, aut propinquus venditoris, retrahendi ex manibus emptoris fundum venditum soluto pretio in contractu constituto. Hinc duplex distinguitur species retractus, *Feudalis* nimirum & *Gentilitius*, seu, ut alias vocari solet *Redhibitio Gentilitia.* Retractus Feudalis fundatur in quadam conventione saltem tacita, quæ Dominum inter & Vasallum intercedit: Gentilitius autem consistit in jure quodam per legem aut consuetudinem vim legis habentem introducto.

2. Jus retractus feudalis exerceri potest contra personas manus mortuæ, non obstantibus litteris amortizationis. Quoniam vero jus feudale divisum esse potest inter plures condominos feudi, non competit cuicumque demum eorum in particulari facultas retractus exercendi, nisi pro ratione portionis, quæ ei in bono feudali obvenit, ni & cæteri condomini

domini jus suum ei cedant. **Dominus feudalis non potest** exercere jus retractus, nisi interveniente authoritate judicis; & qui illud exercet, ultra pretium venditionis etiam tenetur solvere impensas contractus, jura dominii, reparationes necessarias, maxime eas, quæ factæ sunt authoritate judicis.

3. Retractus non censetur esse altera venditio; & hinc, qui retrahit, non tenetur solvere jura dominii, nisi quis hoc jure uteretur adversus ipsummet dominum, qui emit, aut qui jure retractus usus est feudi sui.

4. Jus retractus exerceri potest intra annum & diem, computatione facta a die cognitæ venditionis.

5. Vigent consuetudines, quæ deficientibus propinquis ex eadem linea ad jus retractus exercendum alios admittunt. Cæterum cujuslibet loci consuetudini inhærendum est: quandoque enim præfertur magis propinquus, si duo jus retractus sibi vendicent; & quandoque magis industrius, qui nempe prior illud petiit; aut si actio ab utroque eodem tempore fuit intentata, ambo admittuntur ad redhibitionem: verum si alteruter eorum desistat a prosecutione juris sui, alter obligatur ad retrahendum totum fundum, nisi forte primus aquisitor aliter cum retrahente convenerit.

6. Maritus potest exercere jus retractus nomine uxoris suæ, quin indigeat ejusdem procuratione. Bona mobilia, officia, ususfructus non subjacent huic juri, sicut nec bona aquisita: potest tamen primus venditor ejusmodi bona aquisita retrahere, si ea titulo hæreditatis pervenissent ad aliquem consanguineum lineæ rectæ, qui postmodum ea vendidisset.

7. Prædium commutatum cum aliquo fundo proprio, retinet naturam ejusmodi fundi proprii, & consequenter redhibitioni obnoxium est. Propinquus non potest jus redhibitionis Gentilitiæ, quod sibi aquisitum est, in alios non propinquos transferre. Denique in redhibitione Gentilitia stricte observandæ sunt omnes formalitates requisitæ per consuetudinem loci, ubi prædia sita sunt; quin ulla sit ratio habenda consuetudinis, quæ viget in loco, ubi quis actionem redhibitionis prosequitur.

8. Jurisconsulti adhuc alias distinguunt retractus species, *Censualis* nimirum, & *Conventionalis*. Censualis permittit illi, qui dedit in Emphitheusim aliquem fundum, eundem retrahere ex possessione illius, qui eum postmodum emit, soluto tamen ipsi eodem pretio, quod ipse persolverat venditori. Retractus conventionalis proprie loquendo est facultas redimendi rem venditam, penitusque dependet a voluntate

&

& conventione contrahentium ; ac durat per triginta annos, imo & quadraginta, si actionem hypothecariam habet annexam. Ut penitus extinguatur hæc retrahendi facultas, opus est sententia judicis, qua declaretur venditor ista facultate excidisse.

Nota. In hac re attendenda & sequenda sunt jura particularia cujuslibet Regni, Provinciæ, Reipublicæ, vel Municipii; quibus deficientibus jus naturale dubium regulari potest directive per consuetudinem potiorum aliarum gentium.

CASUS I. Lucullus Mœvio vendidit domum ex hæreditate paterna obtentam. Lysander frater Luculli, aut quidam consanguineus habens jus retractus repetiit a Mœvio domum, oblato eidem pretio pro ea expenso, non animo eam retinendi, sed cedendi cuidam amico, qui eam affectat. Poteftne id fieri tuta conscientia ?

℟. Nec Lysander nec alius consanguineus Luculli potest uti jure retractus in favorem alterius amici. Hinc juxta Cabassutium L. 6 c. 9. n. 11. in tribunalibus consanguinei non admittuntur ad retrahendum, nisi deposito prius juramento, quod habeant intentionem rem retrahendam servandi pro se ipsis. *Pontas*.

CASUS II. Aristippus civis Parisiensis emit domum cum adjacentibus decem jugeris agri & vineæ ; quia autem timuit, ne Lucius consanguineus venditoris utatur jure retractus, neglexit reparationes ruinosæ domus, & culturam agri & vineæ. Lucius re ipsa Aristippo offert pretium domus, quod expenderat, ac eodem tempore petit ab eo reparationem damni ob deteriorationem domus, agri & vineæ. Poteftne Aristippus tuta conscientia se defendere in judicio, si Lucius contra ipsum processum instituat ?

℟. Aristippus non tenetur ad ullam compensationem Lucio : sive enim damnum contingat in re empta ante retractum, sive post retractum, totum ferendum est retrahenti ; si contingit ante retractum, retrahens sibi ipsi imputet, quo retrahere velit rem adeo vitiatam ; si contingit post retractum, illud imponendum non est primo emptori, cum ad eum non amplius pertineant fructus rei emptæ. Imo si emptor fecisset quasdas reparationes in fundo empto, retrahens teneretur ipsi compensare expensas. Nihilominus verum est, ab emptore fundum aut prædium non esse deteriorandum ; id si factum est, tenetur restituere rem emptam in statum pristinum. *Pontas*.

Nota. In hac re potest peccari graviter contra charitatem, si detinens vel retrahens causet grave damnum vel fastidium absque necessitate vel notabili suo emolumento. Manet immobile constitutum Evangelii. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

CASUS III. Scabinius Toparcha sciens, Germanum Vasallum suum Paulo vendidisse sylvam cæduam, usus est jure retractus feudalis, & numeravit Paulo summam Germano solutam, animo hanc sylvam cedendi cuidam Nobili, cujus fundi adjacent huic sylvæ. Potuitne sic agere tuta conscientia?

℟. Scabinius nullam commisit injustitiam: in hoc enim differt retractus feudalis a Gentilitio, quod Dominus Feudi possit jus retractus exercere sive in suum, sive in cujuscumque alterius commodum. *Pontas.*

Nota. Vide Notam præcedentem. Certe cum emptio & venditio sint contractus bonæ fidei, abesse debent omnia tacita gravamina reciproca, non annexa per claram pactionem vel legem.

CASUS IV. Petrus gaudens jure retractus commodat suum nomen cuidam tertio non habenti hoc jus pro obtinendo ipsi prædio.

℟. Id non licet; tenetur hinc Petrus pro viribus adniti, ut alieno nomine retrahens restituat prædium; si nihil possit efficere, tenetur Petrus ipse parti læsæ reparare damnum juxta æstimationem viri prudentis. Si neuter horum reparet damnum, ad illud reparandum tenetur, qui alieno nomine retrahendi mutuas dedit pecunias ad sibi comparandum prædium. *Fromageau.*

CASUS. V. Vir nobilis vult retrahere agrum venditum a suo consanguineo; cumque ipsi deesset numerata pecunia, eam ab alio mutuam accepit.

℟. Non potest retrahere agrum venditum, si habuit animum immediate post retractum eum vendendi illi, qui mutuam dedit pecuniam, & ad id promissione se obstrinxit, casu, quo hæc sola ratio fuisset mutuum dandi: ab ejusmodi enim contractibus fraus quam longissime absit, necesse est. *Fromageau.*

REUS.

Ea, quæ dicta sunt ad articulum *Actor*, sufficere possunt ad hunc quoque, de quo agitur, articulum *Reus*. Pauca solummodo notanda sunt. 1. Reus a legitimo judice judicialiter ac legitime interrogatus tenetur respondere, ac fateri verum,

verum. Etsi quandoque ab hac regula detur exceptio aut effugium, ut ex subjunctis casibus patebit, nunquam tamen licet reo mentiri, etiamsi loquendo falsum tueri vitam posset. 2. Regulariter loquendo non acceptatur in judicio accusatio contra impuberes facta. 3. Consiliarii aulæ supremorum Principum non possunt accusari nisi coram Curia, cujus membra sunt. 4. Reus non auditur deferens actorem suum de æquali crimine. 5. Reo, dum culpa se liberavit, indulgetur regressus adversus actorem & denunciatorem ad compensationem damni perpessi & lucri cessantis. 6. Parochus de crimine delatus ad Superiorem suum potest interdici omnibus functionibus parochialibus, etiam nondum convictus, si dedit scandalum. Constituto tamen interea ad obeunda parochialia vicario non omnes parochiæ proventus possunt assignari, sed tantum portio congrua.

CASUS I. Blasius capitalis criminis reus, cum probe sciret, actum esse de vita sua, si verum ediceret, judice interrogante negat, id se commisisse.

℟. Si judex secundum ordinem juris a legibus præscriptum processit, reus sub peccato mortali tenebatur fateri verum; gravius adhuc peccaturus, si falsum perjurio affirmasset. Si vero judex non egit secundum formam in causis criminalibus a jure præscriptam, Blasius, cum non teneretur eum pro suo legitimo Superiore agnoscere, poterat veritatem celare, sed medio licito, nequaquam mentiendo. *Pontas.*

Nota. Si judex sine sufficientibus indiciis de gravi crimine reum interroget, interrogatus declarare poterit, se non obligari ad respondendum. Ea declaratio erit instar contestationis judicialis, se usurum æquivocatione, amphibologia, aut restrictione mentali, si respondere cogatur.

CASUS II. Hermocrates de homicidio accusatus, cum testis solum unicus, licet de visu, contra ipsum deponat, constanter fortiterque ad diversa interrogatoria suam affirmat innocentiam. Poteltne mendacium hisce in circumstantiis a peccato mortali excusari?

℟. Videtur Hermocrates in casu proposito a peccato mortali excusari non posse. *Pontas.*

Nota. Hæc est genuina responsio Pontasii, quem pro sententia opposita adducit compilator horum casuum. Sunt quidem non nulli Doctores, quos & ipse Pontasius recenset, qui ejusmodi mendacium a gravis peccati nota immunem existimant; sed quo nixi funda-

mento ? Certum est, tale mendacium deposito de veritate dicenda juramento injuriosum esse & Deo, & judici, & accusatori, illudque a gravi culpa eximere idem esse, ac fovere perjuria, latissimam impunitati scelerum portam aperire, & justitiam legum non minus quam vigilantiam judicum reddere inutilem.

CASUS III. Theodemarus fuit accusatus de furto domestico quingentorum florenorum, deponente contra ipsum Ludovico, teste omni exceptione majori. Reus perbene gnarus, ex unius testimonio ad mortem se condemnari haud posse, obfirmato animo suam negando tueri innocentiam statuit. Potestne absolvi, si persistat in proposito salvandi vitam ope mendacii ?

℟. Reus tenetur sub gravi peccato in his circumstantiis pandere veritatem judici habenti jus eam exigendi. Et hinc prudens confessarius negabit ipsi absolutionem, eamque non nisi post eventum sententiæ judicialis conferet, quam præstolari oportet. Si Theodemarus dimittatur, monendus sane a confessario de obligatione vitandi talia perjuria, si fors simili casu involveretur. *Pontas.*

Vide *Irregularitas* cas. 66.

CASUS IV. Nepotianus de gravi furto ac adulterio in judicium delatus, potuitne non obstante hac accusatione canonice promoveri ad dignitatem in ecclesia cathedrali per resignationem ab avunculo sibi factam ? Aut si dignitas hæc foret electiva, possetne a Capitulo canonice eligi ?

℟. Accusatio hæc est impedimentum canonicum in ordine ad promotionem per resignationem, non autem in ordine ad electionem ad dignitatem ecclesiasticam ; saltem si accusationem nec præcessit, nec subsecuta est infamia. *Pontas.*

NOTA. Ut dilucidetur magis obscura satis hæc responsio, advertendum 1. fore indecentissimum promovere aut eligere hominem tam gravi accusatione oneratum ; nisi fors rationabilis causa suppeteret justum sic contemptum monstrandi vel adversus accusatorem vel adversus accusationem. 2. Prorsus convenire, ut expectetur, donec accusatus de crimine se purgaverit. 3. In casu infamiæ summopore attendendum ad regulam juris 87. *Infamibus portæ non pateant dignitatum ;* & quandoque tanquam infamatorium censendum esse, quod *in rigore juris* non est, ut videre est in articulo *Irregularitas.* De cætero si accusatus per præsumptiones violentas, vel probationes plusquam semiplenas est convictus, plane est excludendus in virtute ac per extensionem constitutionis a Benedicto XIV. editæ 1742. *In Supremo.* ubi declarat Pontifex, exigente bono publico ad pœnam ordinariam procedi posse contra convictos, licet non confessos.

CA-

CASUS V. Epiphanius assassinii reus, & ob contumaciam ad mortem condemnatus, lictoribus eum prehensuris violenter restitit, ut sic vitam salvaret, aut carcerem effugeret. Num resistendo peccavit?

℞. Non potuit absque peccato violenter se opponere, si juste ad mortem fuit condemnatus; licet fuga sibi consulere potuisset. Si vero injuste fuit condemnatus, non peccavit defendendo se; nisi ex hac ipsa defensione oriretur scandalum, aut gravis seditionis periculum, quam limitationem addit S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 4. C. *Pontas.*

CASUS VI. Cessèlius subdiaconus ob imputationem criminis capitalis in jus vocatus, & ab Officiali desuper interrogatus, candide se reum fatetur. Poteritne ex sola confessione propria juste ad pœnam canonicam crimini debitam condemnari, non obstante regula juris: *nemo auditur perire volens?*

℞. Cum ingens inter jurisprudentiam ecclesiasticam & civilem discrimen sit, Officialis potest Cessèlium subiicere pœnæ canonicæ. *Pontas.*

CASUS VII. Brigitta commisit adulterium, de quo a proprio marito fuit accusata; crimen cæteroquin est omnino occultum. Teneturne sub peccato mortali id fateri judici interroganti?

℞. Non tenetur. Aliud esset, si crimen ita foret notorium, ut exinde jam sit secuta infamia publica ob signa evidentia, aut violentas suspiciones: tunc enim teneretur confiteri veritatem; etiamsi non nisi semiplena adsit probatio. S. Thom. quodl. 5. q. 8. art. 16. *Pontas.*

CASUS VIII. Christianus pastor de sortilegio accusatus, & addictus torturæ, vi tormentorum eo adigitur, ut contra propriam conscientiam reum se diceret, etsi perbene nosset, talem sibi confessionem mortem acciturum. Estne ipsi a confessario, cui suam exponit innocentiam, deneganda absolutio?

℞. Est deneganda, si revocatio confessionis conducere possit ad conservationem vitæ, & tamen eam facere recusset: talis enim recusatio a gravi peccato excusari haud potest. *Pontas.*

Nota. *Ad hanc revocationem obligandus est etiam ex eo; quia ejus* infamia causaret gravissimam contristationem & præjudicium familiæ & consanguineis.

CASUS IX. Antonius judicialiter, sed injuste fuit accusatus de assassinio. Renatus scit ejus innocentiam; sed nequit

in ejus favorem deponere, utpote in testem non vocatus. Teneturne nihilominus manifestare veritatem, eamque omni possibili conatu probare, v. g. rem exponendo judici, vel alteri, qui utiliter operam præstare posset pro tuenda Antonii innocentia?

℞. Tenetur omnino. S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. C. ubi ait: *Si testimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injusta morte, seu pœna quacumque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno; tunc tenetur homo ad testificandum: & si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denunciet alicui, qui ad hoc possit prodesse.* Pontas.

ROGATIONES.

Hæc vox *Rogationes* terminus est ecclesiasticus, ac tres dies precum publicarum immediate præcedentes festum Ascensionis Christi indicat. Initio sæculi noni triduum hoc erat festivum. Usus Processionum his tribus diebus est antiquissimus. Tempore S. Mamerti, qui has processiones instituit, servabatur jejunium per triduum isthoc: at sensim ab hoc fervore remissum est, & deventum ad solam abstinentiam a carnibus; adeo, ut obligatio jejunii nostris jam temporibus penitus cessaverit, nec quempiam obliget sub pœna peccati.

CASUS I. Sigonius a non nullis mensibus ex Italia redux in Galliam, comedit carnes tribus diebus rogationum, quin crederet, se comisisse peccatum, maxime mortale; moventibus autem sibi scrupulum, & peccati mortalis incusantibus respondit, in ipsa urbe Romana carnes manducari hisce diebus; neque ab Ecclesia unquam legem latam fuisse abstinendi a carnibus; & consequenter consuetudinem abstinendi a carnibus vigentem in Gallia tanquam meram devotionem habendam esse. Suntne hæ rationes legitimæ?

℞. Sigonius, utpote sufficienter instructus de generali consuetudine observata in Gallia diebus rogationum abstinendi a carnibus, peccavit mortaliter agendo contra hanc consuetudinem, quæ originem suam ducit a lege ecclesiastica particulari, imponente obligationem abstinendi in pluribus diœcesibus. Imo etsi nulla ejusmodi lex subsisteret, sufficit ad inducendam obligationem consuetudo generalis totius regni a pluribus jam sæculis observata juxta Sidonium Apollinarem L. 5. Ep. 14. & Concilium Aurelianense I. anno 511. *Pontas.*

No-

Nota. Sicut festa consuetudinalia non obligent sub peccato nisi interveniente authoritate Episcopi, ita nec jejunia consuetudinalia in legem Ecclesiæ obligatoriam transire possunt sine assensione præceptiva Episcopi; quæ tamen non præsumenda, sed ex actis publicis legem uniformiter constituentibus vel supponentibus probanda est.

CASUS II. Rudolphus Episcopus jam ante aliquot annos statutum Synodale edidit, vi cujus omnibus diœcesanis jejunium imponitur tribus diebus rogationum. Monasterium autem quoddam situm in hac diœcesi, & exemptum a jurisdictione Episcopi non observat hoc statutum. Teneturne se conformare huic statuto? Et num peccant Religiosi mortaliter illud non observantes, sicuti peccarent non observando festa ordinata ab hoc Episcopo, aut violando interdictum latum ab Episcopo contra civitatem, in qua situm est monasterium?

℞. Cum statuta Synodalia non censeantur esse facta, nisi dependenter a jurisdictione Episcopi, Religiosi exempti ab hac jurisdictione non tenentur ad observationem horum statutorum. Unde sequitur, memoratos Religiosos non peccare, si non jejunent diebus rogationum: interdicto autem se submittere, & observare festa tenentur vi juris communis; sic enim vult Concilium Tridentinum Sess. 26. de regul. & monialibus c. 12. Ubi tamen non fit mentio similis obligationis quoad jejunia particularia præscripta ab Episcopo; & consequenter ad ea non obligantur Religiosi exempti, nisi fundentur in consuetudine antiqua & generali totius Provinciæ, quæ in hoc casu haberet vim legis juxta Sylvium v. Rogationes. I. Nihilominus omne in tali casu scandalum abesse necesse est. *Pontas.*

Nota. Omnes regulares, quamvis quoad pertinentia ad disciplinam regularem per summos Pontifices non raro eximi soleant a jurisdictione Episcoporum; circa pertinentia tamen ad disciplinam clericalem vix unquam eximuntur ab Episcopo, cui in ordinatione jurant obedientiam. Jejunia autem extraordinaria pertinent primario ad disciplinam clericalem exemplarem, quando indicantur ob necessitatem publicam.

S.

SACERDOS.

CASUS I. Lucio cujusdam parochiæ vicario ignominiosissime insultant complures parochiani; quas quidem injurias ex consilio sui parochi patienter ferre paratus est. At vero unus

unus parochianorum hac ipsius patientia audacior factus modis omnibus indignissime ipsum habet, fustibus cædit, in terram prostratum hinc inde trahit, pedibusque in eum insilit, nulla ipsius culpa, & prorsus innocentem. Potestne, vel etiam tenetur in conscientia rem deferre ad judicem, ut sistantur hæ violentiæ? Potestne petere, ut puniatur author tantorum excessuum in suam personam commissorum, conservando nihilominus sinceræ charitatis affectum, & animum ad amicabilem compositionem dispositum, mox ut fuerit rogatus? Statuta in reum corporali apprehensione poteritne vicarius sententiæ petere executionem, ut ei, a quo injuriam passus est, terrorem incutiat, & ad veniam exorandam inducat?

℞. Potest persequi reum Lucius, parochusque tenebatur suscipere defensionem sui vicarii ad vindicandum honorem sacerdotii, impediendosque imposterum tam enormes excessus. Interim tamen ad conciliandam causæ huic majorem authoritatem optime fieret, si imploraretur Episcopus, ut tanquam supremus negotii hujus moderator suo nomine castigationem delinquentis peteret. Cæterum nec parochus nec vicarius curare debent, quidquid homines ignorantes ac malevoli hac occasione obmurmuraturi sint. Scandalum si quod oriretur, certe foret pharisaicum, illud accipientium malitiæ adscribendum, nec ullo modo his duobus sacerdotibus imputandum. *Fromageau.*

CASUS II. Polycarpus sacerdos nullam fere missæ sacrificio præparationem præmittens, inter meras plerumque distractiones illud celebrat, ac perraro actualem consecrandi intentionem habet. Num peccat? An quandoque etiam mortaliter?

℞. Sacerdos hic omittendo præparationem, si per hanc intelligantur preces juxta Rubricas Missalis *pro temporis opportunitate* dicendæ, non peccat graviter; quia nullum extat præceptum recitandi determinate illas preces. Nihilominus si distractiones essent valde notabiles ac diuturnæ, eæque ex ipsa omissione hujus vel alterius præparationis durante missæ sacrificio orirentur, hæc omissio posset esse grave peccatum. Defectus intentionis *actualis* nullum prorsus est peccatum; quia juxta sententiam communissimam ad valide & licite consecrandum sufficit intentio mere *virtualis*. C. B.

CASUS III. Wolfgangus sacerdos latini ritus post consecrationem Hostiæ & Calicis advertit, panem a se consecratum esse corruptum. Quid ipsi agendum, si non amplius haberi possit panis azymus?

℞. Li-

℟. Licet ad valorem Sacramenti sufficiat panis triticeus, azymus sive fermentatus, ut definitum fuit in Concilio Florentino, tenentur tamen de necessitate præcepti sacerdotes Græci consecrare in pane fermentato & latini in azymo: hæcque obligatio adeo stricta est, ut neque ad audiendam missam in die festo, neque ad ministrandum infirmo viaticum liceat ab hoc ritu recedere. Unicum Authores excipiunt casum, dum scilicet quis post consecrationem & Hostiæ & Calicis deprehendit, panem consecratum esse corruptum; quia præceptum integrum perficiendi sacrificium est divinum, atque adeo prævalere debet alteri præcepto, quod tantum est ecclesiasticum. C. B.

CASUS IV. Mævius & Theresia dispensationem obtinuerunt, ut possint conjungi in matrimonium, tamen absque ceremoniis, tempore, quó ex lege Ecclesiæ nuptiarum solemnia interdicta sunt, elapso jam hoc tempore sollicitant sacerdotem quemdam, ut pro ipsis dicat missam *pro sponsis*, nuptiisque pro more benedicat. Licetne id simplici sacerdoti?

℟. Neutiquam hoc licet: benedictio enim nuptiarum pertinet ad solemnia matrimonii, hancque impertiri est de jure illius, cujus est assistere matrimonio, proprii scilicet contrahentium parochi. Quapropter, nisi sacerdos hic fuerit specialiter ad id deputatus a parocho sponsorum, pœnam suspensionis incurrit, latam a Concilio Tridentino Sess. 24. c. 1. & reservatam quoad absolutionem ordinario proprii parochi. C. B.

SACRAMENTUM.

1. Vox hæc, *Sacramentum*, varias significationes recipit; hic tamen solum agitur de Sacramentis novæ legis evangelicæ, quæ sunt septem, prout nos fides docet, nimirum Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo, Extrema Unctio, & Matrimonium. Omnium horum Sacramentorum Institutor est Christus. Definitur Sacramentum novæ legis, *Invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum.*

2. *Materia* Sacramentorum consistit aut in rebus corporeis ac permanentibus, ut est aqua in baptismo, panis & vinum in Eucharistia, oleum in extrema unctione; aut in actibus sensibilibus ad proprium effectum per formam determinatis, ut est contritio & satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

3. *Forma* conſiſtit in verbis a Miniſtro prolatis, aut in alio ſigno verbis æquivalente. In primis ſex Sacramentis neceſſaria ſunt verba expreſſa; in ultimo, nempe matrimonio ſufficit ſignum verbis æquivalens.

4. In quolibet Sacramento duplex diſtinguitur materia, *remota* ſcilicet, quæ eſt v. g. in Baptiſmo aqua elementaris; & *proxima*, quæ eſt applicatio aquæ, ſeu ablutio. In Sacramento pœnitentæ materia remota ſunt peccata pœnitentis, & proxima actus contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis. In extrema unctione materia remota eſt oleum infirmorum; proxima, unctio facta a presbytero in corpore infirmi.

5. Mutatio eſſentialis materiæ aut formæ reddit Sacramentum nullum; non item mutatio tantum accidentalis.

6. Materia & forma in Sacramentis moraliter loquendo eodem tempore debent applicari, exceptis Sacramentis pœnitentiæ & matrimonii, in quibus longior, quam in aliis, mora temporis poteſt intercedere.

7. Intentio miniſtri abſolute neceſſaria eſt, vel *actualis*, vel ſaltem *virtualis* conferendi Sacramentum tale & taliter, quale & qualiter Chriſtus inſtituit, & Eccleſia ſolet adminiſtrare. Vide *Intentio*.

8. Dividuntur Sacramenta ulterius in Sacramenta *mortuorum*, & Sacramenta *vivorum*. Sacramenta mortuorum ſunt ea, quæ primam gratiam conferunt iis, qui eam nunquam habuerunt, ut Baptiſmus; aut quæ primam gratiam de novo conferunt illis, qui ea per peccatum exciderunt, ut Sacramentum pœnitentiæ. Reliqua Sacramenta conferunt novam gratiam; in recipiente autem jam antecedenter requiritur ſtatus gratiæ.

9. Theologi tria potiſſimum in quolibet Sacramento diſtinguunt, videlicet *Sacramentum* tantum, *Rem Sacramenti tantum*, & *Sacramentum & rem*. Per *Sacramentum tantum* intelligunt Sacramentum, abſtrahendo ab ejusdem effectu: Per *Rem Sacramenti tantum* ipſum effectum Sacramenti indigitant: & *Sacramentum & rem* inteligunt Sacramentum ſimul, & ejusdem effectum.

10. Sacramenta producunt gratiam *ex opere operato*, id eſt, *ex vi operis* ſine reſpectu ad merita miniſtri aut recipientis, dummodo digne recipiatur. Sic enim v. g. ad baptiſmum ab adulto digne ſuſcipiendum requiritur actus fidei, ſpei, & dilectionis initialis, non per modum meriti, ſed per modum diſpoſitionis congruæ. Præter gratiam habitualem & ſanctificantem conferunt etiam gratias particulares actua-

actuales pro necessitate eorum qui digne ea recipiunt : & ultra has gratias Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimunt in anima characterem indelebilem, quo ab aliis distinguuntur, qui hæc Sacramenta non receperunt.

11. Omnes preces, omnesque ceremoniæ, ac ritus, quibus utuntur ministri Sacramentorum, ab Ecclesia eo fine instituti sunt, ut indigitentur tum eorum effectus, tum dispositiones, quibuscum suscipienda sunt, ac obligationes, quas suscipientes contrahunt.

CASUS I. Reinaldus probe gnarus, Felicem parochum suum cujusdam criminis esse reum, in eoque perseverare, quærit an possit absque peccato ab ipso recipere Sacramentum pœnitentiæ, vel sacræ Communionis, & an possit etiam illum sollicitare pro illorum administratione?

℞. Si parochus declaratus non est suspensus, excommunicatus, aut degradatus, sed in suo toleratur ministerio, potest Reinaldus absque peccato ab ipso suscipere utrumque Sacramentum; quia communicat Ecclesiæ, dum communicat ministro Ecclesiæ, quin partem habeat in peccato ipsius. Si autem parochus esset degradatus, excommunicatus aut suspensus, & sic non toleratus ab Ecclesia, peccaret Reinaldus ab eo recipiendo Sacramenta. S. Thomas 3. part. q. 64. art. 6. ad 2. Quod attinet secundum, Reinaldus in casu necessitatis absque peccato potest ad eum recurrere, sed extra casum necessitatis tutum non foret in conscientia eum sollicitare ad obeundas Ordinis sui functiones. Nihilominus Reinaldus posset eum sollicitare pro administratione Sacramentorum, si ipsum prius vidisset gementem, suspirantem, lachrymas fundentem, aut percutientem pectus, vel alia pœnitentiæ signa edentem; ex quibus legitime inferri posset, eum esse conversum. *A ministro quantumvis malo*, inquit Sylvius in 3. part. Summ. D. Thom. q. 64. art. 6 *licet communiter recipere & petere Sacramenta, imo & ipsum inducere ad ea ministranda, quamdiu toleratur ab Ecclesia; si ipse sit talis, utpote pastor, cui incumbat ex officio illa ministrare, petens autem sit parochianus: tunc enim qui petit, utitur jure suo, & petit rem bonam, quam alter potest & debet bene facere.* Dixi communiter; *quia si æque commode possit haberi Sacramentum ab eo, qui sine peccato ministrabit, ex charitate prætermittendus tunc est is, qui noscitur a peccato non recedere.* Pontas.

CASUS II. Si Felix non esset parochus Reinaldi, sed solum confessarius illius ordinarius; possetne Reinaldus ab eo

recipere Sacramentum, non obstante, quod certo sciat, eum constitutum esse in statu peccati mortalis?

℟. Sylvius celebris D. Thomæ interpres loco supra citato existimat, quod si hic presbyter censura ligatus non sit, Reinaldus absque peccato ad illum accedere possit pro recipiendo Sacramento; dummodo 1. sit obligatus ad recipiendum Sacramentum, ut v. g. tempore paschali, aut sinistræ ac periculosæ valetudinis; 2. si non potest ad alium sacerdotem recurrere; & 3; si Felix actu sedet pro sacro tribunali pœnitentiæ. *Pontas.*

Vide *Absolutio*, *Confessio*, *Parochus*.

SACRILEGIUM.

1. Per *Sacrilegium* intelligitur abusus rerum sacrarum ad profana; sive dein ejusmodi usus ex natura sua sit criminosus, ut sunt sortilegia & incantationes; sive primum fiat criminosus ex ipsa applicatione rerum unice ad cultum Dei ac Religionis destinatarum ad profana. Sacrilegium est *violatio rei sacræ*, inquit Polmanus.

2 Tres potissimum enumerantur species rerum sacrarum. *Prima* comprehendit res ex sua natura sacras, ut sunt Scriptura sacra, & Sacramenta; aut quæ sunt consecratæ ac dedicatæ Deo ab Ecclesia in cultum ipsi ac Religioni debitum, ut sunt vasa sacra, vestimenta ad ministerium Altaris destinata, aut quæcumque aliæ res, quæ ad decorem Ecclesiæ & exornationem templorum adhibentur. *Secunda* comprehendit personas sacras, quales sunt sacris Ordinibus initiati, & Religiosi. *Tertia* demum species comprehendit loca sacra, ut sunt Ecclesiæ, & Cœmeteria.

3. Sacrilegium committitur 1. per profanationem Scripturæ sacræ, & Sacramentorum. 2. Contumeliose tractando Crucem signum redemptionis nostræ, effigies Christi, B. Virginis, aut Sanctorum 3 Indigne habendo sacras Reliquias. 4 Ad usus profanos applicando sacras vestes ministrorum Altaris, aut ornamenta Altarium & Ecclesiarum, aut res specialiter ab Ecclesia consecratas ac dedicatas Deo in contestationem cultus supremi ipsi debiti. 5. Percutiendo aut injuriose tractando via facti Clericum, aut Religiosum vel Monialem; quo in casu incurritur etiam excommunicatio ipso facto. Comittitur quoque sacrilegium, dum ejusmodi personæ religiosæ peccant contra castitatem vel dum alius in hoc genere peccat cum illis. 6. Denique

per

per indignum ac profanum usum altarium, ecclesiarum, cœmeteriorum, aliorumque locorum sacrorum.

CASUS I. Vitellius in ecclesia cuidam argenteum horologium furatus quærit, an commiserit verum sacrilegium, & num teneatur in confessione declarare, hoc furtum in ecclesia fuisse commissum.

℞. Furtum potest fieri sacrilegum tribus modis; nimirum quando affertur res sacra in loco sacro; quando aufertur res profana in loco sacro; & quando res sacra aufertur in loco profano. *Sacrilegium committitur*, ait Joannes VIII. Can. *Quisquis* 21. 17. q. 4. §. 2. *auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Hinc Vitellius commisit verum sacrilegium; teneturque id declarare in confessione. *Pontas.*

Nota. Licet in tali furto concurrat irreverentia erga locum sacrum; quia tamen est clandestina, non videtur excedere culpam levem, licet in specie furti sit peccatum grave.

CASUS II. Polycarpus per testamentum summam 150. florenorum reliquit pro fabrica ecclesiæ parochialis. Hæres autem ipsius intercepit testamentum, illudque combussit, ne teneretur solvere hoc legatum. Commisitne sacrilegium speciatim in confessione exponendum?

℞. Generaliter loquendo, dum aliqua res legitime ad ecclesiam pertinens subducitur, est sacrilegium. Jam vero ecclesiæ parochiali aquisitum est jus proprietatis in summam legatam; & hinc hæres non potuit absque sacrilegio speciatim in confessione exponendo retinere hanc summam. S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 2. C. *Pontas.*

CASUS III. Petrus in ecclesia spoliavit confessionale, abstulitque breviarium ac alios libros, quos confessarius ibi reclusos habebat. Petrus autem tenet sententiam eorum, qui negant, ad rationem sacrilegii sufficere, si præcise auferatur in ecclesia res quæcumque demum. An hoc non obstante Petrus per hoc furtum commisit sacrilegium?

℞. Non commisit sacrilegium; quia in eorum sententia ad sacrilegium in furto ratione loci sacri committendum requiritur, ut res ablata directe pertineat ad ecclesiam: per accidens autem est, quod breviarium aliique libri ablati in ecclesia fuerint asservati. Hinc Petrus per hoc furtum non commisit sacrilegium. C. B.

No-

NOTA. Sententia rationi conformior, communior, pro conscientia ac confessione securior est, quod omne furtum in domo Dei perpetratum sit sacrilegum. *Qui monasteria & ecclesias infringunt*, ait Joannes VIII. Can. ad caf. 1. citato, *& deposita vel alia qualibet exinde abstrahunt, velut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur.*

CASUS IV. Confessarius quidam existimavit, pœnitentem quempiam commisisse sacrilegium, eoquod in ipso accessu ad S. Communionem alicujus peccati mortalis in confessione ex oblivione omissi recordatus, sacram Evcharistiam sumpserit, quin prius elicuisset actum contritionis. Num bene ita sentit confessarius?

℟. Male sic judicavit confessarius: si enim pœnitens peccati ex oblivione omissi fuit recordatus eo tempore, quo non amplius poterat se subducere a sacra mensa absque verecundia aut scandalo eorum, qui eum recedentem vidissent, non tenebatur elicere actum contritionis; eoquod a peccato ex oblivione omisso indirecte jam fuerat absolutus. Si vero pœnitens potuisset recedere a sacra Communione absque ulla inconvenientia, ut potest contingere in multis circumstantiis, fuisset obligatus ad novam confessionem, solusque actus contritionis non fuisset sufficiens. Ex quo sequitur, opinionem hujus confessarii nunquam approbari posse. C. B.

CASUS V. Sacerdos quidam verba & sententias sacræ Scripturæ sæpe adhibet in discursu familiari, imo ad lusum & indecentes facetias. An committit sacrilegium?

℟. Committit sacrilegium, si sunt verba aut sententiæ sacræ Scripturæ formaliter tales, id est, quæ a Spiritu sancto dictatæ sunt. Gobat de plasph. c. 20. n. 720. Regin. Lib. 19. c. 4. n. 57. Culpa tamen non esset adeo gravis, si ejusmodi verba aut sententiæ contineantur quidem in sacra Scriptura, sed a proferente ex alio authore particulari, maxime profano desumerentur.

NOTA. Licet unus vel alter actus sic jocatorius non excedat culpam levem; habitus tamen sic jocandi non est excusandus a peccato gravi: actus enim frequentati in genere irreverentiæ, v. g. erga parentes, magistros, amicos, Superiores &c. coalescunt in objectum displicentiæ gravis, vel in contemptum interpretativum.

SANCTIFICATIO FESTORUM.

CASUS I. Advocati & procuratores pro clientibus suis quam-

quandoque plurimum occupantur diebus dominicis & festis. Num licite?

℞. Occupatio eorum non censetur esse labor servilis, nec prohibita legibus divinis vel ecclesiasticis. Accedit, quod ejusmodi labor sit probatus per consuetudinem universalem & publicam, cui Ecclesia sese non opponit. Nihilominus incumbit memoratis personis sanctificare dies dominicos & festos, non solum audiendo Sacrum, id quod est strictæ obligationis, sed etiam erogando in pauperes partem lucri hisce diebus percepti. *De Lamet.*

Nota. Author potius debuisset eos obligare ad audiendum verbum Dei in parochia propria.

CASUS II. In quadam communitate religiosa, ubi esus carnium in perpetuum interdictus est, Religiosus quidam quotidie sub solis occasum, ne dominicis quoque ac festis diebus exceptis, in præterfluentem immittit retia ad capiendos pisces, altero die mane extrahenda. Num id licet?

℞. Piscatio quidem diebus festis ac dominicis est licita, dummodo non multum temporis aut laboris in ea collocetur; nihilominus tamen melius foret, si Religiosus iste a ponendis retibus abstineret diebus dominicis ac festis; licet satis graves rationes non suppetant ut peccaminosam condemnandi hanc consuetudinem jam a longo tempore introductam, nec aliunde præbentem occasionem scandali. *Fromageau.*

Vide *Dominicæ & Festa. Labor servilis.*

SARTOR.

In hoc titulo agetur & discutietur, quid Sartoribus circa conficiendas virorum & mulierum vestes liceat vel non liceat.

CASUS I. Hubertus sartor jam ab anno confecit vestes muliebres in ea forma, ut pectus ad mamillas usque videri & per hoc viris ansa peccati dari possit; a suo confessario admonebatur, ut a tali forma vestium abstineat. Ille vero reposuit, se a confectione vestium talis formæ abstinere non posse sine magno suæ sustentationis detrimento; cum ejusmodi forma vestium sit universalis. An tuta conscientia potest pergere in confectione talium vestium?

℞. Dantur artes, quæ sine peccato absolute exerceri non possunt; cum ex se ipsis ac directe peccandi occasionem præ-

beant.

beant. Sunt autem & aliæ, quæ ex se ipsis ad peccatum non inducunt. Hinc. S. Thomas 2. 2. q. 169. art 2. ad 4. ait : *Siqua ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi; puta siquis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia. Siqua vero ars sit, cujus operibus homines possunt bene vel male uti, sicut gladii, sagittæ & alia hujusmodi, usus talium artium non est peccatum.* Ars Huberti est de hoc posteriore genere, ut advertit S. Beuve tom. 3. cas. 185. & vestes ab eo confectæ non impediunt, quominus puellæ ac mulieres possint alio modo contegere pectus, ad quod & tenentur. Hinc Hubertus potest absque peccato continuare exercitium artis suæ. *Pontas.*

Nota. Qui ejusmodi modos vestium, Christianam modestiam positive dececentes, vel respectu multorum in vitia ex fragilitate humanæ naturæ proclivium propinquum periculum gravium peccatorum absque necessitate creantes inveniunt, vel inventos in morem introducunt, vel introductos sponte recipiunt, suoque exemplo confirmant; vel ubi prohibere possent, non prohibent, vel prohibitiones a Principe aut Episcopo factas non observant, sunt in statu peccati mortalis, &, nisi emendent, absolutionis incapaces.

CASUS II. Sergius sartor cuidam fœminæ nobili, ipsa petente, emit quindecim ulnas panni serici ad conficiendas vestes. In ipsa autem emptione advertit, unam ulnam non esse bene tinctam, hinc pro hac ulna mercatori detraxit a pretio totali unum imperialem, in confectione vero vestium istam defectuosam panni ulnam intra plicas perbene occultare scivit, ut nec minimum quid adverteretur. An iste sartor pro sua industria præfatum mercatori detractum imperialem ubi servare potest?

℞. Non potest: nam 1. Sergius erat mandatarius; mandatum vero est *officium gratuitum ab eo qui susceperit exhibendum.* 2. Considerandа est intentio mandantis; in præsenti autem casu certum est, intentionem matronæ non fuisse, ut sartor ex commissa sibi emptione occultum pro se quærat lucrum. 3. Nec potest allegare sartor suam industriam, quam per se jam adhibere tenebatur ex munere mandatarii ac commissarii : non enim ex alia ratione ad emptionem panni matrona elegit sartorem, quam quia eum habiliorem aliis ac magis industrium credidit; & hinc industria & major notitia circa pretium rerum hujusmodi non potest separari a persona. *Pontas.*

CA-

CASUS III. Arnaldus sartor pro conficienda Hieronymo veste emit omnia necessaria pro 18. florenis. Sed cum in emptione multum temporis insumpserit, ac merces minori pretio obtinuerit, ac alias vendi solent, scripsit viginti florenos. Egitne injuste?

℟. Arnaldus injuste egisse videtur, non obstantibus allegatis rationibus: nam 1. sartores apprime sciunt, quæ necessaria sunt, & norunt pretium mercium non minus ac ipsi mercatores; & hinc multo haud indigent tempore ad coemptionem. 2. Qui sartoribus ad ejusmodi negotium utuntur, non habent intentionem illis peculiariter solvendi impensum emendis rebus tempus; & sartor ipse ægerrime ferret, si illi, pro quo necessaria emit, innotesceret, se quidpiam pro emptionis ind[illegible]ria ac labore retinuisse. 3. Mandans si sciret, sartorem pro emptione pretium exacturum, constitueret haud dubie alium, qui absque mercede emeret, vel ipsus emeret. Verum quidem est, quandoque multum temporis insumendum ad emptionem mercium; in hoc autem casu potest sarsor amplius em exigere mercedem laboris, nequaquam autem secreto quidquam sibi vendicare sub prætextu impensi temporis, aut majus rebus emptis assignare pretium, ac ipse expenderat. Id tamen sartoribus dandum videtur, ut, si necessaria ad vestes in maxima quantitate emerunt, possint alicorum mercatorum instar quidpiam lucri percipere, dum postea minutatim vendunt. *Pontas.*

CASUS IV. Christina nobilis matrona, cum ipsa mercatorem adire nollet, sartori committit, ut pro conficienda veste quindecim ulnas panni attalici emat. Sartor recta pergit ad ipsam fabricam, ubi ejusmodi panni conficiuntur, & ipsis mercatoribus suppeditantur, ulna pro 11. libris, quam dein vendunt pro 12. libris. Sartor quoque ulnam recipit pro 11. libris. Poteftne hoc lucrum sibi retinere, supposito, quod Christina pro ulna 12. libras numerare debuisset?

℟. Videtur hoc lucrum inter fructus sartoris industriales numerari posse; eoquod Christina non adiisset ipsam fabricam, & mercatori cuivis solvere debuisset 12. libras pro ulna, & insuper sartori ob notabilem distantiam fabricæ plus temporis insummendum fuerit ad emptionem. Nihilominus id lucri capere non posset sartor absque injustitia, nisi certus sit, eodem pretio vendi has merces in fabrica omnibus aliis mercatoribus. *Pontas.*

CASUS V. Jovius sartor solet retinere secamenta & lacinias ex panno residuas, easque vendere iis, quibus usui esse possunt. Peccatne? num tenetur ad restitutionem, etsi

hujus-

hujusmodi lacinias retineat in compensationem temporis impensi ad emptionem panni & eo pertinentium?

℞. Idem dicendum de Jovio, quod de iis, qui committunt furta minuta, & exinde ditescunt. Jovius juxta Conferentias Condomienses tom. 1. conf. 15. sect. 3. has lacinias retinere non potest sine consensu eorum, ad quos pertinent. *Pontas.*

Nota. Resolutio dependet ab intentione rationabiliter præsumpta conducentis operam sartoris. Si conducens potest & solet asservare lacinias in fines utiles, non censetur eas donare.

CASUS VI. Sebastianus rogat Matthiam sartorem, ut secum adeat mercatorem pro emendo panno ad vestem conficiendam. Matthias ducit illum ad mercatorem, qui 40. crucigeros ultra summum pretium pro ulna exigit, quin Matthias se opposuerit; eoquod aut amicus aut debitor mercatoris esset. Teneturne Matthias Sebastiano ad restitutionem?

℞. Tenetur omnino cum mercatore ad restitutionem in solidum; eoquod damni causa exstiterit: annuendo enim precibus Sebastiani tacite se obligavit ad impediendam deceptionem ac fraudem mercatoris. *Dare alicui occasionem periculi vel damni*, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. C., *semper est illicitum.* Et rursus ibidem art. 1. C. *Fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius. Pontas.*

Vide *Emptio* cas. 18. *Larvatus. Vestitus laicalis.*

SATISFACTIO SACRAMENTALIS.

CASUS I. Parochus quidam ruralis, ut parochianos suos alliceret ad frequentem confessionem, ipsis pro peccatis etiam gravissimis tantum injungit opera aliunde præcepta; v. g. auditionem Sacri diebus dominicis & festis. An bene agit?

℞. Male agit iste parochus. Ministri Sacramenti pœnitentiæ juxta leges prudentiæ Christianæ semper debent injungere pœnitentiam proportionatam gravitati peccatorum & qualitati pœnitentis, ne, ut advertit Concilium Tridentinum, se reddant participes peccatorum alienorum, quibus sic connivere videntur. Quia autem hæc doctrina subverteretur, si motivum alliciendi populum ad frequentem confessionem praxin hujus parochi redderet licitam, dicendum est, hunc modum agendi nentiquam probari posse. C. B.

CA-

CASUS II. Confeffarius quidam Petro pro pœnitentia injungit, ut fingulis diebus dominicis per menfem audiat duo Sacra; Petrus autem ex mera negligentia intereft quidem duobus Sacris, fed fimul ac eodem tempore ad duo altaria celebratis. Num bene?

℞. Petrus non fatisfecit pœnitentiæ injunctæ: licet enim quis fatisfacere poffit eodem tempore ac per unicum actum duobus præceptis, quando aliunde non conftat de alia intentione præcipientis; nihilominus, dum de hac intentione conftat, non poteft fatisfieri, nifi per diftinctos actus diftincto tempore pofitos. Quia autem confeffarii ejusmodi pœnitentias imponendo ordinarie habent intentionem obligandi pœnitentem ad audiendas duas Miffas diftincto tempore, dicendum eft, Petrum non fatisfeciffe duabus fuis obligationibus, dum audit duas Miffas fimul ad duo altaria celebratas. C. B.

CASUS III. Francifcus matri fuæ ad extremam miferiam redactæ dedit eleemofynas, quas vi pœnitentiæ a confeffario injunctæ diftribuere debuiffet in pauperes. Satisfecitne?

℞. Non fatisfecit obligationi fuæ; nam cum filius jure naturali teneatur neceffariam fuftentationem præbere matri fuæ, fumma eidem data non habet rationem eleemofynæ, fed perfoluti debiti. Jam autem, cum intentio confeffarii non fuerit obligandi pœnitentem ad aliquid, ad quod ex alio titulo tenebatur, certum eft, Francifcum donando matri fuæ fummam, quam in eleemofynas pauperum diftribuere debuiffet, non fatisfeciffe pœnitentiæ injunctæ. C. B.

CASUS IV. Cajus, qui commifit plurima peccata graviffima, recufat in hac vita alia opera fatisfactoria exercere, quam quæ ipfi in confeffione imponuntur. Poteftne excufari a peccato gravi?

℞. Poteft: licet enim fit utiliffimum fatisfacere Deo pro fuis peccatis per pia opera gratuito affumpta, non tamen exftat præceptum ad id obligans; prout ex ipfo Concilio Tridentino Seff. 14. *de pœnit.* c. 8. colligitur, ubi folum dicit, fatisfactionem vi præcepti effe neceffariam, cum in Sacramento pœnitentiæ a confeffario imponitur. C. B.

NOTA. Obligatio vivendi in continua pœnitentia etiam juftis impofita, an non potiori ratione refpicit peccatores?

CASUS V. Sejus per notabile tempus differt impletionem injunctæ fibi pœnitentiæ; & eam tandem perfolvit in ftatu peccati mortalis. An peccat graviter?

℞. Peccat graviter sine rationabili causa, ut supponitur, differendo injunctam pœnitentiam: non tamen peccat eam persolvendo in statu peccati mortalis; sicut ille non peccat, qui in statu peccati mortalis recitat divinum officium, aut jejunat &c. C. B.

Nota. Amplissimum est discrimen inter hominem, qui post relapsum serio a Deo petit veniam peccati sui, & eum, qui cum omni tranquillitate perseverat in peccato volens, absque omni proposito redeundi cum Deo in gratiam. Dein peccator semper peccat, ad minimum venialiter, quoties orat ad Deum pro remissione peccatorum sine attritione & proposito emendationis; ita tamen; ut non ipsa oratio, sed tantum omissio concomitans sit peccatum.

CASUS VI. Confessarius quidam Cajo pro pœnitentia injunxit, ut quotidie per annum recitet Psalmum *Miserere*. Cajus acceptat quidem pœnitentiam, sed eam non persolvit; putatque id fieri posse absque scrupulo; eoquod peccata illa emendaverit, pro quibus hæc pœnitentia fuit injuncta.

℞. Non potest excusari Cajus; quia hæc pœnitentia est satisfactoria, utpote sola, quæ ipsi fuit imposita. Ex hoc autem titulo ea obligat semper: Sacramentum enim non debet frustrari una partium suarum essentialium. C B.

Nota. Ipsa actualis satisfactio est solum pars integralis Sacramenti. Satisfactio autem in voto, seu propositum implendi satisfactionem est pars essentialis.

CASUS VII. Petrus confitetur, se sæpius relapsum fuisse in idem peccatum; & confessarius pro pœnitentia ipsi injungit recitationem integri psalterii cum obligatione recitandi rosarium quinque decadum toties quoties relapsurus sit in idem peccatum. Petrus rediens ad confessionem accusat se, quod ter omiserit injunctum rosarium. Teneturne omissas has preces supplere?

℞. Non tenetur; quia rosarium in quemlibet eventum relapsus a Petro recitandum potius considerari debet tanquam remedium præcavendi peccata in futurum, quam ut pœna pro peccatis præteritis. Hinc licet Petrus peccaverit non adhibendo præscriptum a confessario pro diminuendo peccatorum numero remedium, cum tamen finis, quem sibi confessarius præstituit, locum jam amplius habere non possit, certum est, pœnitentem ad supplenda omissa rosaria non teneri. C. B.

Nota. Cum confessarius sit non solum judex, sed & medicus pœnitentis, potest ac debet præcavere relapsum in eandem ægritudinem per congruam medicinam, qualis est pœnitentia conditionata, peragenda in

in casu relapsus; hanc si respuat pœnitens, indignus est absolutione. Jam vero qui non curat relapsum, prout non curare censetur negligens media præservativa a confessario præscripta, neque curabit peccata committenda per neglectum horum medicorum, si a confessario obligari non debeat ad supplendas omissiones. Ad hæc ipsæ pœnitentiæ medicinales ac præservativæ participant de ratione pœnitentiæ proprie satisfactoriæ ac vendicativæ, quæ intuitu earum plerumque solet allevlari.

CASUS VIII. Titius cum frequenter omittat pœnitentias etiam notabiles sibi impositas, confessarius ipsi injungit pœnitentiam gravem, vere tamen enormitati peccatorum proportionatam, & simul declarat, non nisi veniale peccatum fore, si eam non peragat. Num bene agit confessarius?

℟. Confessarius licite sic agit: sicut enim exigente rationabili causa pro peccatis gravibus potest injungere pœnitentiam levem; ita si ad bonum spirituale pœnitentis conducere videatur, potest injungere pœnitentiam de se gravem sub obligatione tantum levi eam peragendi. Ratio utriusque est; quia Sacramentum pœnitentiæ ita institutum est, ut ejusdem minister credita sibi facultate ligandi atque solvendi eo modo utatur, quem pro salute pœnitentis congruentiorem fore judicaverit. C. B.

Nota. Pœnitentiam gravem pro peccatis gravibus injunctam omittere ex mente Christi & ex ipsa natura Sacramenti peccatum semper grave est; quam Christi œconomiam subverteret confessarius, si pœnitentem tantum sub peccato veniali obligaret ad peragendam pœnitentiam gravem prudenter, ut supponitur, impositam, & ministerii sui potestate abuteretur; quia, cum graviter pro ratione criminum ligare ex commissa sibi dispensatione teneatur, leviter tantum ligat contra voluntatem Domini sui.

CASUS IX. Livius libenter vellet liberari ab injuncta pœnitentia, quam acceptavit animo eam adimplendi. Potestne propria sua authoritatae eam immutare? Num eam mutare potest alius confessarius, quin obliget pœnitentem ad repetendam priorem confessionem?

℟. Pœnitens ipse eam immutare non potest. Ratio est; quia commutatio pœnitentiæ est actus jurisdictionis, quæ certo convenire non potest pœnitenti, etiamsi talis commutatio fieret in melius. Confessarius autem potest ex rationabili causa pœnitentiam ab alio confessario injunctam commutare in æqualem, aut etiam leviorem, si gravis id petat ratio cognita prius confessione facta priori confessario: neque per hoc talis confessarius exercet suam authoritatem in primum confessarium, sed solum in pœnitentem, qui se ipsi

 sub-

ſubjicit ; ita, ut ſecundus confeſſarius ſuam quidem proferat ſententiam, quin tamen ſententiam primi confeſſarii revocet. C. B.

Nota. Cum poenitentia debeat eſſe proportionata non ſolum perſonæ & conditioni poenitentis, ſed etiam gravitati, numero & menſuræ peccatorum, impoſſibile eſt ſecundo confeſſario obligationi ſuæ ſatisfacere ſine nova confeſſione poenitentis. Inſigniores tamen Theologi docent, in ejusmodi caſu, ſi prudenter dubitari non poſſit de valore primæ confeſſionis, opus haud eſſe confeſſione ita exacta, diſtincta ac extenſa, ut erat prima; ſed ſufficere, ſi confeſſarius ſecundus noſcat ſtatum poenitentis quoad ſubſtantiam; hanc autem notitiam abſolute requiri, ne poenitentia prima cæco modo mutetur, aut alia ſubſtituatur ſine omni delectu, & absque conſilio.

SCANDALUM.

1. Theologi *Scandalum* ita definiunt : *Offendiculum ſpirituale, quo quis offendit & in peccatum ruit.* Duplex diſtinguitur ſcandalum, ſcilicet *activum* & *paſſivum*, id eſt, datum & acceptum. Scandalum activum juxta Tertullianum eſt *dictum vel factum minus rectum proximo præbens occaſionem ruinæ ſpiritualis* ; ad quam definitionem addendum adhuc eſt, *omiſſio dicti vel facti* : licet enim quidpiam non facere aut non dicere ex natura ſua peccatum non ſit, poteſt tamen contingere, ut quis peccet in quibusdam circumſtantiis non faciendo aut non loquendo ; cum ſcilicet tenetur loqui aut facere quidpiam, ne proximo præbeatur occaſio offenſionis. Scandalum paſſivum eſt, quod accipitur ex facto vel dicto alterius non recto, vel quandoque recto, vel ſaltem indifferente.

2. Supponendum eſt, quod dans ſcandalum aut habeat intentionem expreſſam, aut ſaltem interpretativam proximo præbendi occaſionem peccati, etſi contingere poſſit, proximum non ſcandalizari. Si intentio eſt expreſſa, ſcandalum erit formale ; ſi vero intentio tantum eſt interpretativa, etiam ſcandalum eſt tantum interpretativum.

3. Duplex porro datur ſpecies ſcandali paſſivi ; nimirum *acceptum & datum ſimul*, definiturque a Polmano, *proximi ruina ſpiritualis orta ex alterius dicto factove minus recto* ; & *acceptum ſolum* & non datum, quod idem Theologus definit, *ruina ſpiritualis propria malitia vel infirmitate accepta, orta ex dicto factove alterius recto vel indifferenti.* Scandalum acceptum propria malitia ſimile eſt ſcandalo Phariſæorum. Si vero accipitur tantum ex infirmitate aut defectu judicii absque juſta cauſa, dicitur *ſcandalum infirmorum acceptum*

tan-

tantum, & diſtinguitur ab eo, quod Theologi vocant *acceptum & datum.*

4. Omne ſcandalum formale, aut interpretativum eſt ex ſua natura peccaminoſum; daturque ſtricta obligatio in confeſſione declarandi præter actionem ipſam etiam circumſtantiam ſcandali, utpote valde notabilem, & notabiliter augentem malitiam actionis.

CASUS I. Parochus quidam bonum opus inchoaverat, quod ipſi videbatur neceſſarium aut ſaltem utile pro bono parochiæ ſuæ; ſed parochiani exinde ſcandalizabantur, dictum vel factum in malam partem accipiendo; ſicque, dum voluit procurare ſalutem parochianorum ſuorum, ipſis præbuit occaſionem peccandi per murmurationes, injuſta ac temeraria judicia. Teneturne parochus in hoc caſu abſtinere a bono hoc opere, & illorum infirmitati cedere? atque ſi non abſtineret, num reus foret dati ſcandali?

℟. Hæc quæſtio unice reſpicit ſcandalum paſſivum: ſcandalum enim activum ſemper eſt peccatum. Si bonum opus, de quo agitur, eſt de neceſſitate ſalutis, parochus nec poteſt, nec debet ab eo abſtinere ſub prætextu ſcandali; quia peccaret mortaliter abſtinendo, id quod nunquam licet, ex quacumque demum cauſa. Si autem hoc bonum opus non eſt de neceſſitate ſalutis, diſtinguendum eſt: vel enim ſcandalum procedit ex malitia, & tunc nulla ejusdem habenda ratio, ſed continuandum eſt bonum opus: vel procedit ex infirmitate vel ignorantia, & tunc expedire videtur, ut differatur executio boni operis, ſi abſque periculo peccandi differri poſſit, usque dum melius edoceantur infirmi ac ignorantes. Et hæc eſt doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 43. art. 7. C. Item q. 3. de virtutibus art. 1. ad 3. & in 4. diſt. 38. q. 2. art. 4. q. 1. & 2. *Pontas.*

CASUS II. Leodegarius & Damaſus prætendunt ſimul jus legitimum ad quamdam parochiam, ille ex reſignatione ſibi facta, hic ob gradum Doctoratus. Uterque uno eodemque tempore poſſeſſionem capere volunt; verum omnes parochiani Damaſum parochum habere volentes, eum tumultu & violentia ſeſe opponunt Leodegario, indubitatum licet jus habenti. Teneturne Leodegarius in conſcienta cedere jure ſuo, prævidens, ſcandalum alias non fore ceſſaturum?

℟. Leodegarius tenetur cedere juxta S. Baſilium Reg. Brevior. interrogat. 64. dicentem, quod, quando agitur de re prorſus a nobis dependente, eidem teneamur renunciare, ſi eam proſequi non poſſimus ſine ſcandalo proximi. Idem do-

cet S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 4. Accedit, quod si Leodegarius ultima tentaret, & parochiam consequeretur invitis parochianis, non solum non prodesse posset Ecclesiæ, sed potius eidem noceret.

CASUS III. Agobardus parochus ruralis certorum fructuum decimas colligebat vi juris in consuetudine immemorali, aut in titulis legitimis fundati. Omnes illius parochiani vehementer exinde scandalizantur, & avaritiæ insimulatum cum indignatione ac contemptu eum ubique traducunt. Teneturne in conscientia renunciare his decimis, si alias scandalum, quod jam per tres annos durat, tolli nequeat?

℟. Nullo modo Agobardus tenetur cedere jure suo. Ratio est; quia non est dominus bonorum ecclesiasticorum ex sua parochia provenientium, sed solum depositarius; & ut talia tenetur suis successoribus conservare jus illa percipiendi. Imo licet Agobardus verus esset proprietarius horum bonorum; non tamen teneretur renunciare juri suo: nemo enim tenetur bona temporalia, quorum habet dominium, cedere iis, qui scandalizantur ex eo, quod non cedantur; quando tale scandalum provenit ex malitia, ut in casu proposito. Nihilominus si scandalum oriatur ex aliorum ignorantia vel infirmitate, quandoque dimittenda sunt bona temporalia, dum alio modo scandalum tolli non potest; vel saltem admonendi sumentes scandalum de injustitia, quam committunt sumendo scandalum, & sic privando alios bonis suis. Sic quoad omnia sentit D. Thomas 2. 2. q. 43. art. 8. C. Item in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. q. 3 C. & in Epist. ad Rom. c. 14. lect. 3. *Pontas.*

CASUS IV. Arnaldus Episcopus videns, usuram in sua diœcesi consuetudine publica, antiqua & generali invaluisse, durante visitatione in pluribus locis vehementer ex cathedra contra hoc vitium invectus est: verum multi his concionibus scandalum passi ipsius doctrinam hac in materia respiciebant tanquam novitatem, famam illius misere proscindebant, odia alorum concitabant, & impediebant fructum, quem absque injusto hoc scandalo facere potuisset. Potestne ulterius contra hoc vitium detonare, non obstantibus malis eventibus exinde secuturis? Aut num ad evitandum majus malum ab eo cessare debet?

℟. Cum hoc scandalum sit injustum, & pessime fundatum, Episcopus non debet cessare ab inculcanda hac occasione suis diœcesanis veritate. *In quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus*, inquit S. Gregorius Hom.

7. in

7. in Ezech. *Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.* *Pontas.*

CASUS V. Apollonius judex regius in difficili rerum articulo conſtitutus, ubi vi officii ſui animadvertere deberet in delinquentes propter ſeditionem popularem: cum autem id perficere non poſſet, quin grave naſceretur ſcandalum, melius ipſi viſum eſt ab eo abſtinere. Potuitne id facere ſecura conſcientia?

℟. Si Apollonius prævidit, ex inflicta in caſu propoſito delinquentibus pœna majorem orituram fore perturbationem, ſine læſione conſcientiæ ſuæ abſtinere potuit a condemnatione reorum ad promeritam pœnam. *Pœnæ infliguntur*, ait S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 7. ad 1. *ut medicinæ quædam ad cohibenda peccata. Et ideo in tantum habent rationem juſtitiæ, in quantum per eas peccata cohibentur. Si autem per inflictionem pœnarum manifeſtum ſit plura & majora peccata ſequi, tunc pœnarum inflictio non continebitur ſub juſtitia. Pontas.*

CASUS VI. Briandus ordinem Capucinorum ingredi cogitans, hoc ſuum propoſitum exequi non poterat, quin parentes ac propinqui vehementer ſcandalizarentur; quia erat filius unicus, nobili ſtemate natus, ac ditiſſimo proxime ineundo matrimonio deſtinatus. Poteſtne in hoc caſu Religionem ingredi, contempto omnis ſcandali eventu?

℟. Scandalum, de quo hic agitur, conſiderandum eſt tanquam effectus modicæ religionis ac pietatis eorum, qui ſcandalizantur; & conſequenter impedire non debet Briandum, quo minus exequatur propoſitum ſuum; maxime cum hoc ſcandalum ſit tantum paſſivum. S. Thomas in 4. diſt. 38. q. 2. art. 4. q. 2. ad 2. Imo ſi Briandus votum emiſiſſet ingrediendi Religionem, iuxta eundem S. Doctorem teneretur eam ingredi, non obſtante quocumque ſcandalo. *Pontas.*

CASUS VII. Athenobius Mariam uxorem ſuam non ſolum oſculatur, ſed & eam in partibus pudibundis aliquando tangit, Claudio & Antonio modicæ virtutis viris præſentibus, ac etiam illam ipſius uxorem eſſe neſcientibus: unde hi motibus concupiſcentiæ aguntur, iisque aſſenſum præbent. Peccatne lethaliter Athenobius peccato ſcandali, licet non intendat ad peccatum inducere Claudium & Antonium?

℟. Certum eſt, Athenobium peccare graviter, quamvis forte ſine culpâ ſic erga uxorem ſeſe gerere poſſet, ubi nullus adeſſet teſtis, modo id fieret in ordine ad actum conjugalem;

lem; at non poteſt id agere aliquo præſente & attendente ſine peccato ſcandali: non enim ſolum peccatum, verum etiam, quod peccati ſimilitudinem refert, inducit ſcandalum. Hinc graviter peccat Athenobius, dum in caſu propoſito neglecta proximi ſalute ab actu alias licito non abſtinet. S. Thomas 2 2. q. 43. art. 1. ad 4. Et in 4. diſt. 38. q. 2. art. 2. q. 3. *Pontas.*

CASUS VIII. Ludovica puella miræ pulchritudinis ac prudentiæ novit impudicos erga ſe Claudii amores, eumque ſingulis fere diebus accedere eccleſiam, ubi ipſa ſolet miſſam audire, & locum, ubi ea cum quadam conſanguinea ſua deambulare conſuevit. Teneturne Ludovica, etſi nil mali intendat, manere domi ad tollendam Claudio ſcandali cauſam, quem certo ſcit lapſum eſſe in peccatum mortale, quoties ſibi obviam factus fuiſſet?

℞. Non videtur, Ludovicam in caſu propoſito in conſcientia obligari ad intermittendam eccleſiæ frequentationem, aut conſuetam deambulationem; dummodo voluntarie Claudio non præbeat ullam occaſionem ſcandali: ſic enim cenſetur eſſe cauſa illius. *Nihil ad nos*, inquit S. Ambroſius, *ſi petulantibus oculis aut ætas expetitur aut pulchritudo. Ars deſit, nullum eſt crimen decoris; illecebra faceſſat, inoffenſa eſt ſpecies & formæ & gratiæ. Pontas*

CASUS IX. Infallibiliter maximum evenire debet ſcandalum publicum ex actione quadam Titii toti jam viciniæ nota. Cajus hoc ſcandalum facile impedire poſſet Titium excuſando per mendacium officioſum. Poteſtne ſic mentiri, ut tanto malo, & multis peccatis mortalibus inde conſecuturis occurratur?

℞. Tale mendacium foret peccaminoſum: & conſequenter nunquam permiſſum. Cajus igitur non poteſt per ejuſmodi mendacium impedire ſcandalum, de quo agitur, & ſequelas exinde orituras. Regula illa, *ex duobus malis minus eſt eligendum ad cavendum majus*, unice locum habet in caſu, ubi quis in inevitabili agendi neceſſitate conſtituitur, in qua Cajus non eſt: poteſt enim ſilere, & nemo ipſum cogit ad mentiendum. *Pontas.*

Vide *Mendacium.*

CASUS X. Adelarus natione Sinenſis, Regis Sinenſis domeſticus vi muneris ſui ordinarie ſublevat hunc Principem coram ſuis idolis proſtratum, & in aliis occaſionibus ad Religionem indifferentibus. Poteſtne poſtmodum converſus ad fidem Catholicam abſque peccato idem obire ſervitium?

℞. Hec

℞. Hoc ministerium Adelari non est condemnandum tanquam actio vere peccaminosa in casu proposito; dummodo non præbeat occasionem scandali Christianis Senensibus, aut aliis videntibus atque scientibus. Ratio responsionis petitur ex S. Scriptura: Propheta enim Elisæus non imputabat Naamano ad peccatum, quod se inclinare deberet ad sustentandum Regem coram idolo Remnon se prosternentem. Nihilominus omnem a ministerio Adelari occasionem scandali abesse necesse est; ex eo enim actio ipsius redderetur peccaminosa. *Pontas.*

CASUS XI. Sarinus sacerdos in mari ab Algerianus captus, ac mancipatui addictus cogebatur a barbaris tempore quadragesimæ manducare carnes sale conditas, unice in derisionem ac contemptum Religionis Catholicæ oblatas, ni fame perire mallet; quas cum primis diebus manducasset, quidam fideles vehementer fuerunt scandalizati. Debuitne in hoc casu Sarinus absolute his carnibus abstinere, licet nec panem manducandum haberet, & potius fame perire, quam manducare ejusmodi carnes?

℞. Solum exemplum Eleazari sufficit ad convincendum quemlibet Christianum de obligatione in simili casu potius sese morti exponendi, quam ut causam præbeat talis scandali. Et hinc Sarinus tenebatur imitari exemplum hujus Judæi. *Pontas.*

NOTA. Est ingens discrimen inter casum Sarini & Eleazari. Sarinus potest & tenetur dicere; Ecclesiam non obligare ad abstinendum a carnibus in casu necessitatis; ac proin tenebatur potius comedere carnes, quam mori.

CASUS XII. Festus clericus commoratur cum quadam vidua consanguinea in domo procul dissita a sacello, in quo Capellani munus obit; id quod multis præbet occasionem male suspicandi de eo. Potestne tuta conscientia diutius retinere idem domicilium?

℞. Tenetur relinquere domum illam, & alibi sibi quærere domicilium. Imo ipsa vidua tenetur dimittere Festum e domo sua, ut sic omnis tollatur occasio scandali. *De Lamet.*

CASUS XIII. Viduus quidam habuit prolem ex ancilla sua, nec tamen eam vult ejicere domo sua sub prætextu, quod jam per decem annos non amplius peccaverit cum ea. Estne deferendus ad officialem, aut ad judicem laicum, ut sic compellatur ejicere ancillam?

℟. Neutrum est consulendum : Episcopus tamen, & parochus constanter eum hortari debent, ut tollat scandalum. *De Lamet.*

CASUS XIV. Canonicus quidam secum in domo retinet consanguineam vitæ parum ædificatoriæ; id quod toti urbi cedit in scandalum. Canonicus iste in morbum incidit, & petit sibi administrari Sacramenta. Num ea ipsi conferenda sunt?

℟. Nec absolutionem, nec S. Communionem potest recipere, nisi prius domo expelli jusserit hanc consanguineam. Si Capitulum ipsius habet jurisdictionem etiam pro foro interno in membra Capituli, nullus parochus aut vicarius potest valide confessionem ipsius excipere, nec debet illi S. Communionem præbere sine licentia eorum, qui exercent jurisdictionem Capituli. Imo Capitulum potest compellere hunc Canonicum ad ejiciendam consanguineam suam ratione scandali, quam præbet. Insuper Capitulum habet jus inquirendi contra talem Canonicum, eumque per sententiam suspendendi ab ordinibus suis, & cuilibet confessario inhibendi, ne ullum ipsi Sacramentum administraret, antequam obedientiam præstet. *De Lamet.*

Nota. De hoc jure Capitulorum in Germania non constat. Si Canonicus non confiteatur pravam consuetudinem peccandi cum consanguinea, non potest a confessario obligari ad eam statim ejiciendam, ne populus confirmetur in erronea persuasione. Multo minus potest ipsi a parocho denegari communio, nisi sit notorius impœnitens concubinarius, vel inobediens.

SCHOLASTICUS.

1. *Scholasticus* dicitur ille inter Canonicos, qui Doctor Theologiæ ad annunciandum verbum Dei & prælegendam aliis Canonicis in ea nondum versatis Theologiam destinatus est.

2. Prædicatio Verbi divini primarium olim ac ordinarium Episcoporum officium erat, ita ut cathedram conscendere presbytero nunquam liceret in præsentia ac sine permissione Episcopi. Cum autem mirabiliter ac immensum accresceret numerus fidelium, & exinde necessario augerentur labores Episcoporum, nec aliæ legitimæ causæ deficerent, ministerium prædicationis Verbi divini presbyteris deferre compellebantur. Imo successu temporis visum est magis conducere ad bonum fidelium, si in ecclesiis episcopalibus instituerentur

rentur ordinarii concionatores, quibus & speciales redditus ad congruam sustentationem fuerunt assignati.

3. Præbendæ destinatæ Scholasticis subjacent juribus graduatorum. In Scholastico non solum requiritur scientia Theologiæ, maxime moralis, sed etiam aliæ qualitates ad hoc, ut cum fructu publice annunciet Verbum Dei; omnem insuper respectum ad interesse proprium a præcellenti adeo ac sancto ministerio abesse oportet. Doctor juris canonici non manuteneretur in possessione hujus officii, si ad id obeundum Doctor Theologiæ, aut etiam Licentiatus se offerret.

CASUS I. Uranius Episcopus cum in sua diœcesi non reperiret idoneum Doctorem Theologiæ pro officio Scholastici ecclesiæ suæ cathedralis, assumpsit Doctorem ex jure canonico, virum doctum ac pium. An id licuit?

℞. Non videtur in hisce circumstantiis Uranius egisse contra leges ac constitutiones Ecclesiæ. Fagnanus in Cap. *Quia non nullis*. L. 5. Tit. 4. ait: *Si non invenitur Theologus facta diligentia non solum in loco, sed etiam extra; poterit non solum Canonista assignari, sed cuilibet.* Verum ejusmodi casus hoc tempore non nihil videtur metaphysicus; cum multitudo Doctorum ac Licentiatorum in Theologia delectum Scholastici pro diœcesi Episcopo reddat facillimum. *Pontas.*

CASUS II. Fulgentius Scholasticus in ecclesia Metropolitana quotannis per quinque circiter menses abest a sua ecclesia, se non esse obligatum ratus ad continuam residentiam ratione muneris sui. Estne securus in conscientia, maxime si absit tempore Adventus & Quadragesimæ, ubi solent vocari Concionatores exteri?

℞. Scholastici æque obligantur ad residentiam, ac alii Canonici. Hinc Fulgentius non est securus in conscientia. *Pontas.*

CASUS III. Felicianus Scholasticus ordinarie negligit dimidium divini officii sub prætextu, quod ab eo eximatur ratione beneficii sui, vi cujus obligaretur ad concionandum. Estne tutus in conscientia?

℞. Verum est, quod Scholastici officium sit concionari & docere, ita, ut ex hoc principio regulanda sit assistentia in choro, quantum nimirum habita ratione studiorum id fieri possit. Si itaque Felicianus tantum studiorum causa abest a choro, tutus est in conscientia. *Pontas.*

CASUS IV. Ferdinandus Scholasticus, postquam insumpserat ut alii Canonici permissum tempus absentiæ, ab Episcopo per duos menses fuit applicatus ad missionem, quo tem-

℟. Tenetur; ſed, dum ſtudiis occupatur ad digne obeundum munus ſuum, diſpenſatur a choro. Poteſt inſuper frui permiſſo tempore vacationum ſimul & ininterrupta vice, vel diſtinctis vicibus. *De Lamet.*

CASUS VIII. Scholaſticus quidam fuit proviſus a Rege, etſi non habuerit qualitates requiſitas.

℟. Cum Regem deceperit, dicendo ſe eſſe Doctorem, etſi tantum fuerit Baccalaureus, beneficium ipſius juri devolutionis poteſt ſubiici: ut enim legitime Scholaſticus poſſideat Præbendam ſuam, neceſſe eſt, ut per decem annos ſtudiis vacaverit in univerſitate quadam privilegiata. Scholaſticus lectiones poteſt inſtituere in domo ſua, ſi locus ſpecialis ad id non eſt aſſignatus a Capitulo. Epiſcopus non habet immediatum jus circa lectiones Scholaſtici, ſed Capitulum. *De Lamet.*

CASUS IX. Quænam ſunt obligationes Scholaſtici?

℞. In Gallia juxta leges tam eccleſiaſticas quam politicas tenetur concionari ſingulis diebus dominicis & feſtis ſolemnioribus, ac unam vel duas per hebdomadam lectiones inſtituere. Epiſcopus & Capitulum poſſunt diminuere numerum concionum & lectionum, quando populus non eſt frequens, & pauci tantum Clerici in eccleſia, ubi reſidet Scholaſticus. *Promageau.*

Nota. In Germania Scholaſtici præſunt quidem adhuc ſcholis cathedralibus; docere autem aut concionari ab eorum officio jam vix non penitus ſemotum videtur.

CASUS X. In quadam eccleſia Scholaſticus non concionatur. Poteſtne Epiſcopus ipſi injungere, ut ſingulis diebus dominicis concionem habeat?

℟. Poteſt non ſolum id ipſi injungere, ſed etiam determinare horam concionis, quam pro Clero & populo magis opportunam judicaverit. Si Scholaſticus ipſe conciones non habeat, tenetur eas per alium habendas curare, etiam tempore abſentiæ ſuæ. *De Lamet.*

Vide *Canonicus. Diſtributiones quotidianæ.*

SCRUPULUS.

Scrupulus eſt perplexitas ac inquietudo animi abſque ullo fundamento rationabili. Ad formandum ſcrupulum tria concurrunt; nempe *defectus fundamenti ſolidi*, quod ab eo diſtingui non poteſt, quod eſt legitimum; *male fundata formido,*

mido, ne quis peccet, aut desit obligationi suæ; & *agitatio, perturbatio*, ac *stimulus conscientiæ*. Scrupulus potest præcedere, vel subsequi vel etiam comitari actionem, circa quam versatur. Morbus hic animi est molestissimus, ad eumque evitandum vix ulla sollicitudo superflua est.

CASUS I. Basilina fœmina pientissima a tribus mensibus sæpissime turbatur ac exagitatur pravis cogitationibus, maxime contra fidem ac Religionem. Estne rea peccati, quando horribiles hujus generis cogitationes ipsius phantasiam obsident? An prudenter abstinet a sacra Communione propter internam suam persuasionem graviter peccandi, si accederet sine prævia confessione? Potestne S. Communionem absque peccato omittere, licet eam demandaverit confessarius?

℟. Antequam respondeatur, sciendum est, quid sit *opinio, dubium*, & *scrupulus*, & in quonam differant. Opinio est acceptio unius partis cum formidine alterius; ita tamen, ut hæc formido tantum oriatur ex debilitate rationis illius partis, de qua quis opinatur. Dubium est cognitio duarum rerum contrariarum, neutram earum judicando magis veram. Scrupulus in eo sensu, quo sumunt Theologi, nimirum pro anxietate conscientiæ, est dubium habens annexam formidinem imprudentem, ac ex levibus conjecturis, ac incertis indiciis provenientem, quæ agitat animum, ingeritque apprehensionem peccati, ubi non est. Scrupuli ex tribus diversis causis possunt provenire. *Prima* causa est homo ipse, qui, quin cogitet, illis locum præbet suo temperamento, aut constitutione. *Secunda* causa quandoque Deus est; & *tertia* subinde etiam dæmon. Dixi, *primam* causam scrupulorum quandoque esse *ipsum hominem*, scilicet per temperamentum suum melancholicum, & complexionem frigidam; quæ complexio naturaliter disponit ad timorem, ac dubietatem ob malam dispositionem cerebri. Aliquando etiam scrupulositas oritur ex modo vivendi inordinato, ac ex regiminis corporalis negligentia. Et demum potest hoc malum alicui evenire 1. quando quis parum doctus, & multum timidus incumbit lectioni librorum certas materias tractantium, quæ aut ipsius captum excedunt, aut attonitum reddunt. 2. Quando quis in fervore inordinatæ devotionis proprio motu, & absque consilio assumit exercitia spiritualia, vel opera pœnitentiæ, sine quibus suam salutem securam non fore sibi imaginatur. 3. Quando quis cum nimia speculatione aut cruda nimium imaginatione impendit sese considerationi rerum sacrarum sub imaginibus corporalibus exhibitarum. 4. Quan-

Quando quis nimium occupatur in examinanda conscientia absque necessitate, & frequenter etiam contra consilium confessarii. *Secunda* scrupulorum causa quandoque *Deus* est, qui certas quasdam animas electas vult humiliare, ac per ejusmodi anxietates animi ad majorem perfectionem adducere, tepidasque non nunquam excitare ad fervorem, ac amorem sibi debitum. *Tertia* denique scrupulorum causa sæpissime *dæmon* est, qui semper omnes nervos intendit, ut timoratos ad peccatum inducat, vel saltem conscientiæ pacem disturbet, & bona eorum opera reddat imperfecta, aut denique, ut ad suæ salutis desperationem eos adigat. Hinc sapienti directori conscientiarum diligenter examinanda est causa scrupulositatis in pœnitente: & ad hoc necesse est 1. ut cognoscat temperamentum, genium, ac inclinationes naturales pœnitentis. 2. Qualis fuerit præteritæ vitæ ratio ac conditio, an ordinata, vel inordinata? His prænotatis respondetur ad casum propositum, quod nimirum Basilina non sit rea horribilium cogitationum, quibus invita suam imaginationem obsessam cernit; dummodo eas detestetur. Imprudenter autem agit, dum propria authoritate a sacra Communione abstinet: exponendæ potius essent anxietates confessario, illique hoc in articulo perfecta præstanda foret obedientia. Denique peccat Basilina contra obedientiam, & præsumptionis se ream constituit, dum S. Communione se privat contra præscriptum sui directoris. *Pontas.*

CASUS II. Synesius vir pius, sed excessive scrupulosus, valde dubitat, utrum in confessione ante duos annos exposuerit aliquod peccatum, quod credit esse mortale. Teneturne absolute ad illud confitendum, quamprimum Sacramentum pœnitentiæ accesserit; ita, ut id non faciendo novum peccatum mortale committeret, suamque confessionem nullam redderet?

R. Si Synesius omnem possibilem diligentiam adhibuit in sua, de qua agitur, confessione, credere debet, se jam fuisse confessum illud peccatum, quod ipsi movet scrupulum; consequenter non tenetur illud de novo declarare in proxima confessione. Nec obici potest, Synesium sic agere contra suam conscientiam: nam, ut Reginaldus prax. fori pœnit. L. 13. c. 11. n. 107. ait: *Conscientia est, quando judicium de agendo aut non agendo firmatum est in unam partem potius quam in alteram oppositam.* Sed *scrupulus* juxta Navarrum in Can. *Si quis autem.* de pœnit. dist. 7. n. 17. *non est judicium, sed potius apparentia & argumentum contra judicium. Pontas.*

CASUS III. Haimonius sacerdos plurimæ virtutis comperit, se fore ab Episcopo constituendum confessarium in quadam communitate monialium, ubi novit, plures earum longo jam tempore gravissimis torqueri scrupulis. Hinc veritus, ne ad hoc munus sit idoneus, ante illius acceptationem quærit, quibus qualitatibus & talentis instructus esse debeat confessarius in ordine ad ejusmodi personas; & quænam talibus præscribenda sint remedia?

℟. Censeo, primam qualitatem ejusmodi confessarii esse, ut teneram erga tales personas foveat charitatem, ita, ut illas semper tractet summa cum patientia ac lenitate, juxta S. Antoninum 1. part. Sum. tom. 3. c. 10. §. 10. Quod attinet remedia illis applicanda; *primum* est, idque tutissimum ac omnium excellentissimum, ut confessarius talibus personis persuadeat absolutam necessitatem perfectæ obedientiæ in omnibus, quæ certe & manifeste divinæ legi non repugnant. *Secundum* est, ut pœnitentem eo adducat, ut ipse credat, se esse scrupulosum. Poterit autem talis pœnitens ex hisce de sua scrupulositate convinci, si nimirum scrupulositatem afferat confessarius, quem ipse pœnitens pro docto habet; si infestatur a cogitationibus variis, quas tamen abhorret; si facile dubitat, se peccasse in rebus levioribus, ubi homines pii nullum inveniunt peccatum; si consulto viro docto ac experto, ut antea sustinet inquietudinem suam; si pergit confiteri simplices imperfectiones aut leviuscula peccata tanquam peccata mortalia; si alii sanæ rationis ac boni animi homines nullam prorsus sentiunt difficultatem in dubiis, quæ talis sibi format; si, dum viveret in pietate & desiderio perfectionis, pro indifferentibus habuit, quæ nunc timet totidem esse peccata. *Tertium* remedium est magna in Deum confidentia. *Quartum*, ut animum non statim abjiciat ob relapsum in peccata tantum venialia. *Quintum* contemptus scrupulorum, & maxime pravarum cogitationum, ac sollicita abjectio omnium idearum ex animo, ex quibus nasci possunt ejusmodi cogitationes. *Sextum* fuga familiaritatis cum scrupulosis. *Septimum* frequens Communio etiam sine prævia confessione, dummodo id fiat cum consilio confessarii. *Octavum* denique est frequens lectio sacræ Scripturæ. *Pontas*.

CASUS IV. Acharius sacerdos piissimus, sed scrupulis maxime obnoxius confitetur Ferdinando, seque de plurimis accusat, quæ a se peccaminose patrata dubitabat, & asseverare non poterat, utrum ante actionem conscientiæ dictamen sibi formaverit; modo male se egisse sibi persuadebat, modo

modo ingruentem cogitationem se excussisse putabat. Quid faciendum confessario? & quomodo tractandus est Acharius?

℟. Ingens fiat discrimen rationem inter & imaginationem necesse est: nam potest contingere, ut ratio certa sit, nihil timendum esse; nihilominus tamen imaginatio turbata sit ac formidolosa. Hoc ergo discrimen Ferdinandus faciat intuitu Acharii. *Pontas.*

CASUS V. Lomerius presbyter valde scrupulosas concepto deponendæ confessionis generalis proposito sæpe interrumpit recitationem Breviarii, & peccata tunc in memoriam recurrentia scripto annotat, doctus ab experientia, quod si id non faceret, postea haud amplius peccatorum posset meminisse. An in hoc dignus est reprehensione; præsertim si sibi persuadeat, negligentiam illa scribendi, esse voluntatem obliviscendi?

℟. Observandum est, quod omnes scrupulosi generalem confessionem tutissimum scrupulis suis remedium esse existiment: qua in re insigniter decipiuntur; quia experientia docet, deposita vix confessione eosdem redire scrupulos, anxietatemque eorum non solum non diminui, sed & augeri. Hoc supposito probari non potest, quod Lomerius aut quivis alius ad recitationem divini Officii obligatus illam interrumpat ad scribenda peccata tunc occurrentia; imo censeo, id sine peccato fieri non posse. Falsum insuper est, negligentiam in his circumstantiis peccatum annotandi esse voluntatem obliterandi. Denique si toleraretur ejusmodi libertas sub recitatione Breviarii peccata annotandi, janua panderetur voluntariis distractionibus. *Pontas.*

CASUS VI. Isamberga multæ virtutis fœmina singulis fere octiduis frequentat Sacramenta; sed, cum esset valde scrupulosa, vix unquam confessiones peragit, quin non secunda aut etiam tertia vice redeat ad confessarium, de quodam peccato omisso sese accusatura, aut clarius explicatura circumstantias peccatorum, quorum absolutionem jam perceperat. Peccatne confessarius contra charitatem secundum illi reditum prohibens, & redeuntem non audiens, maxime diebus, ubi illi accedenda est S. Communio?

℟. Confessarius ante omnia, si id nondum factum sit, debet 1. eam edocere differentiam inter peccatum mortale & veniale, ut in hoc nequeat suam prætendere ignorantiam. 2. Non dari obligationem sese singillatim accusandi de peccatis venialibus, ut datur de peccatis mortalibus, aut iis, quæ

 credun-

creduntur esse mortalia. 3. Non dari obligationem exponendi circumstantias peccati mortalis, quæ non sunt aggravantes. 4. Non per solam peccatorum suorum specificationem impetrari veniam & absolutionem, sed etiam per veram contritionem & sincerum propositum non amplius relabendi. 5. Denique debet illam eo inducere, ut peracta sincera confessione, & præmisso exacto conscientiæ examine, ex pœnitentiæ tribunali egressa, unice occupetur in salutaribus monitis a confessario obtentis, ac in debita præparatione ad digne obeundam S Communionem. Si his non obstantibus pergat redire post primam peractam confessionem, absolute non est audienda. *Pontas.*

Nota. Scrupulosis etiam inculcanda est illa generalis regula, quod ne quidem detur obligatio confitendi circumstantias speciem mutantes, si in illa alia specie non superaddunt malitiam gravem. Monendi quoque sunt, peccata per oblivionem non voluntariam omissa jam fuisse per absolutionem remissa indirecte, ut proin non sit periculum sacrilegæ communionis.

CASUS VII. Lucia puella tantis agitatur scrupulis ratione confessionum præteritarum, ac etiam ultimæ generalis, quam summa cum diligentia, omnique meliori, qua potuit, dispositione peregit, ut ultra sex menses nulla conscientiæ quiete perfruatur, nec eam recuperandam speret, nisi novam deponat confessionem generalem; id quod jam per tres menses instanter petit a confessario suo. Debetne confessarius ex charitate id ipsi indulgere?

℟. Pontasium quinquaginta octo annorum experientia docuit, confessarium Luciæ debere esse inexorabilem in deneganda licentia novam confessionem generalem obeundi; cum certissimum sit, hac ratione non eximendos animo Luciæ scrupulos, sed potius augendos. Optimum, ne dicam unicum, remedium in hoc casu est, proprio judicio renunciare, & perfecte obedire confessario suo. Observandum tamen est, quod, si Lucia habuisset consuetudinem sæpe committendi peccata mortalia, in eaque perseverasset post ultimam confessionem generalem, in hoc casu videatur illi a confessario concedi posse licentia novam repetendi confessionem in supplementum præcedentis, si judicaret, illam ex defectu boni propositi fortasse fuisse nullam; sed id concedi non deberet, antequam correctionem præ se tulisset, & sinceram facere pœnitentiam saltem inchoasset. *Pontas.*

CASUS VIII. Demetriades monialis, cum in libro quodam legisset, qua attentione ac devotione recitandum sit divinum Officium, ad tantam redigebatur scrupulositatem, ut sæpis-

sæpissime eadem verba, eosdem versus, & quandoque easdem horas repeteret, se requisitam in recitatione attentionem non habuisse rata; id, quod ipsam non raro impedit a præstandis cæteris Religionis exercitiis.

Armandus presbyter eadem torquetur pœna, & sæpe quinque aut sex horas insumit in recitatione Breviarii, identidem repetendo verba, versiculos, ac integras frequenter horas; non obstante omni confessarii sui dehortatione. Hac carnificina detentus non solum aliis suis deest obligationibus, sed etiam sæpe nocturna quiete destituitur. An tam iste quam illa per dispensationem eximendi sunt ab obligatione recitandi Breviarium?

℟. Quoad primum casum Superiorissa absolute moniali prohibere debet omnem repetitionem, utut tacitissimam, dum Breviarium suum cum choro recitat. Quod si illa chorum sequi prorsus nequeat, Superiorissa permittere potest, ut Breviarium suum recitet privatim prohibita tamen constanter omni repetitione. Si etiam id sperato careat successu, Superiorissa cum consilio & consensu Superioris omnino eam eximere potest ab obligatione recitandi divinum Officium.

Quod attinet Armandum, si alia remedia adhibita nihil proficiant, censeo, non abs re fore, in Curia Romana petere dispensationem ab obligatione recitandi Breviarium, statu ipsius a confessario ejusdem fideliter exposito. *Pontas.*

Nota. Circa ejusmodi objecta, circa quæ concurrit declaratio deobligatoria cum dispensatione, possunt dispensare Episcopi potestate ordinaria eo ipso, quod reservatio sit dubia, aut omnino nulla, & Superiores regularium privilegiati.

CASUS IX. Non nemo ex mero studio complacendi patri suo contra propriam inclinationem ingressus est communitatem quamdam, ubi tantum emittuntur vota simplicia. Nihilominus religiose admodum ibi vivit, & vocationem suam ratam habens, omnes obligationes suas exacte adimplet. Estne, cur eapropter scrupulis angatur?

℟. Non est, cur ullum sibi formet scrupulum: Deus enim, ut ad suum nos trahat servitium, sæpe utitur motivis humanis, quæ per charitatem postmodum depurantur. *Fromageau.*

Nota. Quod si etiam propterea peccasset, aut professionem emisisset nullam, ratihabitione, quamvis occulta, sanantur præterita; quia professio externa habitualiter ac moraliter perseverat.

SECRETARIUS.

1. Nomen *Secretarii* tribuitur variis variarum conditionum personis. Sic prætermissis Secretariis Principum ac Tribunalium dicuntur etiam Secretarii scribæ consiliariorum aut aliorum inferioris conditionis Officialium ; & horum officium est causarum in judicio discutiendarum aut discussarum summarium conficere.

2. Episcopi quoque quosdam suorum Officialium Secretarios vocant, qui vel Clerici sunt vel laici; hisce ex officio incumbit acta publica jurisdictionem episcopalem concernentia conficere, expedire, & sigillo Episcopi munitis subscribere. De his posterioribus hic solum agetur, ac discutietur, quale salarium ipsis conformiter ad Concilium Tridentinum persolvi debeat, aut vi consuetudinis.

CASUS I. Dominicus Secretarius cujusdam Episcopi valde magnum exigit pretium ac salarium pro expeditione provisionum Beneficialium, litterarum dimissionalium & aliarum ejusmodi, sicut etiam pro jure sigilli episcopalis, quod sibi locatum tenet. Peccatne? Num peccat Episcopus quoque id sciens, injustarumque Secretarii exactionum se reum facit?

R. Ambo coram Deo sunt valde culpabiles. Concilium Tridentinum Sess. 21. c. 1. de reform. prohibet quidquam accipere pro ejusmodi expeditionibus, etiamsi sponte oblatum. In iis tamen locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, Notariis, quibus nullum salarium est constitutum, decimam duntaxat aurei partem Concilium permittit pro officio exercendo, ita tamen, ut ex Notarii commodis nec directe nec indirecte Episcopis aliquod emolumentum proveniat. Patet igitur, non solum exactiones Dominici esse condemnandas, sed & interessatam conniventiam Episcopi. *Pontas.*

Nota. Decima pars aurei tempore Concilii Tridentini valore suo extrinseco ferme idem valuit, quod nunc valet dimidium aurei. Id patet ex fundationibus missarum & ex pretio mercium. Imo sæculo decimo quinto decima pars aurei idem valuit, quod nunc valet integer aureus.

CASUS II. Cuidam Episcopo particulare provenit emolumentum a suo Secretario, ac sigilli impressione. An juste?

R. Epi-

℟. Episcopus nec a suo Secretario nec ab impressione sigilli quidquam emolumenti licite percipere potest : Secretarius Episcopi modicum quidquam accipere potest ob laborem, quam in scribendis litteris, ac imprimendo sigillo habet. Interim tamen Episcopo non licet elocare officium Secretarii, aut ipsius salarium ; quod utique moderatum esse decet. *De Lamet.*

CASUS III. Secretarius cujusdam Episcopi plus exigit pro *Visa* & aliarum litterarum expeditione, quam per Concilium Tridentinum licet. Justene ?

℟. Absque Simonia non potest plus exigere quam dictum Concilium permittit. Episcopus suo Secretario salarium ex propriis suis redditibus persolvere debet, si jura secretariatus non sufficiant ad sustentationem Secretarii. *Fromageau.*

CASUS IV. Si vero Secretarius Episcopi plus exigat, aut accipiat, quam Concilium Tridentinum permittet, quia talis consuetudo in tota viget diœcesi ? An ob hanc rationem securus est in conscientia ?

℟. Hæc ratio illum non constituit securum in conscientia ; imo ipsi deneganda est a confessario absolutio, si admonitus talem consuetudinem sequi cogitet deinceps quoque. *Fromageau.*

SECRETUM.

Nomine *Secreti* hic venit id, quod regulariter loquendo celari, ac occultum servari debet, quin vel ulli hominum ejusdem notitia communicetur. Obligatio servandi secretum est juris naturalis ; hinc inviolabiliter id servandum est, ut docet S. Thomas. Nihilominus dantur duo casus, in quibus exceptioni locus. 1. Quando quis scit sub ratione secreti, a quopiam crimen agitari contra Principem, aut bonum publicum, aut etiam ad totalem perniciem cujusdam hominis privati. 2. Dum agitur de impedimento dirimente matrimonii, cujus quis habet notitiam per solam viam secreti. Confessio autem Sacramentalis nullam omnino admittit exceptionem ; nec ulius reperitur casus, quo unquam liceat revelare secretum confessionis.

CASUS I. Geminius scit, a Mœvio crimen aliquod secreto suisse perpetratum, ex quo tamen nec bonum publicum, nec privati cujusdam quidpiam patitur. Ipsius Superior vel judex rem subodoratus, sed tamen dubius adhuc, potestne

in conscientia extra juris ordinem, omissisque consuetis formalitatibus illi præcipere secreti revelationem? & teneturne Geminius mandatis obtemperare?

℟. Superior iste aut judex nequit sine peccato præcipere revelationem delicti; nec si id præciperet, Geminius teneretur obedire. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. q. 1. ad 5. Addit tamen S. Doctor, quod, si judex præciperet in judicio servato ordine juris, subditus teneretur obedire & manifestare veritatem; *quia publicans peccatum occultum vitat majus malum*, *scilicet disciplinæ juris enervationem.*

NOTA. Etiam extrajudicialiter subditus tenetur pandere secretum, si crimen sit adeo tenax & habituatum aut contagiosum, ut raro habeat constantem emendationem, ac proin relinquat periculum probabile boni publici vel animarum.

CASUS II. Corsinianus cælebs ætatis 35. annorum, opulentissimus, nulloque oneratus debito passivo, tribus jam annis turpiter abutebatur Leodegunda ancilla sua, ex eaque prolem susceperat, quin flagitiosa vitæ licentia publice innotuerit, licet multi sinistre suspicarentur. Nonnullis abhinc annis Leodegunda ab eo recessit, & satis opulentum contraxit matrimonium cum Claudio, usque nunc eorum, quæ contigerant, ignaro, eique per sex annos plures peperit liberos. Corsinianus morti proximus deposuit in manus parochi sui crumenam obsignatam, ac continentem 40. aureos, quorum quisque 15. florenos valebat; idque in præsentia Petri, Joannis, & Jacobi amicorum suorum, quos secreti fide obligavit, quam ii spoponderunt etiam: dein rogavit parochum, ut de hac pecuniæ summa disponeret juxta intentionem suam in confessione declaratam. Defuncto Corsiniano hæredes hanc crumenam duobus ante mortem diebus conspicati, & non ignari, multos ejusmodi aureos ibi esse repositos, undique disquirebant; nec crumena autem, nec aureis repertis suspicioni involvebant Guillielmum, bonum defuncti amicum, & ultimis morbi diebus ad illum sæpius invisentem, eumque de commisso pecuniæ furto insimulabant; obtinuerunt etiam, & publicari fecerunt monitorium; duo quoque falsi testes deposuerunt contra Guillielmum, ita, ut hic in periculo versaretur condemnationis, ac amissionis bonorum, honoris, ac reputationis. Ex altera parte spargitur rumor inter plures loci incolas, hanc summam Leodegundæ fuisse destinatam, illique a parocho traditam: cujus rei certitudo tamen haberi non potuit; quia Petrus, Joannes, & Jaco-

bus

bus huic traditioni non interfuerunt, & parochus interea e vita discessit, nulla facta hujus traditionis declaratione. Hinc quæritur, an Petrus, Joannes, & Jacobus crumenæ depositæ testes teneantur in conscientia servare promissam Corsiniano fidem, quantumcumque etiam damnum possit accidere Guillielmo? An tenentur declarare veritatem cum periculo, ne damnum recidat in Leodegundam, de qua fortis jam est suspicio acceptæ 40. aureorum summæ, sicque ipsa publice, & maxime apud maritum suum diffametur, ac utraque pars injuste condemnetur ad restitutionem? Aut denique num tenentur fateri rem, non obstante dispendio, quod hæredibus Corsiniani, qui possent actionem instituere ad repetendam crumenam & quadraginta aureos, vel ad declarandum usum illorum a parocho factum, & ad dicendum, an sciant, depositum a parocho fuisse traditum Leodegundæ, infamiam incursuræ ob malam famam de præterita suæ vitæ libidine circumvolantem?

℟. Petus, Joannes, & Jacobus non possunt in hoc casu servare promissum Corsiniano secretum, quin Guillielmus injuste patiatur ingens detrimentum in bonis fortunæ & famæ. Hinc ipsorum silentium foret peccaminosum, & graviter delinquerent contra justitiam & charitatem, expositum relinquendo tantis innocentem calumniis, cujus famam suo plene salvare possunt testimonio, declarando, crumenam & aurum inclusum a Corsiniano in manus parochi fuisse depositum cum mandato de illo disponendi juxta intentionem in confessione indicatam. Quantum ad id, quod spectat Leodegundam, dicendum ipsis, se nihil habere addendum suæ declarationi in favorem Guillielmi factæ, nisi quod semper parochum habuerint pro viro honesto ac optimo; hinc sibi plene persuasum esse, eum suo non defuisse officio in exequenda Corsiniani voluntate. Si judex ulterius interroget illos super eo, quod innotuit ex sparso rumore, Corsinianum nimirum hos aureos apud parochum deposuisse, Leodegundæ numerandos; respondendum ipsis, quod hanc pecuniam eidem numerari non viderint; quod parochus non dixerit, quem in finem pecunia expendenda, &, cum tanquam defuncti confessarius hoc depositum receperit, etiam id dicere nec debuerit, nec potuerit; rumorem autem levi negotio malitiose ac temerarie contra Leodegundam spargi potuisse: & sic hi tres testes & suæ satisfacient conscientiæ, nec ullam Leodegundæ inferent injuriam. Denique nihil sinistri timendum hæredibus defuncti parochi; satisfacient enim respondendo, se nullam rei quæsitæ habere notitiam, atque si paro-

chus recepiffet a defuncto Corfiniano depofitum, fe exiftimare, quod, cum fit res confeffionis, non defuerit fuæ obligationi illius intentionem exequendi; hujus autem probationem fibi non incumbere. *Pontas.*

CASUS III. Edmundus fub fide fecreti cognovit, a Diodoro ignem horreo fui vicini fore injiciendum. Teneturne promiffum fervare fecretum? vel poteftne absque peccato indicare iis, qui hoc incendium poffunt impedire?

℟. Tenetur in cafu propofito revelare fecretum, quod tendit ad ruinam proximi. *Pontas.*

CASUS IV. Gentianus juratus Gabrielis inimicus cum primo Martii exteram petere regionem ftatuiffet, dixit fub fecreto ad Paulum amicum fuum, fe noctu ante abitum Gabrieli fore ablaturum fummam ducentorum duplionum aureorum, quod in cubiculo Gabrielis afervari noviffet. Poteftne Paulus monere Gabrielem de furto committendo, ac nominare furem?

℟. Poteft, imo debet Gabrielem monere de damno inferendo; fed nequit fine gravi peccato nominare furem: fufficit enim ad præcavendum furtum, fcire, illud fore committendum; quin opus fit fcire authorem furti, cujus famæ, quamdiu poteft, debet confuli. *Pontas.*

CASUS V. Pafchalis Renato declaravit, fub fide fecreti, a fe perendie feditionem in plebe civitatis effe excitandam contra miniftros & commiffarios regiorum tributorum exactioni præpofitos; cumque propofitum fuum executioni dediffet, carceri mancipatus fuit. Inftituto contra ipfum proceffu plures in judicium vocati funt, ut de veritate facti teftarentur, inter quos erat etiam Renatus. Teneturne hic in confcientia manifeftare judici, quod ex Renato perceperat fub promiffa fervandi fecreti fide?

℟. Tenetur in confcientia id declarare judici juridice interroganti: hujusmodi enim crimen non folum damnofiffimum eft multis perfonis privatis, fed etiam Publico, & injuriofum authoritati Principis. S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. *Pontas.*

CASUS VI. Mutius offert fe ad manifeftandum Cæfario fecretum fummi momenti, ea tamen conditione, ut illud fervet, ac fi in confeffione cognoviffet. Cæfario fidem fuam promittenti declarat fecretum Mutius. Teneturne Cæfarius eadem fidelitate illud fervare, ac fi per folam confeffionem illud comperiffet?

℟. Non

℟. Non de facili recipiendum est aliquod secretum sub hac conditione. Cæsarius tamen tenetur illud servare eadem fidelitate, exceptis casibus supra memoratis, in quibus hujusmodi secretum revelari potest. S. Thomas in 4. dist. 21. q. 3. art. 2. quæst. 2. ad 2. *Pontas.*

CASUS VII. Vincentius Canonicus cujusdam ecclesiæ cathedralis præsens in Capitulo, ubi agebatur de electione Decani, atque videns, nonnullos Canonicorum cum magno contemptu loqui de aliquo ad hanc dignitatem proposito, huic, utpote amico suo, totam rei seriem declaravit. Violavitne secretum capitulare?

℟. Hæc revelatio Vincentium perjurii reum constituit: quilibet enim Canonicus præstat juramentum servandi secretum de omnibus in Capitulo pertractatis, ubi plena cuilibet libertas loquendi sub bona fide servandi secreti. *Pontas.*

CASUS VIII. Basilius magni momenti secretum commisit Melchiori ordinis cujusdam reformati Religioso, cui Superior regularis secreti revelationem præcepit. Peccatne Melchior non obediendo?

℟. S. Thomas quodlib. 1. art. 15. C. resolvit hanc quæstionem duplex distinguendo secretum: primum est, quod vergit in præjudicium proximi, & absque peccato celari non potest: alterum, quod celari potest sine peccato; & quantum ad hoc, cum Religiosus in rigore loquendo non teneatur obedire Superiori suo nisi in iis, quæ directe aut saltem indirecte regulam sui ordinis concernunt, tale secretum Religiosus nullo modo Superiori præcipienti manifestare debet: violaret enim absque ulla ratione fidelitatem, quam se servaturum promiserat. *Pontas.*

CASUS IX. Hieronymus cujusdam Seminarii janitor, qui omnes litteras ad degentes ibi alumnos datas recipit, nonnullas ex mera curiositate infringit, & perlectas tam accurate denuo obsignat, ut nullum fracti sigilli vestigium deprehendi possit. Peccatne contra fidem secreti?

℟. Litteræ eum in finem muniuntur sigillo, ut illarum tenor occultetur aliis. Hinc Glossa in Decretalem quamdam Innocentii III. eos, qui litteras infringunt, pœnæ falsariorum subiicit; & juxta D. Thomam 2. 2. q. 59. art. 4. C. *Facere injustum in genere suo est peccatum mortale.* Cum itaque Hieronymus committat injustitiam non solum adversus scribentem, sed etiam adversus illum, ad quem scribitur, peccat mortaliter. Nihilominus hæc responsio locum non habet intuitu Superiorum in pluribus communitatibus, ubi consuetudo viget, ut Supe-

rior aperiat litteras ad suos subditos scriptas. Imo etiam homo privatus potest quandoque alterius aperire litteras, ex consensu nimirum expresso aut juste præsumpto ejus, qui scribit, aut illius, ad quem scribitur. *Pontas*

CASUS X. Petro creditum est aliquod secretum, quod vergit in præjudicium salutis, reputationis aut bonorum Antonii. Teneturne illud servare?

℞. Non tenetur. *De Lamet.*

CASUS XI. Adolescens quidam in Seminario ab alio una & altera vice fuit sollicitatus ad turpia, qui tamen tentationi semper restitit. Paulo post sollicitans adolescenti illi indicaverat, se perversionis suæ pœnitentia ductum esse, eumque rogat, ne quid Superiori palam faceret. Hic nihilominus rem narrat suo confessario, a quo fuit obligatus, ut seductorem deferat ad Superiorem; ad quod tamen adduci non potuit. Teneturne in conscientia seductorem indicare Superiori?

℞. Videtur, eum teneri; quia fraterna correctio censeri non debet in his circumstantiis sufficiens, ratione sequelarum, quæ oriri possent intuitu sollicitantis ad malum. Nihilominus, antequam res deferatur ad Superiorem, monendus foret sollicitans, ut a communitate recedat. *Fromageau.*

Vide *Correctio fraterna. Impedimenta matrimonii in genere*, Cas. 8. *Monitorium. Sigillum Sacramentale.*

SEPULTURA.

1. *Sepultura* quatuor diversas habet significationes. 1. Indicat locum sepulturæ. 2. Significat tumulum, seu monumentum super sepultum erectum. 3. Jus sepulturæ in certa quadam ecclesia denotat. 4. Significat officium seu ministerium, quod fidelibus exhibetur eorum corpora in sepulchrum inferendo. Sepultura omni tempore etiam apud paganos magni habita est; antiqui Patriarchæ, eximiique Sancti corporibus suis ipsimet sollicite de sepultura prospexerunt, eaque privari semper summi opprobrii instar fuit habitum: & hinc Ecclesia sepulturam denegat iis, qui excommunicati, aut nominatim interdicti obierunt, & loca sacra, in quibus talis inhumatus fuerit, consecratione sua excidant, ac profana reputentur & polluta.

2. Pa-

2. Parochi possunt absque simoniæ labe quidquam exigere pro sepeliendis corporibus defunctorum in subsidium suæ sustentationis: sordidæ tamen exactiones semper fuerunt prohibitæ, ut sapientes simoniam. Quisquis testamentum conficere potest, potest etiam eligere locum sepulturæ, & si in testamento de hoc nil ordinavit, debet sepeliri in parochia loci, ubi mortuus est. Juxta antiquos Canones nemo sepeliendus est in ecclesia, sed solum in porticu ecclesiæ, in propylæo, vel in cœmeterio: verum hæc prohibitio non fuit generaliter observata.

CASUS I. Landericus jam per aliquot annos ob suas blasphemias, concubinatum, & consuetudinem se inebriandi publice notus subitanea obiit morte in actuali ebrietate absque ullo pœnitentiæ signo edito. Poteftne parochus Landericum sepelire more aliorum Christianorum pie defunctorum?

℟. Propria ac privata authoritate non potest Landerico denegari sepultura ecclesiastica, sed debet propterea consuli a parocho Episcopus, & ipsius observari mandatum. Si vero responsum Episcopi tam mature obtineri non possit, inhumandum est defuncti cadaver adhibitis consuetis ceremoniis. In Gallia nullus pro publico peccatore habetur nisi talis declaratus fuerit per sententiam in eum latam. *Pontas*.

CASUS II. Turibium in quodam viculo ad parochiam S. Galli spectante, & ab ecclesia parochiali integro milliari distante mortuum vicarius parochi inhumavit in loco authoritate Episcopi non benedicto, in quo tamen jam plures alii dicti viculi incolæ sepulti fuerunt ob nimiam distantiam ab ecclesia, & viam, præsertim tempore hyemis, propemodum inexplicabilem. An id absque peccato fieri potuit?

℟. Quamvis per leges Romanas locus evaserit sacer per ipsam sepulturam hominis; id tamen non obtinet de jure canonico, nec reputatur locus sacer, nisi sit benedictus & authoritate Episcopi destinatus ad Christianam sepulturam. *Locus, si pontificali authoritate est sepulturæ destinatus, religiosus est*, inquit Sylvester v. *Sepultura. etiamsi nullus sit ibi sepultus . . . Si vero non est sic deputatus, secundum Canones non est religiosus, etiamsi sit ibi aliquis sepultus.* Unde facile eruitur, & vicarium graviter peccasse & parochum sepelitionem fidelium permittentem in loco non benedicto contra prohibitionem ac universalem consuetudinem Ecclesiæ. *Pontas.*

Nota. Procuranda proin est benedictio cœmeterii, quam Episcopus, si personaliter sine magnis sumptibus accedere non possit, tenetur pro ecclesiis pauperibus simplici sacerdoti committere.

CA-

CASUS III. Petronius parochus jus, quod habet sepeliendi corpora defunctorum suorum parochianorum in cœmeterio vicinæ parochiæ, vendidit ejusdem parocho pro 60. florenis cum consensu curatorum ecclesiæ. An ista venditio licita est?

℞. Cum jus Petronii sit pure spirituale ac ecclesiasticum, vendendo hoc jus valde graviter peccavit, utpote vendendo quidquam ad ecclesiam & non ad ipsum pertinens. Neque parochus ille licite potuit dictum jus emere. *Pontas.*

CASUS IV. Simerius Religiosus bis ex monasterio suo aufugit, diffamatoriumque contra Ordinem libellum scripsit. Comprehensus autem justis apostatarum pœnis subjectus est. Nunquam tamen adduci potuit, ut retractaret, ac pœnitens malitiam suam agnosceret, ita ut paschali etiam tempore SS. Sacramentis privari mallet. Estne sic constituto in periculosa ægritudine concedenda extrema unctio, & post mortem ecclesiastica sepultura?

℞. Dicto Religioso non solum Sacramenta deneganda sunt, sed etiam post obitum sepultura ecclesiastica. *Fromageau.*

CASUS V. Colonella obstetrix infantem ex utero materno pedem emittentem baptizavit in hoc pede sub conditione; quia dubitabat, an viveret infans, qui demum in lucem editus nullum prorsus vitæ signum dedit. Defertur absente parocho ad capellanum pro sepultura; hic autem recusat eum sepelire in loco sacro. Num bene?

℞. Infans iste sepeliendus est in loco sacro: in dubio enim de valore baptismi præsumptio stat in favorem infantis. C. B.

CASUS VI. Cotinus presbyter brevi ante mortem petiit, ut sepeliatur indutus habitu confraternitatis, cujus membum erat. An prudenter?

℞. Voluntas Cotini nequaquam est adimplenda: Rituale enim Romanum expresse jubet, ut presbyteri ac clerici sepeliantur in habitu eorum Ordini conveniente. C. B.

CASUS VII. Chrysanthus homo opulentissimus simul ac humillimus ante mortem jusserat, ut corpus suum absque omni funebri pompa ad tumulum deferatur. Parochus autem ultimæ huic dispositioni sese opposuit. Num juste?

℞. Si per pompam funebrem intelligatur funebris conductus ad sepulchrum in depositione Nobilium aut aliarum sublimioris conditionis personarum non nunquam fieri solitus

cum multis impensis animæ defuncti nil profuturis, male se opponit parochus ; & laudanda est Chrysanthi dispositio. Si vero pompæ funebris nomine veniant pii ac religiosi ritus ad exemplum Apostolorum ac sanctorum Patrum ab Ecclesia in sepeliendis fidelium defunctorum corporibus instituti, parochus jure se opponit : Rituale enim Romanum Tit. *De exequiis.* præscribit, ut parochi sacras ceremonias ac ritus, quibus Ecclesia in exequiis defunctorum uti solet, exacte observent. C. B.

SERVITUS.

1. Hæc vox *Servitus* in triplici sensu accipitur. 1. Sumitur pro servitio famuli, quod præstare tenetur domino suo. 2. Pro mancipatu seu subjectione necessaria ac coacta. 3. Pro onere annexo alicui fundo, prædio &c. in favorem cujusdam, qui non habet fundi aut prædii dominium, ut est jus itineris, luminis, aquæductus, aquam hauriendi ex puteo vicino. Et de hoc genere servitutis hic agitur.

2. Est autem hæc servitus vel *activa* vel *passiva.* Prior est *jus, quo res immediate habet aliam rem sibi obnoxiam.* Jurisconsulti alias duas servitutis istius species distingunt, *urbanam* scilicet & *rusticam.* Juxta Polmanum servitus *urbana* est *jus, quo prædium urbanum habet aliud sibi obnoxium* : tale jus est v. g. quod habet proprietarius domus deducendi aquas ex suo tecto in fundum vicini sui, vel trabem aut ligna domus ædificandæ stabiliendi supra murum domus contiguæ &c. Servitus *rustica* est *jus, quo prædium rusticum habet aliud obnoxium.*

3. Jus servitutis, cum sit odiosum, semper fundari debet in aliquo titulo.

CASUS I. Dionysius Toparcha habet jus agendi currum per fundum Petri; sed cum viæ vix non penitus essent destructæ, Petrum ad reparationem earum compellere nititur, qui tamen id perficere recusat. Quisnam horum tenetur reparare viam?

R. Si Petrus non ipso servitutis titulo viam reparare tenetur, reparatio incumbit Dionysio, nisi jam sit in possessione juris obligandi Petrum ad reparationem. *In omnibus servitutibus*, habetur leg. *Et si forte.* 6. §. 2. ff. L. 8. T. 5. *refectio ad eum pertinet, qui sibi servitutem adserit; non ad eum, cujus res servit.* *Pontas.*

CA-

CASUS II. Nicasius, cujus domus ex una parte incumbit muro domus vicini sui jam ruinoso, vicinum jure servitutis obligare vult ad reparationem dicti muri, & ad expensas fulcrorum necessariorum ad fulciendum interea tectum domus. Vicinus vero contendit, se jure servitutis solum teneri ad dimidium expensarum. Cuinam jus favet?

℟. Vicinus Nicasii tenetur ad integram reparationem muri, ita ut molem domus incumbentem sufficienter sustentare possit. Leg. *Et si forte.* jam citata. Fulcra autem ad sustentandam interea domum suam propriis Nicasius sumptibus procurare tenetur. Item si murum reparandum Nicasius picturis aut aliis ornamentis condecorandum curasset, ipsi quoque eorum reparatio incumberet. Leg. *Quidam.* 13. ff. L. 8. T. 2. *Pontas.*

CASUS III. Marcellinus possidet domum, cujus murus ædificium sui vicini sustentat; cum vero dictus murus minaretur ruinam, vicinus pro refectione muri instat. Marcellinus autem requisitis ad reparationem pecuniis destitutus, cedere fundum statuit, cui murus inexstructus est. An per hoc liberatur ab obligatione reparationis?

℟. Servitus inhæret fundo, non personæ; & hinc per cessionem fundi Marcellinus liberatur ab onere reparationis. Leg. *Et si forte.* supra citata. *Pontas.*

CASUS IV. Durandus gaudet jure aquam ducendi ex fundo Caroli; & hoc jus cessit Paulo vicino suo pro 20. imperialibus. An Carolus huic cessioni sese potest opponere, & aquam alio divertere, ne Paulus ea servitute uti possit?

℟. Jure se opponit Carolus huic cessioni: jus enim aquæductus non potest alteri, cuicumque demum, communicari nec per venditionem, nec per permutationem, nec etiam per cessionem gratuitam; hinc quamprimum Durandus cessat uti jure suo, cessat etiam obligatio Caroli, qua tenebatur erga Durandum. Leg. *Cum essent.* 33. ff. L. 8. Tit. 3. *Pontas.*

NOTA. Aliud dicendum foret, si Durandus Paulo cessisset fundum vel domum, cui est annexum jus activum ejusmodi servitutis.

CASUS V. Pamphilus possidet domum, cui annexa est duplex servitus passiva: 1. Ut altius non tollatur. 2. Ut stillicidia excipiat vicinæ domus Balduini. Primæ servituti renunciavit Balduinus pro accepta summa 150. florenorum, quin ulla fuerit mentio facta secundæ servitutis. Cum jam Pam-

Pamphilus domum suam altius ædificare cœpisset, ita ut altior domo vicina fieret, sese opposuit Balduinus contendens, domum Pamphili tali modo stillicidia suæ domus non amplius excipere posse, ut antea. Pamphilus autem prætendit, sublata servitute prima cessare etiam secundam. An hæc ratio valet?

℟. Juxta leges Romanas, quibus sua vis inest, quamdiu per contrariam Principis constitutionem, aut legitimam consuetudinem iis non derogatur, sublata una servitute non cessat etiam altera, nisi expressa etiam de ea facta fuerit mentio. Hinc Pamphilus non potuit altius ædificare domum suam in præjudicium secundæ servitutis, quæ est receptio stillicidiorum sui vicini. Leg. *Si domus*. 21. ff. Lib. 8. Tit. 2. *Pontas*.

CASUS VI. Blasius gaudet jure agendi currus suos per pratum Renati, quo tamen jure per decem jam annos usus non est; eo quod via publica ipsi videretur commodior. Cum autem denuo uti vellet jure suo, resistit Renatus allegans præscriptionem. Justene agit Renatus?

℟. Vere amisit Blasius jus suum ob præscriptionem Renati juxta legem *Sicut*. 13. & legem *Cum talis*. 14. Cod. Lib. 3. Tit. 34. Hinc Renatus absque injustitia potest resistere Blasio. In aliis tamen servitutibus, quæ in eo consistunt, ut stabiliatur status locorum, & innovationes impediantur, ut est obligatio altius non extollendi ædificium, locum non habet præscriptio, nisi ipse status locorum mutetur. Leg. *Hæc autem*. 6. ff. Lib. 8. Tit. 2. *Pontas*.

Vide *Dos*. Cas. 15.

SIGILLUM SACRAMENTALE.

1. Agitur in hoc articulo de secreto, quod inviolabiliter servare tenetur confessarius circa ea omnia, quæ pœnitens declaravit in tribunali Pœnitentiæ.

2. Regula hæc generalis est, nullamque patitur exceptionem. Etiamsi pœnitens sua exponeret peccata absque ulla intentione absolutionem recipiendi, obligatio tamen secreta servandi est eadem; *quia est sacrilegium*, ut ait D. Thomas.

3. Verum quidem est, quod, si pœnitens concedat confessario facultatem aliquem confessionis articulum alicui declarandi, hic absque peccato uti possit hac facultate; sed prudentia exigit, ut non utatur ejusmodi facultate sine causa urgentissima ac necessaria, idque adhibita omni possibili

præ-

præcautione, ne cuipiam præbeatur occasio suspicandi, violari sigillum confessionis.

4. Revelatio confessionis est crimen, cujus punitio ad solum judicem ecclesiasticum pertinet, ita ut sic delinquens nunquam trahi possit ad forum sæculare, quod ipsum Parlamentum Tolosanum lata desuper sententia stabilivit.

CASUS I. Cyrillus accepit confessionem Odeberti, qui se accusavit de commisso assassinio. Paulo post comperit Cyrillus, promulgatam esse sententiam excommunicationis in eos, qui habent notitiam authoris hujus homicidii, nec eum denunciant; imo ipsemet personaliter est citatus ad manifestandam rei veritatem, additis minis, eum nominatim pro excommunicato declarandi, si id recusaret.

℟. Non potest revelare crimen Odeberti ex sola confessione cognitum, quin se sacrilegii reum constituat. *Pontas.*

CASUS II. Si Odebertus Cyrillo, qui antea erat confessarius ipsius in confessionali declarasset crimen suum, non animo confitendi, sed ex motivo aliquo particulari, nullatenus ad confessionem spectante; quid tunc dicendum?

℟. Cyrillus non teneretur ad sigillum sacramentale; quia hæc declaratio, cum non fuerit facta in ordine ad absolutionem consequendam, non obligat ad sigillum confessionis sacramentalis, licet fuerit facta in loco destinato ad administrationem pœnitentiæ, in quo eadem facilitate, sub prætextu confessionem peccatorum deponendi, confessarius potest ludibriis ac injuriis onerari. Nihilominus Cyrillus posset teneri ad secretum naturale, si Odebertus peccatum suum manifestasset ad petendum consilium. *Pontas.*

CASUS III. Julius confessarius quærit, an non possit absque peccato mortali saltem tacite ac indirecte violare sigillum confessionis, quando alio modo non potest salvare sua bona, honorem & vitam.

℟. Nec sic quidem potest violare sigillum confessionis absque peccato enormi ac gravissimo; cum ad illud teneatur jure naturali, divino ac ecclesiastico. *Pontas.*

CASUS IV. Dydimus excepit confessionem Pauli, ipsique denegavit absolutionem; eoquod nollet relinquere occasionem proximam peccandi. Irritatus per hoc Paulus in ipso confessionali ausus est procacibus verbis insultare Dydimo. Post aliquot menses instituta de pravis moribus Pauli juridica inquisitione, etiam Dydimus citatur ad judicem ad deponendum testimonium circa præfatum articulum. Potestne testari?

℟. Dy-

℟. Dydimus absolute tenetur servare sigillum. *Pontas.*

CASUS V. Leufridus diaconus scire cupiens peccata cujusdam personæ, accessit confessionale, seque simulavit confessarium ordinarie hic confessiones excipientem, nonnullosque pœnitentes jam actu admisit non tamen collata absolutione sacramentali. Teneturne ad sigillum?

℟. Æque tenetur ad sigillum, ac verus confessarius. Imo & laicus juxta S. Thomam ad hoc obligaretur. *Pontas.*

CASUS VI. Anselmus excepit confessionem Jolandæ, quæ se accusavit de peccato cum adolescente quodam commisso. Pœnitente jam exeunte ex confessionali Anselmus recordatur, se eam non interrogasse, an Adolescens commoraretur in eadem secum domo; hinc surrexit ex confessionali, ut de hoc illam interroget, &, si ita foret, eam jubeat a domo discedere.

℟. Non potuit hoc fieri sine fractione sigilli. Anselmus debuisset revocare pœnitentem ad confessionale, dicendo, se habere, quod illi loquatur, & ibi interrogare. *Pontas.*

CASUS VII. Jodocus parochus ex sola Benedicti confessione scit, quod sit hæreticus, jam plures seduxerit, & etiamnum seducere pergat, sine proposito se convertendi. Poteſtne uti hac notitia?

℟. Jodocus non potest Episcopo denunciare personam confitentem; sed tantum monere illum, plurimum interesse, ut invigilet gregi suo, ne quis illum seducat; ubi tamen omnis adhibenda præcautio, ne sic se explicet, ut persona, quæ illi confessa est, agnoscatur, aut in suspicionem trahatur. Dein excipiendo aliorum confessiones, eos conetur confortare in fide, convenientia eisdem consilia suppetitando, sub terminis tamen generalibus. *Pontas.*

CASUS VIII. Damasus excepta confessione cujusdam blasphemi publici, in aliquo conventu amicorum mores ejusdem ore omnium traduci audivit; hinc eum defensurus dixerat, ipsum jam sincere ac serio conversum, ex quo illum a blasphemiis suis absolvisset. An licite?

℟. Peccavit Damasus contra sigillum confessionis. *Pontas.*

CASUS IX. Jodanus & Chrysogonus confessarii in aliquo monasterio monialium, cum ambo sæpius alternatim excepissent confessionem alicujus monialis, interdum colloquuntur de illius defectibus, ac præsertim de difficultate ejusdem circa obedientiam erga Superiores; idque eo solum

fine, ut facilius ipsi consulant, & uniformiter in ejusdem directione spirituali operentur. An violarunt sigillum?

℟. Si defectus hujus monialis sciunt independenter a confessione, possunt de illis conferre, animo, ut iis medeantur; sed semper summopere cavendum, ne aliquid proferant, quod sciunt ex sola confessione. Si autem hos defectus sciunt solum ex confessione, non possunt de illis colloqui absque fractione sigilli. *Pontas.*

CASUS X. Catharina puella omnium existimatione p'entissima, graviter ægrotans vocat confessarium suum, eique declarat, se jam ab octo mensibus cum dimidio esse gravidam, fœtumque adhuc vivere. Confessarius eam exhortatur, ut statum suum alteri personæ declaret; quod cum illa recusaret, confessarius absque absolutione eam dimisit. Altera die ingravescente morbo puella denuo vocat confessarium, qui eam jam in agonia deprehendit, & absolvit.

℟. Perbene quoad omnia egit confessarius. Notandum autem, confessarium hunc non potuisse manifestare, puellam esse gravidam, etiamsi certo præviderit, fœtum sine baptismo moriturum. *Pontas.*

Nota. Vide & sequere *Notam* infra ad *Casum* 12. Cum enim puella, in priori confessione de sua obligatione monita, de novo vocet confessarium, eo ipso præsumitur dare licentiam ad usum notitiæ sacramentalis, quam per se tenetur dare.

CASUS XI. Adrianus Episcopus & Placidus Abbas regularis sciunt ex sola confessione, duos subditorum suorum exercentes curam animarum, aut habentes aliquod officium, vitam ducere admodum depravatam occasione Beneficii, aut officii. Possuntne uti hac notitia?

℟. Non possunt hos suos subditos absque violatione sigilli sacramentalis amovere Beneficio vel officio, imo nec subtrahere officium, ipsis solum in animo destinatum. Notitia ex confessione hausta solum uti potest confessarius in sequentibus occasionibus. 1. Ut roget Deum pro conversione pœnitentis, ad quod & tenetur. 2. Ad consulendum virum doctum, qua ratione sit agendum cum pœnitente in casu valde arduo; quod & ipsum cum summa præcautione fieri debet, ne vel minimum gravamen creetur confitenti. 3. Ad propriam correctionem, ut si Superior ex confessionibus inferiorum cognoscat, mala agendi ratione se justis suorum querelis ac murmurationibus ansam dedisse. 4. Ut indaget in vitia, quæ ex confessione scit esse communia in vicinia, & maxi-

maxime grassantia; ad quod autem summa requiritur prudentia. 5. Ut sibi caveat a damnificatione per furtum inferenda, non a quopiam domesticorum, qui forte ipsi confessus fuerat, sed a societate prædonum, quos ex confessione scit, viciniam infestare. *Pontas.*

CASUS XII. Ferdinandus Episcopus statuit parochiam quamdam conferre Medardo, quem sacerdotem singulari virtute præditum existimabat. Cum vero aliquando haberet occasionem excipiendi confessionem ejus, utpote apoplexia tacti, reperit eum esse merum hypocritam, imo ne quidem presbyterum, sed tantum diaconum, quamvis publice haberetur pro presbytero, & functiones sacerdotales exerceret. Quid agendum?

℟. Episcopus non obligatur in conscientia insistere suo priori proposito conferendi Medardo parochiam: imo tenetur potius sub peccato mortali mutare suum propositum. *Pontas.*

Nota. Ex ficta confessione non nascitur obligatio sigilli sacramentalis, sed tantum secreti naturalis, cujus obligatio cedit obligationi altioris ordinis. Si autem non sit ficta, sed seria animo obtinendi absolutionem, pœnitens præsumitur dare licentiam ad usum notitiæ sacramentalis, quem pœnitens ex ipsa natura actus pœnitentialis tenetur per se dare; dummodo fiat sine revelatione confessionis, & rationabili gravamine pœnitentis.

CASUS XIII. Licinius Visitator generalis in quodam Ordine religioso, reperit, Superiorem cujusdam monasterii actu complesse annos sui regiminis per constitutiones Ordinis designatos. Audita secreto confessione illius, ob sua eum peccata prorsus indignum reperit officio Superioris. Post aliquot dies proceditur ad novam electionem; vota sunt divisa in hunc ipsum Superiorem, & alium quemdam, ita, ut Licinio decidenda res.

℟. Licinius absque ulla injuria potest huic Religioso votum suum denegare. *Pontas.*

Nota. Licet responsio ad hos duos posteriores casus videatur non concordare cum responsione ad casum 11., & adversari decreto Urbani VIII. ac declarationi Cardinalium de 1682., in quibus absolute reprobatur omnis usus notitiæ sacramentalis cum gravamine pœnitentis, vide tamen superius *Notam* ad *Casum* 10. & 12. Aliud enim est *revelatio* confessionis, aliud *usus notitiæ sacramentalis* sine revelatione.

CASUS XIV. Matthæus usurarius ex professo, tempore paschali confitetur suo parocho, a quo tamen non absolvitur.

 Hinc

Hinc petit, & obtinet ab eo licentiam confitendi Theophilo vicino parocho, promittens, se allaturum testimonium de sua confessione: verum nec ab isto absolvitur.

℞. Theophilus non potest absque fractione sigilli Matthæo denegare testimonium depositæ confessionis, in quo simpliciter testetur, eum fuisse confessum. Sic & parochus, qui ex confessione sui vicarii scit, eum vivere luxuriose, non potest ipsi denegare testimonium vitæ & morum, quando hoc petit in præsentia cujusdam, qui scit, hunc vicarium confessum fuisse parocho; imo etsi nemine præsente solus a solo peteret. Idem dicendum in pari casu de rectore Seminarii, ac de Episcopo, prout & de parocho ex sola confessione sciente impedimentum dirimens matrimonium, cui assistere tenetur. *Pontas.*

Nota. Ex istis terminis; in *præsentia cujusdam &c.* colligere licet, à Pontasio distingui revelationem confessionis ab usu notitiæ Sacramentalis. Vide *Notam* ad *Cas.* 10. 12. 13.

CASUS XV. Philemon in confessione se accusans de furto, ex imprudentia, ac sine ulla necessitate detegit complicem suum. An etiam quoad hunc sigillum obligat?

℞. Confessarius tenetur ad sigillum non solum respectu pœnitentis, sed etiam respectu complicis. *Pontas.*

Nota. Dependet ab intentione pœnitentis necessaria vel præsumpta, an, & quousque debeat aut velit concedere licentiam pro usu hujus notitiæ sacramentalis, attamen absque revelatione confessionis & absque præjudicio, seu justo gravamine pœnitentis.

CASUS XVI. Isaacus parochus ex confessione cujusdam parochianæ suæ deprehendit, non solum eam furto & luxuriæ esse deditam, sed etiam plures parochianorum suorum utriusque criminis esse complices.

℞. Si parochus absque manifestatione peccatorum hujus fœminæ per notitiam complicum possit malis hisce mederi, ipsaque pœnitens libere ad id concedat facultatem, ea uti potest. *Pontas*

Nota. Vide *Notam* ad *Cas.* 15.

CASUS XVII. Hector excipiens confessionem Judithæ, ex ea percipit, quod in confessionali fuerit sollicitata a priori suo confessario, & sciat insuper, plures alias personas ab eo sollicitari.

℞. Hector

℟. Hector absque violatione sigilli sacramentalis potest eum consensu Judithæ confessarium illum denunciare Episcopo, si ipsa adduci non possit, ut id in se suscipiat. Verum si alicubi, certe in similibus casibus plusquam necessaria est prudentia ob sequelas, quæ facile exinde oriri possunt. *Pontas.*

Nota. Per constitutionem Benedicti XIV. *Sacramentum pœnitentiæ*, editam 1741. tenetur ipsa persona sollicitata suo nomine denunciare sollicitantem. Quomodo id faciendum, prudens ac discretus docebit confessarius.

CASUS XVIII. Franciscus Gualteri famulus confessus est, se cum duobus aliis famulis abstulisse hero suo pecuniam. Ut vero obtineret ablati condonationem, tum etiam, ut præcaveret ulteriora furta a reliquis duobus famulis committenda, dedit confessario licentiam id manifestandi Gualtero; qua licentia confessarius etiam usus est. Num bene?

℟. Gualterus obligatur ad non manifestandum peccatum Francisci. *Pontas.*

CASUS XIX. Libertus mercator Lubecensis, nec sciens linguam Gallicam nec latinam, confessus est in Gallia per interpretem. Num hic tenetur ad sigillum?

℟. Interpres tenetur ad strictissimum secretum. *Pontas.*

CASUS XX. Liminius confessarius alioquin exactus in observatione sigilli, solet tamen nonnunquam manifestare peccatum veniale, quamvis expresse non dicat, se hoc audivisse in confessione.

℟. Talis manifestatio est tantum peccatum veniale, si fiat solum ex indeliberatione ac inadvertentia. *Pontas.*

Nota. Usus proin notitiæ solum sacramentalis pœnitente præsumptive invito, etiamsi duntaxat cedat in levissimum ejus rationabile gravamen, vel præjudicium, est peccatum mortale, nisi indeliberatio, vel inadvertentia a mortali excuset.

CASUS XXI. Amadeus confessarius Bertrandi diligenter quidem cavet, ut loquendo de Bertrando non revelet aliquod illius peccatum, ne quidem veniale; nullum tamen sibi movet scrupulum manifestandi alias res, quas ex eo in confessione percepit. Num frangit sigillum?

℟. Violat sigillum confessionis, si talia narret, ex quibus agnosci possit aliquod peccatum Bertrandi; peccat insuper peccato scandali dati audientibus, qui facile judicant, talia libere proferentem aut sigillum confessionis fregisse, aut, quod pejus est, etiam pronum ad revelanda vera peccata. *Pontas.*

CASUS XXII. Ennius excepit confessionem Jodoci, qui se accusabat de peccatis quibusdam publicis ac valde scandalosis. Itaque existimat, illi juxta consilium sui Episcopi imponendam esse pœnitentiam publicam; sed timet, ne per hoc indirecte manifestentur peccata pœnitentis.

℟. Timor iste est irrationabilis: non enim violatur sigillum confessionis per injunctionem pœnitentiæ publicæ pro peccatis publicis. *Pontas.*

CASUS XXIII. Hilarius parochus advertenter ac deliberate revelavit confessionem cujusdam suorum parochianorum. Quam pœnam incurrit?

℟. Non est suspensus *ipso jure*; meretur autem deponi per sententiam juridicam Episcopi sui. *Pontas.*

CASUS XXIV. Maceus confessarius in parochia quadam, nesciens, quomodo se gerere debeat erga aliquem sacerdotem consuetudinarium, qui confiteri consueverat, consulit suo nomine proprium præfati consuetudinarii parochum, virum omnium opinione doctissimum, sic tamen, ut modo aliquo imperfecto detexerit ipsum pœnitentem. Num bene egit?

℟. Confessarius iste male egit consulendo proprium pœnitentis parochum, & adhuc pejus id faciendo suo nomine. Videtur tamen, Maceum non peccasse mortaliter; quia personam pœnitentis tantum detexit modo confuso & imperfecto, idque solum ex scrupulositate & anxietate mentis. *Pontas.*

CASUS XXV. Nicomedes advocatus advertens in parocho suo ingens desiderium sciendi aliquod secretum, quod etiam ei detegit; ea tamen conditione, ut illud recipiat sub sigillo confessionis; quamvis id actum fuerit extra confessionale, & alias advocatus iste parocho suo nunquam confessus fuerit.

℟. Parochus tenetur servare secretum, ac si ipsi innotuisset in confessione. Nihilominus illud ex gravi causa v. g. ut obediat judici, vel consulat bono publico, revelando non peccaret contra sigillum confessionis. Notandum autem, non de facili aliquid esse recipiendum sub hac conditione. *Pontas.*

Nota. Cum hic modus loquendi non contrahat obligationem secreti sacramentalis, patitur suas exceptiones.

CASUS XXVI. Cosmas laicus proxime assidens confessionali intellexit quædam peccata personæ confitentis, ea-

que

que declaravit cuidam amico, cui nota erat persona confitens. Tenenturne ambo sigillio?

℞. Tam Cosmas quam amicus ejus tenetur ad strictissime servandum secretum. *Pontas.*

CASUS XXVII. Quæritur 1. Num confessarius proprio motu possit revelare peccata sui pœnitentis, sub prætextu promovendi bonum ipsius spirituale.

2. Poteſtne confessarius petere licentiam a pœnitente revelandi confessionem ipsius, ratione utilitatis exinde in pœnitentem redundaturæ?

3. Poteſtne confessarius hac licentia a pœnitente obtenta, de rebus in confessione declaratis conferre cum Superioribus pœnitentis?

4. Teneturne persona pœnitens, quæ habuit turpe commercium cum Clerico, eum nominare, confessario id postulante?

5. Poteſtne confessarius, qui simul est judex ecclesiasticus, excipiens confessionem cujusdam pœnitentis, quæ se accusat de turpi peccato cum Clerico commisso, eam obligare, ut veniat in domum suam, & extrasacramentaliter deponat contra hunc Clericum; aut ei, si id facere renuerit, denegare absolutionem? Poteſtne eam obligare, ut talem Clericum deferat ad judicem?

6. Poteſtne aut debet confessarius talem pœnitentem obligare ad concedendam licentiam ejusmodi Clericum deferendi ad judicem, aut ad Superiores; ipsique denegare absolutionem, ni ipsa deferat, aut eum deferendi licentiam confessario concedat?

7. Quomodo utendum confessario tali licentia?

8. Possuntne Superiores uti tali notitia ad exprobrandum suis subditis crimen?

9. Possuntne Superiores firmiter insistere rei, quam tantum sciunt ex eo, quod pœnitens eam declaraverit in confessione, eamque revelandi confessario facultatem dederit?

10. Licetne hoc medio uti ad deferendam Superioribus pessimam vitæ rationem parochi aut aliorum, qui absque hoc reprehendi aut convinci non possunt?

11. Poteſtne parochus hac ratione parochianorum suorum vitia detegere, ea ex cathedra arguere, iisque mederi? possuntne id ipsum Missionarii durante sua missione?

℞. Inprimis in generere. 1. Confessarius tenetur servare sigillum jure divino, & ex institutione Sacramenti. 2. Omnis notitia in confessione ex pœnitente hausta in foro interno suis tanquam limitibus constringi debet. 3. Confes-

fario neque cum ipfo pœnitente de peccatis fuis loquendum extra confeffionale. 4. Confeffarius potius debet fubire mortem, quam uti notitia in confeffione haufta, ac prodere fecretum. 5. Confeffarius non debet a pœnitente licentiam petere perfonam quampiam deferendi ad Superiorem. Vide exceptionem in *Refponf.* ad 2. His fuppofitis, in particulari.

℞. *Ad* 1. Confeffarius, qui *proprio motu* fub quocumque prætextu fecretum confeffionis violat, meretur deponi, ac perpetuis carceribus mancipari.

Ad 2. Confeffarius poteft petere a pœnitente licentiam utendi notitia in confeffione haufta ex gravi neceffitate, aut utilitate pro bono fpirituali pœnitentis, eaque uti, fi libere ac expreffe eam concedat pœnitens. Cavendum autem fummopere, ne limites factæ fibi conceffionis transgrediatur, & ultra intentionem pœnitentis ea utatur, ac ne fcandalum vel minimum ex hac oriatur.

Ad 3. Per licentiam hanc a pœnitente confeffario factam non cenfetur conceffum, ut de re in confeffione percepta nominatim conferat cum Superiore pœnitentis.

Ad 4. Pœnitens non debet in confeffione nominare fuum complicem, fi abfque eo poteft explicare peccatum fuum: imo confeffarius ipfe tenetur perfonam pœnitentem impedire, ne nominet complicem, fi advertat eam ad hoc difpofitam ac paratam.

Nota. Benedictus XIV. in duabus conftitutionibus confeffariis prohibet *paffim* a pœnitentibus exquirere nomina complicum.

Ad 5. Pœnitens non poteft obligari ad deponendum contra fuum complicem, etfi confeffarius fimul fit Officialis aut Promotor.

Nota. Poteft tamen, & debet confeffarius pœnitenti declarare ipfius obligationem, denunciandi Superiori perniciofos bono publico v. g. feductores juventutis ad magiam, fodomiam &c. & fi hoc recufent, deneganda eft ipfis abfolutio.

Ad 6. Etiamfi perfona pœnitens foret obligata ad deferendum complicem, ad quod tamen non obligatur, nihilominus confeffarius ordinarie non debet in fe fufcipere facultatem deferendi.

Nota. Quando agitur de damno graviffimo boni publici, quod quis tenetur præferre vitæ aut famæ propriæ, complex tenetur denunciare reum cum proprio præjudicio, poftulata tamen fibi impunitate.

Ad

Ad 7. Confeſſarius non debet acceptare hujusmodi facultatem, multo minus ea uti.

Nota. Quando pœnitens non poteſt perſonaliter denunciare complicem perniciofum bono publico, confeſſarius tenetur acceptare facultatem monendi Superiorem de capienda informatione, quatenus opus, ex ipſo pœnitente.

Ad 8. *&* 9. Superiores non poſſunt uti notitia per licentiam a pœnitente confeſſario factam hauſta ad reprehendendos aut puniendos ſubditos delatos.

Nota. Cum Benedictus XIV. in ſua *Conſtitutione* de obligatione denunciandi confeſſarios ſollicitantes ad turpia permittat procedi ad reprehenſionem & punitionem denunciati, idem obſervandum circa alia crimina nociva bono publico, ſive pœnitens ea denunciet perſonaliter per ſe ipſum, ſive ſuo rogatu per confeſſarium; dummodo Superior per ſe, vel delegatum excipiat atteſtationem pœnitentis fide digni &c.

Ad 10. Si nulla alia ratio præſto eſt convincendi hujusmodi parochos criminoſos, omnino abſtinendum eſt interea ab eorum correptione.

Nota. Unius quidem denunciantis teſtimonium non ſufficit ad puniendum denunciatum. Si tamen ex qualitate & numero plurium denunciantium habeatur moralis certitudo de delicto, juxta Benedictum XIV. poteſt procedi ad pœnam ordinariam, ubi id exigit bonum publicum.

Ad 11. Parochus non poteſt uti notitia ex ſola confeſſione parochianorum ſuorum hauſta ad hoc, ut medelam ferat vitiis in parochia graſſantibus. Idem dicendum de Miſſionariis, etiam conceſſa ad id a pœnitentibus licentia. *Fromageau.*

Nota. Hoc intelligendum in eo ſenſu, ut parochus vel Miſſionarius non loquatur de vitiis parochiæ propriæ vel alterius determinatæ, præſertim exiguæ. Ut enim concionator prædicet contra vitia graſſantia abſtrahendo a circumſtantia locorum, perſonarum, & temporum, ex qua pœnitentium quis coram aliis poſſet ſuffundi rubore, nullus confitentium poteſt eſſe prudenter invitus.

CASUS XXVIII. Confeſſarius quidam in converſatione cum Epiſcopo ſuo ex inconſideratione dicit; plures perſonas ſibi confeſſas ſe accuſaſſe, quod emerint venena a pharmacopola quopiam in quadam urbe diœceſana degente.

℟. Epiſcopus nullatenus poteſt uti hac notitia ex imprudentia confeſſarii hauſta, etiam ad bonum ſpirituale pharmacopolæ. *Fromageau.*

Nota, Si ea venditio posset tribui imprudentiæ pharmacopolæ nimis creduli de usu licito venenorum, non foret illicita illius admonitio pro majori in posterum cautela, abstrahendo tamen a circumstantiis relativis ad præteritum.

CASUS XXIX. Confessarius quidam interrogatur a judice. Quid illi respondendum?

℟. Respondere debet, se confessarium esse, & nihil habere, quod dicat. Neutiquam autem ei licet effugium quærere per mendacium, dicendo; se non excepisse confessionem criminosi. *Fromageau.*

CASUS XXX. Parochus scit ex confessione personæ matrimonium contrahere volentis, obstare impedimentum dirimens. Potestne denegare benedictionem nuptialem contracturis, si vel ut, etsi de impedimento moniti, publice contrahere matrimonium?

℟. Si aliunde non sciat impedimentum dirimens nisi ex confessione, non potest denegari benedictio; neque id fieri posset sine læsione sigilli Sacramentalis. *De Lamet.*

CASUS XXXI. Parochus ex confessione sciens, plura jam a famulo domestico sibi furto ablata fuisse, plures aditus, qui prius patuerant, obductis seris occludit; nec eo amplius utitur ad numerandas pecunias, prout antea consueverat. Violatne secretum confessionis?

℟. Violat; quia ob scientiam haustam in confessione facit & omittit aliquid, quod nec fecisset, nec omisisset, si confessionem non excepisset; id quod palam fieri non potest absque violatione secreti confessionalis. C. B.

Nota. Non est fractio sigilli, nec usus illicitus notitiæ sacramentalis, si absque infamatione vel nota suspectationis apud alios homines confessarius famulo vel subdito subtrahat occasionem peccandi, quam pœnitens per se tenetur vitare aut optare, ut sibi præscindatur.

CASUS XXXII. Confessarius quidam dicit amicis suis, in certo pago gravissima committi crimina. Potestne sic loqui absque violatione sigilli?

℟. Non potest: etsi enim confessarius non violaret sigillum sic loquendo de magna urbe; quia tamen hic agitur tantum de quodam pago, in quo plebs degit non numerosa, certum est, a confessario per ejusmodi locutionem ansam præberi variis suspicionibus de personis particularibus, quod sufficit ad violationem sigilli. C. B.

CASUS XXXIII. Confessarius quidam ruralis rogat quempiam ex amicis suis in urbem episcopalem abeuntem, ut sibi

bi petat licentiam pœnitentem aliquem ab incestu absolvendi.

℟. Si ejusmodi declaratio potest occasionem præbere detegendi quodam modo illum, qui hoc crimen commisit, confessarius violat secretum. Si autem nec a longe timenda sit ejusdem manifestatio, non violatur sigillum. Confessarius tamen prudentius ageret, si hanc licentiam petat per obsignatas literas. C. B.

Nota. Ejusmodi commissio est contra omnes leges prudentiæ: quia ansam præbet variis observationibus, conjecturis ac suspicionibus de consanguineis aut affinibus, quos inter peculiaris familiaritas & amicitia notatur. Maxime in Gallia aliisque locis, ubi hodiedum juxta veterem disciplinam confessio paschalis soli parocho deponenda est, ea retectio pœnitentis merito timenda foret.

CASUS XXXIV. Presbyter quidam audita confessione Petri, quæ erat satis prolixa, alta voce dicit, eum non fuisse absolutum, eoquod confessionem suam nondum finiisset. Num violavit sigillum sic loquendo?

℟. Violavit: nam, cum ex confessione prolixiori, maxime virorum, si non sit confessio generalis, homines ordinarie inferant aut ingentem peccatorum numerum, aut defectum notabilem ex parte pœnitentis, certum est, confessarium sic loquendo saltem indirecte declarasse, Petrum aut reum esse plurium peccatorum, aut eum non esse bene dispositum. Cum autem in casu non dicatur, confessionem Petri fuisse generalem, omnes insuper adstantes sciant, eam fuisse admodum prolixam, dubitari non potest, quin presbyter iste sigillum confessionis violaverit. C. B.

Nota. Pessime egisset hic confessarius; etiamsi addidisset, Petrum inchoasse confessionem generalem; id quod coram adstantibus manifestare saltem fuisset inutile.

CASUS XXXV. Sacerdos quidam, confessarius ordinarius Titii, in præsentia plurium personarum dicit, eum esse scrupulosum. Num violat secretum confessionis?

℟. Violat, saltem nisi jam antea notorium fuerit, eum esse scrupulosum. Ratio est; quia sub sigillum cadunt non solum peccata pœnitentis, sed etiam defectus occulti sive physici, sive morales, quorum manifestatio pœnitenti posset pudorem injicere & confusionem, eique reddere confessionem, onerosam, ac odiosam. C. B.

CASUS XXXVI. Confessarius quidam reprehenditur, quod absolverit Arsenium ab excommunicatione, quam publice incurrerat; ille autem respondet: Absolvi illum, & qui-

quidem juste potui ipsum absolvere. Num violat sigillum sacramentale?

℟. Violat; quia declarat peccatum in confessione perceptum: licet enim hæc manifestatio non sit odiosa pœnitenti, nihilominus ea opponitur virtuti Religionis, quæ nunquam permittit revelari peccata in confessione declarata. C. B.

Vide *Absolutio*, *Approbatio*. *Confessarius*. *Confessio*. *Contritio*. *Secretum*. *Occasio peccandi* cas. 3.

S I L V A.

1. Hic comprehenduntur variæ lignorum species, ut alta ac procera, cædua, ædificiis ac navigiis apta, foco destinata, arida & exsucca.

2. Silvæ quædam sunt regiæ, aliæ Communitatum ecclesiasticarum tam sæcularium quam regularium, & aliæ privatorum.

3. Abbates aliique Beneficiati, cum tantum sint administratores & œconomi bonorum Beneficialium, non possunt arbores altas ac proceras cædere absque permissione regia; imo nec ligna cædua, nisi requisitis prius rei saltuariæ Præfectis.

4. Arbores proceræ censentur inter bona immobilia, subjacentque, antequam cæsæ sint, juri retractus, non autem manus injectioni, nisi reali. Ligna cædua autem habentur pro bonis mobilibus, etiamsi cæsa nondum sint, neque juri retractus subjacent, licet manus injectioni sint obnoxia, ut ligna procera jam cæsa.

5. Jus cognoscend super possessione ac proprietate silvarum est penes Prætores; circa depopulationes autem & strages silvarum cognoscendi jus habent Præfecti rei aquariæ ac saltuariæ.

CASUS I. Ulysses agricola pauperrimus tanta necessitate premitur cum uxore ac liberis, ut ex defectu ligni nec calefacere hypocaustum, nec cibum coquere posset. Suadetur ipsi, ut noctu silvam petat regiam, aut aliam ad Dominum loci pertinentem, ex eaque ligna pro sua necessitate asportet.

℟. Ulysses ob extremam paupertatem absque peccato potest ex his silvis asportare pro necessario usu ligna arida, exsucca, putrida, aut vepreta, spineta, rubos & similia exigui valoris; dummodo stragem non edat notabilem. *Pontas.*

CA-

CASUS II. Bartholomæus & Lucia in contractu matrimoniali communia fecerunt decem jugera silvæ cæduæ; & hinc, Lucia anno ante cæsionem hujus silvæ absque prole fatis functa, Bartholomæus prætendit partem lignorum cæsorum pro ratione temporis, quo vixit in conjugio cum Lucia; quia hæc bona erant utrique communia.

℟. In quibusdam locis ligna cædua decimo quovis anno cæduntur; in aliis decimo quinto; in aliis vigesimo primum. Ex quo sequitur, superstiti conjugum in salvo esse jus suum commodum percipiendi ex ejusmodi bonis communibus. Hinc absque injustitia Bartholomæo denegari non potest pars lignorum, quam prætendit; & si ipsi denegaretur, posset agere contra hæredes uxoris suæ defunctæ. *Pontas.*

CASUS III. Mobertus agricola possidet domum ac villam; quæ cum necessario reparandæ essent, jus se habere non dubitabat necessaria ad reparationem ligna cædendi in vastissima silva communitatis, cujus ipse membrum erat. Incolæ vero reliqui opponebant sese, non aliud Moberto jus concedentes, quam ligna cædendi pro foco suo necessaria.

℟. Male se opponunt incolæ: Mobertus enim jure in silva communi ligna cædit non solum pro foco, sed & pro reparatione ædificiorum suorum necessaria. *Pontas.*

Nota. Hic observandæ leges vel consuetudines particulares locorum. Si Mobertus haberet nudam casam vel domum recenter structam ex solo privilegio Principis, non est verosimile, Principem voluisse præjudicare juribus communitatis.

CASUS IV. Julius Abbas commendatitius vult cædere quædam jugera lignorum in silva pertinente ad Abbatiam suam, ex eorum venditione lucrum capturus.

℟. Injuste agit Julius: Beneficiatus enim non habet dominium fundorum Beneficii sui. *Pontas.*

SIMONIA.

1. Ex definitione S. Thomæ *Simonia* est *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum;* sub quibus verbis S. Doctor comprehendit omnem conventionem aut contractum non gratuitum. Hinc simoniacum est, sive temporale detur tanquam pretium Beneficii, sive tanquam motivum illud eo certius obtinendi. Duæ sunt species Simoniæ, una est prohibita jure divino, altera jure eccle-

ecclesiastico; prior est, si quis offerat quidquam temporale, ut obtineat aliquid ex sua natura spirituale, ut sunt Sacramenta, vel ut obtineat spirituali annexum, ut sunt Beneficia, & sacra vasa: posterior est, quæ solum per Canones prohibetur; talis est permutatio Beneficii propria authoritate facta cum alio Beneficio; vel si quis emat officium, seu munus, cui annexum est jus exercendi jurisdictionem ecclesiasticam.

2. Simonia subdividitur in *mentalem*, *conventionalem*, & *realem*: Mentalis est sola mala seu perversa voluntas absque ullo contractu seu pacto expresso vel tacito. Conventionalis est ea, in qua præter malam voluntatem accedit conventio peccaminosa expressa, aut mala intentione facta; & hic observandum, ob talem Simoniam non incurri censuras, si mere conventionalis ac absque effectu sit. Realis demum in eo consistit, quod facta conventio simoniaca actu ab utraque convenientium parte executioni sit data.

3. De aliis tribus modis, queis Simonia committi potest, & dicuntur *a manu*, *ab obsequio*, & *a lingua*, sermo infra recurret.

4. Est insuper Simoniæ species, quæ vocatur *confidentialis*; & hanc Pius IV. & Pius V. damnarunt, ac declararunt, eam committentes esse privandos omnibus Beneficiis & officiis ecclesiasticis, eosque & in futurum esse inhabiles ad ea aquirenda absque legitima dispensatione. Committitur autem hæc Simonia, dum vel expressa vel tacita sit conventio obtentum beneficium cedendi tertio, aut partem fructuum reddendi illi, qui Beneficium contulit; aut alteri, quem ille designaverit.

5. Conventus Cleri Gallicani censura notavit anno 1700. sequentes propositiones:

Propositio LXIX. Non est contra justitiam, Beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Propositio LXX. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

Propositio LXXI. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi

sit

fit finis ipfius rei fpiritualis; fic ut illud pluris æftimetur, quam res fpiritualis.

CENSURA. Hæ propofitiones temerariæ funt, fcandalofæ, perniciofæ, erroneæ; hærefin fimoniacam facra Scriptura, canonibus & pontificiis conftitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis five intentionis directionem inducunt.

6. Propofitiones iftæ jam antea ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatæ fuerunt.

CASUS I. Potamion Epifcopus collaturus Beneficium curatum ampliffimum evidenter digniori fex vocat presbyteros ad concurfum feu examen, eique fpondet Beneficium, qui præ cæteris fe magis probaverit idoneum. Sedulius unus ex prædictis fciens, Sylvianum fcientia facile eminentiffimum compariturum ad concurfum, promittit ei centum aureos hac conditione, ut tentamen pro confequendo Beneficio non fubeat. Annuit ifte, & hac ratione Sedulius Beneficium adeptus eft. An in hoc cafu propter initam conventionem & fubfecutum effectum Simonia intervenit? Num etiam interveniret, fi Sedulius rei curforiæ Præfecto dediffet pecuniam hac conditione, ut Sylviano equum deneget, ne poffit curforem mittere Romam ad impetrandum in Curia Beneficium, antequam concurfus inftituatur?

℟. In primo cafu intervenit realis Simonia; eoquod Sedulius non nifi ope pecuniæ obtinuerit Beneficium, quod ob eminentiam doctrinæ merito fibi fperare potuiffet Sylvianus. Idem dicendum circa fecundum cafum, quia Sedulius data pecunia præclufit impetrationem Beneficii Sylviano, qui ejusdem provifionem in tempore adhuc Romæ obtinere potuiffet. Unanimis Theologorum Parifienfium doctrina eft hæc: *Exigere, dare, accipere aut promittere aliquid temporale pro Beneficio ecclefiaftico obtinendo, five per modum pretii, five per modum motivi, aut gratuitæ compenfationis, Simoniæ crimen eft.* Et denuo: *Qui munus aliquod aut officium data pecunia, aut alia re pretio æftimabili fibi comparat ea intentione, ut Beneficia obtineat, fimoniacus eft.* Quibus verbis omne effugium intercluditur vanis fubtilitatibus ac ingeniofis fpeculationibus laxiorum Cafuiftarum hominibus placentia loquentium. In utroque igitur cafu Sedulius reus eft Simoniæ; cum pecuniam dederit animo obtinendi Beneficium. *Pontas.*

CA-

CASUS II. Theopompus noviter fuit electus Archiepiscopus Diarbeckensis, interdictis tamen sibi omnibus dignitatis suæ functionibus, nisi Præfecto Turcico prius solvisset 5000, florenos. An licite possessionem sui archiepiscopatus adire potest mediante solutione hujus summæ?

℟. Aut Theopompus legitime fuit electus, vel non? si primum, jam aquisivit jus in re ad suam dignitatem; hinc cum consecratio ipsius & possessionis aditio non nisi injustissime impediatur a Præfecto Turcico, absque Simonia potest solvere petitos 5000. florenos. Verum si non fuisset canonice electus, & dictam summam daret ideo, ut dignitatem hanc obtineret, absque dubio reum se faceret Simoniæ realis. *Pontas.*

CASUS III. Pontianus presbyter, Doctor ac Professor Theologiæ, vir pietate & sapientia conspicuus ab Irenæo patrono præsentatus fuit ad parochiam. Dum autem de doctrina sua suspectus haberetur, licet absque omni fundamento, non potuit ab Episcopo obtinere collationem & necessarium *Visa*. Pontianus per hanc denegationem injuriam sibi factam ratus, obtulit Secretario Episcopi viginti aureos, & sic collationem ac institutionem obtinuit. An non intercessit Simonia?

℟. Nominatio ad Beneficium, per quam jus ad rem acquiritur, non sufficit ad hoc, ut quis se redimere possit ab injusta vexa; sed requiritur jus in re, quod tamen Pontianus per solam præsentationem needum consecutus est: hinc etiam denegatio episcopalis *Visa* non potest dici injusta vexatio. Pontianus ergo, si intuitu oblatæ Secretario Episcopi pecuniæ parochiam obtinuit, veræ Simoniæ reus est. *Pontas.*

NOTA. Injustitia vexæ non desumitur tantum ab injusta exclusione a jure certo, sed etiam a jure spei v. g. a concursu, a communi examine, a defensione. Hinc si Pontianus scit, se esse certo innocentem, non est reus Simoniæ.

CASUS IV. Judas aspirans ad parochiam vacantem Juvenali Patrono, quem sciebat pecuniarum indigum ad prosequendam litem, donat triginta aureos, ut ipsius lucretur amicitiam, eumque ad sui præsentationem ad parochiam inducat; quin tamen illam postulasset. Juvenalis in recognitionem præsentavit Judam, qui obtenta institutione canonica sumpsit possessionem parochiæ. Estne Judas Simoniæ reus?

℟. Na-

℟. Natura Simoniæ consistit potissimum in voluntate obtinendi spirituale per temporale aut temporale per spirituale. Juxta S. Bonaventuram in 4. dist. 25 art 1. q.4. ad committendam Simoniam sufficit spirituale non dare gratuito, aut non dare temporale nisi pro spirituali tanquam fine principali. Concordat in eo etiam D. Thomas in 4 dist. 25. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. C. Ex quo sequitur, Judam esse reum Simoniæ realis, & incurrisse pœnas in simoniacos latas; cum triginta aureos Juvenali non dederit, nisi ex motivo obtinendi parochiam. *Pontas.*

CASUS V. Antonius patronus, homo pecuniæ cupidissimus, offert Leandro præsentationem ad vacantem parochiam pro quinquaginta aureis. Leander interposito etiam juramento hanc summam daturum se spondet, sine animo tamen complendi promissum. Antonius igitur hac promissione inductus præsentat Leandrum, qui etiam post obtentam institutionem canonicam adiit possessionem parochiæ; &, cum ab Antonio summa promissa postularetur, respondit, se absque labe Simoniæ promisso stare non posse, provisionemque suam, si quid solveret, fore nullam. An Leander ob solam fictam promissionem, quam nunquam adimplere cogitaverat, Simoniam commisit?

℟. Idem est in ordine ad committendam Simoniam juxta D. Thomam 2. 2. q. 100. sive solum, & quidem ficte, promittatur, sive actu detur temporale pro spirituali: quia semper verum est dicere, rem spiritualem obtineri pro temporali, quando obtinetur intuitu promissi, sine quo non fuisset obtenta, ut in præsenti casu. *Sanctorum Patrum sententiis consona sentientes*, inquiunt Patres Concilii Melphican. sub Urbano II. 1090. celebrati, *Dei & Apostolorum ejus parte præcipimus, ne quis ulterius dato vel promisso, vel pretio vel servitio ea intentione impenso, vel precibus episcopalem nitatur assequi dignitatem ... Hoc idem etiam de omni ecclesiastica dignitate vel officio, Apostolicæ potestatis authoritate præfigimus. Alias & dator & acceptor proprii Ordinis dignitate priventur. Pontas.*

CASUS VI. Albertus titulum habens in quadam Capellania, cum se ad statum clericalem haud vocatum sentiat, declarat Titiæ amitæ suæ, se simpliciter velle resignare titulum ad dictam capellam Bremondo ipsius filio sine ullo motivo temporalis commodi. Interea elapso octiduo petit a Titia, ut sibi commodet 100. imperiales; Titia etiam hanc summam cum consensu sui confessarii commodavit Alberto,

& quidem adhuc illo tempore, quo Albertus factam resignationem potuisset revocare. An Titia rea est Simoniæ ?

℞. Si Titia nullum omnino iniit pactum expressum, vel tacitum, & commodando dictam summam non intendit Albertum permovere, ne revocet factam resignationem, nec Simoniæ nec ullius peccati rea est. *Pontas.*

CASUS VII. Attilius presbyter in se suscepit munus Eleemosynarii apud quemdam ministrum regium ea principali intentione, ut authoritate hujus ministri aliquam Abbatiam obtineret; hinc etiam per decennium strenue suo functus est munere. Interea tamen præter 200. florenos, quod annuum salarium erat, expendit de proprio peculio 500. florenos in sumptus pro conservando suo charactere necessarios. Tandem obtinuit Abbatiam, cujus annui reditus sunt 2000. floreni. An Simoniæ se reum fecit Attilus ?

℞. Si in acceptatione muneris Eleemosynarii principalis Attilii intentio fuit curandi solum spiritualia in domo ministri, licet secundaria ipsius intentio fuerit per bonam suam conversationem suo tempore promerendi aliquod Beneficium, excusari potest ab omni Simonia. Verum cum in casu ponatur, principalem ejus intentionem fuisse per sua servitia assequendi Beneficium, a Simonia purgare se non poterit: ea enim committitur, quandocumque pro consequendo spirtiuali datur temporale, quale est servitium. *Bonum temporale, quod potest aliquis ab alio expectare*, ait S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. C. *vel est ex parte animæ, sicut amicitia aut favor; & quantum ad hoc est munus a lingua: vel ex parte corporis, sicut aliquis actus corporaliter exercitus; & quantum ad hoc est munus ab obsequio: vel est aliquid exteriorum bonorum; & sic est munus a manu. Quantum ad primum, committitur Simonia per munus a lingua; quia lingua opinionem exprimit & gratiam conceptam. Quantum ad secundum, per munus ab obsequio. Quantum ad tertium, per munus a manu.* Si igitur ex triplici hoc rerum temporalium genere quidquam pro re spirituali detur, Simonia committitur. Verum quidem est, in casu Simoniæ *a lingua* vel *ab obsequio* de se non incurri censuras, nec privationem Beneficii; ille tamen, qui obtinuit Beneficium per Simoniam *a lingua* vel *ab obsequio*, non est legitimus possessor ac Titularis in foro interno; ideoque non potest illud resignare aut retinere, nisi ex permissione confessarii, qui eam ex justa causa concedere potest: confessarius enim habet jus cognoscendi & judicandi de actibus pœnitentis internis. *Pontas.*

CA-

CASUS VIII. Lucillus presbyter & Doctor Theologiæ suscepit munus Vicarii generalis, aut Missionarii apud quemdam Episcopum ex hac principali intentione, ut per hoc, quod se impendat functionibus pure spiritualibus, obtinere possit dignitatem aut præbendam in ecclesia cathedrali. An ipsius intentio simoniaca est, aut vitiosa?

℟. Intentio Lucilli certe vitiosa est, quia juxta S. Bernardum *de vita & moribus Clericorum* c. 5 invertit ordinem naturalem utendo rebus spiritualibus tanquam motivo aquirendæ rei temporalis, quo fit, ut finem ordinet ad media; cum tamen media ordinanda essent ad finem. *Pontas.*

Vide *Cas.* 11.

CASUS IX. Sidonius Episcopus unam præbendam dedit suo nepoti, & alteram suo cognato hac intentione, ut suas partes in capitulo, cujus aliqua membra se ipsi opposuerunt, redderet fortiores, & etiam ut sua familia fieret illustrior. An reum se fecit Simoniæ mentalis?

℟. Juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 7. ejusmodi intentiones sunt simoniacæ. *Qui intendit aliquod bonum in se ipsum redundans*; ait, *sic quod magnificetur per hoc & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit fortior; & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat & Simoniam committit, & reducitur ad id munus in quo continetur commodum, quod ex tali ratione sperat. Pontas.*

CASUS X. Didacus Decanus ecclesiæ cathedralis exhibuit aliqua beneficia temporalia Jacobo & aliis suis Concanonicis ea de causa, ut eos sibi reddat faventes non ex motivo proprii commodi, sed procurandæ Dei gloriæ, boni Ecclesiæ, & salutis proximi causa in deliberationibus capitularibus, in quibus sæpe contrarios sensit. An simoniacum quid intercessit?

℟. S. Thomas Quodl. 4. art. 23. C. nullam in hoc casu Simoniam reperit; cum nulla intervenerit pactio aut conventio Didacum inter & Canonicos, quibus beneficia temporalia præstitit, ut circa spiritualia gloriam Dei concernentia sibi consentientes haberet. *Alioquin*, ait S. Doctor Opusc. 17. c. 13. *si non liceret aliquem per temporalia beneficia provocare ad aliquod spirituale bonum; illicitum esset, quod in quibusdam ecclesiis quædam distribuuntur his, qui ad Officium divinum accedunt. Pontas.*

CASUS XI. Quidam Episcopus jam per plures annos secum habet Clericum, qui munus Eleemosynarii obibat, & huic

huic Clerico ratione præstitorum servitiorum cogitat conferre Beneficium. An id fieri potest absque Simonia?

℟. D. Thomas 2. 2. q. 100. art 5. ad 1. distinguit duplex servitium, quod Eleemosynarius aut capellanus domesticus Episcopo præstare potest; unum spirituale, quod tendit ad gloriam Dei, & utilitatem Ecclesiæ ac ministrorum ejus; alterum mere temporale, ut est v. g. cura & administratio bonorum patrimonialium ad Episcopum vel ejusdem familiam pertinentium, cura causarum forensium &c. Primum genus servitiorum non solum Clericum non reddit indignum, sed potius dignum Beneficio; non autem alterum, & absque Simonia Episcopus non potest remunerari id genus servitii per collationem Beneficii. *Pontas.*

Vide cas. 4. & 8.

CASUS XII. Alexander Abbas pauperes habens consanguineos, quibus tamen omnibus succurrere non potest, contulit Joanni cognato suo, quem generosi animi esse sciebat, Prioratum, cujus annui redditus 1000. imperiales sunt, hac intentione, ut suis succurreret consanguineis, alias certe illum Prioratum collaturus alteri. An ista intentio Alexandrum immunem reddit a Simonia?

℟. Non est quidem simoniacum conferre Beneficium consanguineo gratis ex solo motivo affectionis erga illum, illicitum tamen est juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2. carnemque sapit & sanguinem. Si autem sic conferatur Beneficium cum pacto, aut etiam cum primaria conferentis intentione, ut provisus, ex redditibus Beneficii succurat pauperibus consanguineis collatoris, ut fit in præsenti casu, aperta intervenit Simonia. *Pontas.*

CASUS XIII. Archenbaldus, jure præsentandi ad parochiam gaudens, præsentavit quemdam presbyterum ex hac unica ratione; quia a suo amico literas recommendatitias attulerat, quin tamen aliunde ipsius merita nosset. An reus est Simoniæ, præcipue si sibi commendatus indignus est Beneficio?

℟. Præsentatio hæc est simoniaca. *Videtur ad munus a lingua principaliter intendere*, ait S. Thomas l. c. ad 3. *qui preces pro indigno porrectas exaudit*; *unde ipsum factum est simoniacum.* Si vero præsentatus est dignus, juxta eundem S. Doctorem præsentatio non est simoniaca; quia meritum est causa legitima cuiquam conferendi Beneficium. Nihilominus si quis præsentat aliquem non intuitu meritorum, sed

ex

ex mero respectu humano, certe committit Simoniam ob vitiosam intentionem. *Pontas.*

CASUS XIV. Jeremias jus habens præsentandi præsentavit ad quoddam beneficium Leonfredum, subjectum maxime dignum, ex hac principali intentione, ut præsentando tale subjectum sibi aquirat æstimationem, approbationem, & laudes aliorum hominum. An ob talem intentionem Simoniæ reum se fecit?

℟. Reus est Simoniæ mentalis; quia ipsius præsentatio non fuit gratuita. Ita docet S. Gregorius Papa in C. *Sunt nonnulli,* ubi ait: *Sunt non nulli, qui quidem nummorum præmia ex Ordinatione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt: hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris.* Idem docet S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 4. *Pontas.*

Nota. Cum intentio obtinendi laudem non fundet pactionem ullam aut obligationem, non est Simonia, licet si venialiter deordinata. Vide *Cas.* 15.

CASUS XV. Junianus Capellaniam sui Patrui, qui sibi resignationis ejus spem fecerat, obtenturus sacros ordines recepit eo maxime fine, ut obtenta Capellania commodius vivere posset. An hic finis & hæc intentio Simonia caret?

℟. Juxta Concilium Tolosanum 1056. celebratum Clericus adipiscendæ abbatialis dignitatis causa monachus effectus, nullatenus admittendus est. Hinc videtur concludendum a pari, Clericum non posse admitti ad presbyteratum, si solum ipsius intentio sit aquisitio Beneficii. Ex hoc igitur sequitur, Junianum absque peccato non potuisse recipere presbyteratum, si solum intenderit per hoc aquirere Capellaniam sui Patrui, Ita Fagnanus in Cap. *Cum autem nostram,* n. 19. Junianus autem non tenetur quidem ad renunciationem Beneficii, sed tamen ad agendam de commisso peccato pœnitentiam. Id genus hominum deordinata hac ac vitiosa intentione sacros Ordines suscipientium luculenter manifestat, statum ecclesiasticum non considerari a se ut normam sanctitatis & virtutis, sed solum ut medium aquirendi sustentationem ac commoditates corporales, ut ait Catechismus Concilii Tridentini de Sacram. Ord n. 7. *Cujus quidem rei argumento est, quod nisi opulentum aliquod ecclesiasticum Beneficium iis deferatur, nullam sacri Ordinis cogitationem habent.* *Pontas.*

CASUS XVI. Palladius parochus, offert resignationem Beneficii sui in favorem Lucii, hac conditione, ut sibi Lucius restituat 10. florenos pro provisione sui Beneficii, & alios 50. florenos in litem causa sui Beneficii motam a se expensos. An Palladius has summas a Lucio accipere potest absque Simonia, si hic in solutionem consenserit, quamprimum Palladius subscripserit procurationem resignationis in sui favorem ?

℟. Sub quocumque demum prætextu Palladius non potest recipere pecuniam absque Simonia reali : solutio enim hujus pecuniæ Lucio esset medium aquirendi Beneficium, quod Palladius non esset resignaturus nisi sub conditione numerandæ sibi pecuniæ. Ita S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Sic quoque decidit Alexander III. in causa simili Clericum inter & Religiosos agitata circa Beneficium quoddam, Clericus Beneficio se cessurum spondebat, si sibi a Religiosis solverentur tres marchæ argenti in compensationem expensarum, quas fecerat pro aquirendo Beneficio. Contractum autem hunc pro approbatione ac confirmatione sibi exhibitum Papa reprobavit ut illicitum. *Pontas.*

Nota. Cum hæc Simonia sit tantum juris ecclesiastici, & parvitas summæ non sit præsumenda, fuisse a Papa comprehensa in reservationibus facultatum episcopalium ultra montes, censeo, Episcopos ultramontanos in hoc genere Simoniæ dispensare posse.

CASUS XVII. Rutilius parochus in sua parochiali domo nova duo construi curavit cubilia, & adjacentem emit hortum : resignaturus jam suum Beneficium Cæsari hanc addit conditionem, ut compenset expensas in constructionem duorum cubilium, & emptionem horti factas, nimirum 350. florenos. An ista resignatio simoniaca est ?

℟. Certe simoniaca est : duo enim ista cubilia & hortus sunt pars Beneficii, hinc illa emere est emere ipsum Beneficium. Deinde si ista cubicula & hortus non fuerint necessaria, sed tantum ad commoditatem servirent, non potest compensationem expensarum & commoditatum suarum exigere ; si vero fuerint necessaria, parochianorum expensis paranda fuissent. *Pontas.*

CASUS XVIII. Statilius acceptavit resignationem parochiæ a suo Patruo hac conditione oblatam, ut 50. florenos elargiatur pauperibus parochianis ; & hanc conditionem implevit. An ista conventio simoniaca est ?

℟. Om-

℟. Omnes conventiones, quæcumque demum, exceptis iis, quæ onera concernunt Beneficio annexa, reddunt resignationes, permutationes, & renunciationes Beneficiorum illicitas ac simoniacas; a qua labe solus Pontifex eas purgare potest. *Licet sint hæc pietatis opera*, ait Cabassutius L. 5. c. 3. n. 5 *habent tamen materiam temporalem pretio æstimabilem; & si fiant ex pacto consequendi rem sacram, in Simoniam degenerant.* Non potuit ergo Statilius sub dicta conditione acceptare resignationem Beneficii a Patruo sibi factam. *Pontas.*

CASUS XIX. Telemachus & Saturninus ultra annum jam litigabant de quadam parochia, ad quam uterque judicio advocatorum suorum jus liquidum habere se contendebat. Hortante autem quodam parocho hanc tandem transactionem inierunt; nimirum ut Telemachus cedat jure suo ad parochiam, Saturninus autem procuret ipsi Capellaniam simplicem patronatus laici, cujus quidem titularis non est, actualem autem possessorem facile ad resignationem, permoturum se spondet: ad hæc offert Telemacho 40 aureos in compensationem expensarum in litem hucusque factarum. Estne hæc conventio canonica? An non potest dici, Saturninum hanc summam dare ad redimendam injustam vexam Telemachi? Supposito quod hæc ratio conventionem a Simonia non excuset, an non bona fides eos eximit a pœnis in simoniacos latis, & a restitutione fructuum; maxime cum hæc transactio solum amore pacis, & finiendæ tandem litis causa inita fuerit?

℟. Conventio hæc non est canonica: in omni enim permutatione legitima requiritur, ut permutantes actu sint provisi de Beneficiis permutandis; Saturninus autem non possidet actu Capellaniam, sed solum eam Telemacho procuraturum, & insuper 40 aureos daturum se promittit in compensationem expensarum litis. Hinc Saturninus parochiam non obtinet, nisi sub conditione numerandæ Telemacho pecuniæ, & procurandæ ipsi Capellaniæ; id quod eum Simoniæ realis reum constituit. Neque a Simonia excusat falsus prætextus injustæ vexæ; quia ex testimonio advocatorum utriusque jus est indubitatum, & consequentur uterque illud absque injustitia prosequi potuisset. Denique nec prætensa bona fides, quæ fundatur in ignorantia crassa & culpabili, contrahentes excusat a labe Simoniæ, & hinc nec a censuris in simoniacos latis, & ab obligatione restituendi fructus Beneficii. *Pontas.*

NOTA. Sicut vota dubii valoris non sunt reservata Papæ, ita nec casus Simoniæ dubiæ, vel certe malitiæ quoad gravitatem dubiæ. Poterit proin circa ejusmodi casus dispensare Episcopus. Vide cas. seq.

CASUS XX. Bertinus & Albertus jam per sex menses litigant inter se ratione cujusdam parochiæ, cujus annui redditus efficiunt summam 600. florenorum. Tres celebres Advocati afferunt valde justam habere causam Bertinum, & alii tres Advocati idem judicant de causa Alberti. Verum cum Alberto pecunia ad prosequendam litem deficiat, Bertino cessionem sui juris offert pro 100. aureis, & Bertinus consensit. An hæc pactio est simoniaca? Num idem dicendum, si Bertinus cederet jus suum Alberto hac conditione, ut sibi solvat centum aureos pro fructibus grossis, quos intra sex menses suæ provisionis parochialis percipere debuisset, & tamen non percepit?

℞. Conventio, qua Albertus cedit jure suo in favorem Bertini, certe est simoniaca; jus enim ad Beneficium, cum sit res pure spiritualis; pretio æstimari & pecunia aquiri non potest. Aliud tamen dicendum de cessione Bertini Alberto facienda: Bertinus enim posset exigere centum aureos ut fructus legitime sibi debitos ob servitia Beneficio præstita; cum justum sit, ut pro functionibus parochialibus fructus recipiat pro ratione temporis, quo parochiæ deservivit. Cavendum autem, ne conditio solvendorum centum aureorum ingrediatur tractationem cessionis, ut tollatur omnis apparentia ac suspicio Simoniæ. Cedendum igitur pure ac simpliciter, reservata tamen facultate exigendi solutionem pro fructibus sibi debitis, & necdum perceptis. Et si Albertus postmodum hanc solutionem præstare recuset, poterit via juris ad id compelli. *Pontas.*

CASUS XXI. Jacobus resignavit parochiam suam Joanni reservata sibi pensione 200. florenorum: Joannes autem post tres menses eam permutavit cum parochia Petri, qui, ne mortuo Joanne teneretur superstiti Jacobo solvere pensionem 200. florenorum, sequens executus est consilium a Doctore quodam amico suo sibi suggestum: 1. Reservat sibi ex priori sua parochia 150. florenos annuatim a Joanne solvendos. 2. Scripto privato propria manu signato ac in manu Doctoris illius deposito consentit, ut dicti 150. floreni solvantur Jacobo nomine Joannis in partem pensionis ab hoc Jacobo præstandæ; reliquos 50. florenos singulis annis Jacobo se suppleturum spondet. 3. Denique addit, pensionem 150. floreno-

renorum sibi reservatam solum tamdiu esse solvendam, quamdiu solvenda esset Jacobo pensio 200. florenorum. Quæritur jam 1. An non contractus iste Simoniam involvit? & supposito quod ita, estne a Joanne & Petro Roma petendum Breve absolutionis & condonationis perceptorum fructuum? An non interea, usque dum Breve Roma obtineatur, Episcopus eos rehabilitare potest in ordine ad exercendas functiones suas, ut hac ratione evitetur scandalum. 2. Supposito quod contractus non sit simoniacus, teneturne Petrus solvere 200. florenos Jacobo ante judicialem condemnationis sententiam, non quidem vi contractus ac privatæ syngraphæ, sed vi tituli in parochia a Jacobo resignata, quo Petrus facta permutatione gaudet; quamvis vi contractus solum ad quartam partem teneatur? 3. Posito, quod Petrus teneatur ad solutionem 200. florenorum, an non potest exigere pensionem 150. florenorum a Joanne; quamvis illam sibi non reservaverit nisi ea conditione, ut hi 150. floreni pro se & Joanne solvantur Jacobo; cum ambo existimaverint, contractum suum esse canonicum? 4. Si Jacobus, cui vi contractus a Joanne solutionem 150. & a Petro 50. florenorum recepit, & hanc summam 200. florenorum solummodo a Joanne recepisse se testatus est, de annua pensione in futurum remittat 50 florenos, contentus pensione 150. florenorum, cuinam hæc condonatio facta esse censetur, Joanni aut Petro, si eorum conventio simoniaca est? 5. Posito quod Petrus solus totam summam 200. florenorum Jacobo solvere debuerit, & Joannes salva conscientia 150. florenos solvere non potuerit, ut cum Petro convenerat, & conventio jam per plures annos executioni data est, an non restitutio facienda est? & cui? quomodo? & a quo? 6. Si Petrus parochiam suam permutare vellet cum Beneficio Titii; hic autem in eam consentire nollet nisi ea conditione, ut sibi a Jacobo pariter 50. floreni condonarentur, an Petrus ante executionem propositæ permutationis apud Jacobum instare potest, ut continuet in favorem Titii condonationem 50. florenorum, ejusque continuandæ scriptam cautionem tradat? 7. Si contractus Petrum inter & Joannem est simoniacus, & Petrus solus stimulante conscientia in pœnitentiaria Romana petiit ac obtinuit Breve absolutionis, teneturne desuper monere Joannem semper adhuc in bona fide persistentem? 8. Posito denique, quod Petrus teneatur, aut saltem consultius judicet monere Joannem de Simonia, siqua subsit, & ideo ipsi declaret, se tuta conscientia non amplius recipere posse 150. florenos, aut concedere,

ut Jacobo solvantur juxta contractum privatum; potestne Petrus nihilominus acceptare solutionem pensionis, aut permittere, ut Joannes eam solvat Jacobo ut antea, si Joannes aut ex ignorantia, aut ex generositate, aut ex amicitia erga Petrum vellet continuare solutionem pensionis?

℟. Contractus iste est indubitato simoniacus, ut manifeste desumitur ex decretalibus variorum Pontificum, ac canonibus plurium Conciliorum; inter quæ Concilium Rothomagense de anno 1581. ait: Omnes pensiones & pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus. His prænotatis respondetur *ad* 1. Petrus & Joannes indigent absolutione Papali, condonatione fructuum & rehabilitatione. Sed usque dum ea Roma adveniat, poterit iis Episcopus dare facultatem exercendi functiones parochiales, a quibus tanto tempore abstinere non possent sine scandalo parochianorum ac propria infamia: in ejusmodi enim casu præsumendum non est, Pontificem habuisse intentionem sibi reservandi hanc potestatem, utpote quæ antiquitus connaturaliter pertinuit ad jurisdictionem episcopalem. *Ad* 2. Petrus tenetur solvere Jacobo pensionem integram 200. florenorum, non obstante conventione, quam cum Joanne iniit, quartam solum partem solvendi: Jacobus enim resignavit parochiam suam ea conditione, ut sibi solvatur annua pensio ex redditibus resignati Beneficii. *Ad* 3. Cum contractus sit simoniacus, & consequenter conventio nulla, vi cujus Joannes tenetur Petro solvere pensionem 150. florenorum, Petrus nullum habet jus exigendi hanc summam: licet enim etiam Joannes culpam contraxerit, verum tamen semper est, titulum Petri esse nullum; quia nulla in Beneficio potest constitui pensio sine authoritate Papæ; imo ipsa permutatio Beneficiorum fieri non potest absque authoritate legitimi Superioris. *Ad* 4. Facta a Jacobo voluntaria condonatio 50. florenorum in solius Petri cedit commodum; quia pensio ecclesiastica nil aliud est quam reservatio partis fructuum beneficialium exsolvendæ a successore resignantis. *Ad* 5. Petrus ut titularis ecclesiæ, cum ad pensionem 200. florenorum Jacobo præstandam solus teneretur, & tamen singulis annis 150. florenos a Joanne solvendos curaverit, tenetur ad restitutionem: titulus enim, ex quo hanc a Joanne summam exegit, nullus est. Restitutio autem juxta S. Thomam non Joanni, sed pauperibus facienda est aut ecclesiæ. *Ad* 6. Petrus potest quidem petere continuationem condonationis 50. florenorum in favorem Titii, idque in scripto; cum hic favor

ver ex parte Jacobi foret mere gratuitus, & ceder ein commodum titularis parochiæ. Verum si Petrus hanc conomationem non nisi sub conditione permutationis cum Titio faciendæ obtineret, pactio esset simoniaca. *Ad* 7. Petrus tenetur in conscientia monere Joannem de Simonia contractum hunc inficiente, si eam ignorat: alioquin enim eum relinqueret in ignorantia vincibili, & in possessione Beneficii canonice non obtenti, ac consequenter in evidenti periculo damnationis. *Ad* 8. Si denique Petrus Joanni declaravit, se jure non posse exigere pensionem annuam 150. florenorum, nec etiam permittere, ut ista summa pro se solvatur Jacobo vi privati contractus, & Joannes nihilominus continuaret solutionem, posset Petrus eam recipere; dummodo non fiat ex redditibus Beneficii, sed ex bonis propriis Joannis. *Pontas.*

CASUS XXII. Frodulphus Religiosus titulo gaudens cujusdem Capellaniæ redditaum 100. florenorum, eam cedit Abbati suo pro Prioratu redditaum 400. florenorum. Gilbertus ejusdem monasterii Religiosus obtulit Frodulpho alium Prioratum redditaum 750. florenorum, quam in provincia extera possidebat, his tamen sub conditionibus: 1. Ut sibi procuret præfatum Prioratum 400. florenorum. 2. Ut annuatim sibi solvat pensionem 150. florenorum, ut commodius vivere possit. Frodulphus rem proposuit Abbati suo, qui & in pactionem consensit, addita tamen limitatione, ut Frodulphus pensionem 150. florenorum solvat non ex redditibus Prioratus, sed ea sumatur ex pensione ipsi a matre moriente constituta in quodam prædio, quod pro securitate pensionis Gilberto oppignorari deberet. Hanc limitationem acceptavit Frodulphus, & mox cum Gilberto contractum iniit a duobus Notariis signatum. His ita actis uterque pure ac simpliciter resignat in manus sui Abbatis, qui Gilberto contulit Prioratum 400 florenorum, & Frodulpho alterum 750. florenorum, quem possedit Gilbertus. An consensus Superioris tollit in hoc casu Simoniam?

R. Contractus iste indubitato est simoniacus; quia resignatio Frodulphi, quæ quidem videbatur pura & simplex, involvit pactum & conditionem sine qua non, ut scilicet ab Abbate obtineat Prioratum 750. florenorum, quem Gilbertus cessit ea sub conditione, ut obtineat alium Prioratum 400. florenorum una cum pensione mere laica 150. florenorum; ex quo sequitur, Frodulphum & Gilbertum incurrisse pœnas in simoniacos latas. Conventio hæc est insuper vitiosa ratione pensionis 150. florenorum stipulatæ eum in finem, ut Gilbertus commodius possit vivere, id quod voto paupertatis

tis adversatur. Consensus Abbatis omnino non excludit Simoniam: Abbas hac in re nequaquam cum Religiosis suis dispensare potest. *Nec æstimet Abbas*, inquit Innocentius III. Cap. *Cum ad monasterium*. 6. Lib. 3. Tit. 35. *quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare*. Ratio, quam alii dant est hæc; quia abdicatio omnis proprietatis statui religioso non minus essentialis est quam continentia. Denique vitiosus ac injustus est contractus iste ex eo; quod Frodulphus propria auctoritate & sine consensu communitatis religiosæ disponat de redditibus prædii, cujus proprietas utique non penes ipsum, sed penès monasterium est. *Pontas.*

CASUS XXIII. Ausonius parochiam suam resignavit Simeoni reservata sibi pensione 200. florenorum, in cujus assecurationem Simeon ipsi cautionem civilem præstitit. An in hac pactione cum permissu Papæ facta Simonia intervenit?

℟. Si in hoc casu Simonia intervenit, ea est tantum juris ecclesiastici, circa quam Papa dispensare potest. Quamvis juxta leges canonicas nunquam liceat petere aut acceptare cautionem pro pensione in Beneficio constituta; non tamen committitur Simonia, si cautio acceptetur permittente ac approbante Pontifice. *Pontas.*

CASUS XXIV. Manfredus Clericus tonsuratus fundavit in ecclesia collegiata Canonicatum ea intentione, ut Capitulum Canonicatum hunc ipsi conferat, quod & factum est. An Simoniæ reus est?

℟. Haud dubie Manfredus commisit Simoniam, utpote dans temporale pro dignitate ecclesiastica aquirenda; imo ipsum Capitulum, si Canonicatum ipsi contulit mere intuitu hujus boni temporalis, Simoniæ reum est. Addit tamen Innocentius III. Cap. *Tua nos*. 34. Lib. 5. Tit. 3. hanc exceptionem: *Si vero pure ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Pontas.*

Vide cas. seq.

CASUS XXV. Polydorus aspirat ad Canonicatum in ecclesia cathedrali, scitque Patritium ecclesiæ hujus Canonicum præbendam suam facile permutaturum cum Beneficio simplici; hinc consilium suum executurus Polydorus fundat Capellam, eamque dotat annuis redditibus 300. florenorum. Capella hæc Polydoro vix collata est, offert eam Patritio permutandam cum Canonicatu; & actu permutatio suum sorti-

tu

ta est effectum. An non peccavit Polydorus & Simoniam commisit?

℞. Certe hæc permutatio est simoniaca: Polydorus enim absque Simonia non potuit capellam fundare eo fine, ut sibi conferatur, multo minus ea intentione, ut vix obtentam mox permutaret cum præbenda Patritii. Ut quis digne recipiat Beneficium, requiritur, ut non solum possit, sed & sincere velit eidem deservire: *Cum illi sint in Ecclesia idonei reputandi*, ut ait Gregorius IX. Cap. *Super.* 15. Lib. 3. Tit. 5. *qui servire possunt & volunt.* Polydorus igitur graviter peccavit, & excommunicationem incurrit. *Pontas.*

Nota. Fundator potest ponere legem fundationi de se justam assentiente Episcopo. Hinc cum intentio fundatoris non sit certo simoniaca, casus non est reservatus Papæ. Vide dicta ad casum 19.

CASUS XXVI. Sempronius titularis capellæ fundatæ in ecclesia cathedrali eam permutare cogitat cum simplici Beneficio Theodati minorum longe redditutum. Capitulum autem, quod jure collationis gaudet, consentire renuit; eo quod Sempronius ad titulum dictæ Capellæ subdiaconus ordinatus fuerit. Verum ad tollendam hanc difficultatem pater Theodati spondet, se in favorem Sempronii titulum constituturum in fundis suis propriis, ut sic Capella Sempronii reddatur libera; & ad id consensum Capituli petit. Estne hæc agendi ratio simoniaca?

℞. Quamvis regulariter loquendo licitum sit titulo beneficiali substituere titulum patrimonialem, dummodo hæc immutatio fiat authoritate legitimi Superioris; non tamen hoc patris Theodati consilium videtur probari posse ut canonicum: licet enim Theodatus nec donet nec promittat quidpiam temporale Sempronio, sufficit tamen, quod pater ipsius, tanquam tertius, hac ratione tanquam medio utatur comparandi filio Beneficium, quod videtur simoniacum 1. Quia constitutio tituli in favorem Sempronii est favor pure temporalis & pretio æstimabilis. 2. Quia pater non offert constitutionem tituli nisi ad facilitandam inter ipsum & filium permutationem. *Pontas.*

CASUS XXVII. Abbatia quædam Ordinis Cisterciensis possidebat Prioratum redditumm 150. florenorum, quem utpote commodissime adjacentem communitas religiosa alterius Ordinis suo cum monasterio unire cogitabat. Abbas Cisterciensis cum Capitulo consentit etiam in hanc unionem, ea tamen conditione, ut Abbatiæ Cisterciensi in perpetuum annua

nua pensio solvatur 150. florenorum. An est vitiosus contractus iste?

Contractus hic est simoniacus; hinc executioni dari non potest: jus enim Abbatiæ in Prioratum est res pure spiritualis, & pro pecunia vel pensione vendi non potest. *Pontas.*

Nota. Certum non est, contractum de sola permutatione reddituum stabili esse simoniacum jure divino, aut reservatum Papæ.

CASUS XXVIII. Cajetanus obtentæ in ecclesia cathedrali præbendæ possessionem aditurus præsentavit se Capitulo, a quo tamen admissus non est, nisi solutis prius 100. florenis pro jure Cappæ; quæ summa ab immemoriali tempore ab omnibus Canonicis ante aditam possessionem solvi consuevit. An commisit Simoniam?

℟. Concilium Tridentinum Sess. 4. de reform. cap. 14. damnat hanc praxin; nisi id, quod exigi solet, impendatur ad causas pias, aut in utilitatem ecclesiæ Hinc si Canonici istos 100. florenos inter se partiti sunt, Simoniam commiserunt. *Pontas.*

Nota. Si prima divisio bonorum communium capitularium fuit justa, etiam reservatio aliquotæ ex qualibet præbenda erit justa.

CASUS XXIX. Ovidius obtenturus Prioratum, quem conferendi jus habet Diodorus, scit, Lucillum intimum Diodori amicum suis obstare votis; hinc eum lucraturus aureum ipsi offert horologium, & hoc medio Prioratum obtinuit. Commisitne Simoniam?

℟. Cum mediante dono Ovidius obtinuerit Beneficium, ad quod nullum habuerat jus, evidens est, collationem hanc esse simoniacam. Lucius III. cuidam Prælato a majori Canonicorum capitularium parte electo, cujus amicus animum cujusdam capitularis pecunia inflexerat, ne electioni adversari pergeret, Cap. *Matthæus.* 23. Lib. 5 Tit. 3. sic rescripsit: *Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum; respondemus, quod multum tibi consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens: Nihil prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur. Pontas.*

CASUS XXX. Bartholomæus licet canonice in Episcopum fuerit electus, quinque tamen Canonici ipsi haud faventes absque omni legitima ratione obstiterunt illi, dum possessionem capere volebat; quapropter illis 100 aureos secreto dari curavit, ut sese opponere desistant; qui & acquieve-

everunt, & electus possessionem adiit. Commisitne Simoniam?

℟. Cum Bartholomæus per canonicam electonem jam aquisierit jus ad episcopatum, non commisit Simoniam. S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. sic ait: *Antequam alicui jus aquiratur in episcopatu vel quacumque dignitate vel præbenda per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui aquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* *Pontas.*

CASUS XXXI. Christianus legitime consecutus est parochiam, ad quam & Cæcilius sibi jus arrogat, & Christiano litem desuper movet: ad hæc etiam Epigonius ex condicto cum Cæcilio Christianum de falso crimine accusat; qui ut se redimeret de his vexationibus, cuilibet eorum donavit viginti aureos. An Simoniæ reus est?

℟. Juxta S. Thomam l. c. & S. Antonium 2. part. Summ. Theol. Tit. 1. c. 4. §. 2. Christianus absque peccato potuit se redimere a duplici ista vexatione; cum jus legitimum habuerit in parochia. Ex hoc principio plures ejusmodi casus resolvi possunt. Cum autem in hisce occasionibus facile ignorantia aut prædominans passio intervenire possit, nemo in simili casu sibimet ipsi fidat, & quidpiam moliatur nisi de consensu Episcopi. Quod attinet accusationem de crimine, eoque atroci ac vere commisso, licet eo fine fiat, ut Beneficiatus suo privetur Beneficio, non licet amoliri accusationem ope pecuniæ. *Pontas.*

CASUS XXXII. Episcopus præbendam contulit Narcisso. cui mox Palæmon vir contentiosus ac potens litem desuper intentaverat, quam Narcissus prosequi non valebat. Hinc Episcopus quietam Narcisso præbendæ possessionem cupiens hortatur Palæmonem, ut a lite desistat, ipsique, si obsequatur, munus Vicarii generalis & Officialis promittit. Acceptavit conditionem Palæmon; sicque ipse Vicariatum, & Narcissus quietam præbendæ possessionem obtinuit. An non vitiosa est hæc transactio?

℟. Iniqua vexatio ac lis injusta considerari debet tanquam res vere temporalis, & dignitas Vicarii generalis ut res pure spiritualis: hinc Episcopus absque Simonia non potuit hanc dignitatem conferre Palæmoni ex memorata ratione, & hinc nec Narcissus secura conscientia potest retinere præbendam. *Pontas.*

CA-

CASUS XXXIII. Melchior Clericus tonfuratus cum nollet restituere depositum centum aureorum a Titio Abbate sibi creditum, Abbas, ut suum recuperaret depositum, ipsi contulit Prioratum 250. florenos annuos redditus proferentem. Potuitne id fieri absque Simonia?

℟. Juxta D. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 2. Abbas iste Simoniam commisit. *Non est autem dubium*, inquit S. Doctor, *quod Simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut, quod suum est, recuperaret. Pontas.*

CASUS XXXIV. Vincentius jam ab aliquot annis titulum habens ad quemdam Prioratum, cujus redditus sunt 2000. floreni, statui clericali vult renunciare, & Mariam neptem Pauli presbyteri, hæredem ditissimam, ducere in conjugem. Ut autem facilius Pauli, utpote tutoris Mariæ, consensum obtineret, declaravit illi, se ipsi resignaturum suum Prioratum, consensit in isthoc matrimonium. An ambo Simoniam commiserunt?

℟. Hic casus nostris temporibus valde frequens est præsertim apud homines altioris conditionis; hujus autem solutio facilis est. Omnis conventio sive expressa, sive tacita resignandi Beneficium ex motivo principali consequendi commodum temporale pretio æstimabile reddit resignantem, & resignatarium Simoniæ reum vel realis vel conventionalis; hinc in proposito casu Paulus & Vincentius Simoniæ rei sunt, ac censuras incurrerunt. Ast, si Paulus consensisset ex alio fine in dictum matrimonium, etiamsi Vincentius Prioratus resignationem non obtulisset, aut persuasus, Vincentium promissum non adimpleturum, tunc non censendus esset reus Simoniæ; cum resignationem Prioratus solum ex hoc motivo acceptarit, quia *gratis potest recipi, quod gratis offertur.* Verum cum homines in hoc puncto nimis sibimet ipsis blandiri soleant, regulariter loquendo tales resignationes non sunt consulendæ, nec approbandæ. *Pontas.*

CASUS XXXV. Tichonius canonicatus, quo provisus erat, possessionem sumens cuilibet Canonico duas chirothecas distribuit vi consuetudinis immemorialis. An Simonia in hoc casu intervenit?

℟. Sacra Congregatio Concilii Tridentini prohibet hanc consuetudinem ut contrariam Concilio Tridentino: talia enim munuscula, licet exigua, non ex sola liberalitate fieri videntur, aut sine pactione, quæ forsan nomine & prætextu

textu consuetudinis latet, ut advertit Fagnanus in c. *Tua nos*, de Sim. n. 38. *Pontas.*

Nota. Certe cum quilibet in Capitulum receptus debeat hæc solvere videtur ea lex fundari in natura originalis reservati.

CASUS XXXVI. Sylvianus Episcopus alteri Episcopo litem movit de jure collationis, & visitationis ecclesiæ parochialis in confinibus suarum diœcesium sitæ; tandem transactionem & conventionem inierunt, ita, ut uni sit jus visitationis, & alteri jus collationis. Num simonia intervenit?

℟. Ut conventio inita sit immunis a simonia, requiritur, ut sit approbata a legitimo Superiore, & nunquam detur res temporalis pro spirituali. Hoc supposito, evidens est, conventionem, de qua hic agitur, non esse simoniacam: nam 1. ipsimet Superiores transactionem fecerunt. 2. Utrumque jus tam collationis quam visitationis est res spiritualis; hinc nullus alteri dat temporale pro spirituali. Committeretur autem simonia v. g. 1. Si Episcopus litigans cum Toparcha loci de jure patronatus terminaret litem hac transactione; ut sibi salvum maneat jus patronatus, cedat autem Toparchæ ligna cædua prius ad Beneficium pertinentia. 2. Si Episcopo litigante cum domino loci territoriali de jure piscandi aut venandi, Episcopus illi pro hoc jure promitteret, se Beneficium proxime vacaturum collaturum ejus filio. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Joannes obtinuit Beneficium mediante solutione præstita 100. imperialium; id ipsum confessus est, & etiam a censuris absolutus. An igitur tuta conscientia retinere potest Beneficium? Et si illud retinet, an facit fructus suos?

℟. Quamvis Joannes in confessionali absolutus fuerit a censuris, tenetur tamen absolute sub mortali renunciare Beneficio, utpote simoniace obtento, nisi a Superiore novam obtinuerit collationem Beneficii. Tenetur etiam ad restitutionem fructuum, quos suos facere non potuit. *Si aliquis scienter & propria sponte simoniace accipiat ecclesiasticum Beneficium*, ait S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. *non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis, sed etiam ulterius punitur.* Idem dicendum de eo, qui prorsus ignorans Simoniam obtinuit Beneficium simoniace v. g. machinationibus cujusdam tertii, ita ut nulla prorsus culpa obtinenti imputari possit: quo in casu non tenetur quidem restituere fructus bona fide jam consumptos; tenetur tamen restituere adhuc exstantes. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Victorius pater Petri obtenturus filio Beneficium, inscio filio obtulit pecuniam collatori Beneficii: elapso anno rescivit Petrus hanc Simoniam. An tenetur dimittere Beneficium, & novam provisionem Roma obtinere? an etiam censuras incurrit?

℟. Cum Petrus commissæ a suo patre Simoniæ non fuerit particeps, non incurrit censuras; ipsius tamen provisio nulla est, & tenetur dimittere Beneficium; non quia eo indignus est, sed quia titulus, quem ad illud habet, nullus est. *Ad hoc quod aliquis privetur eo quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus aquisitionis injustæ; puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest.* S. Thomas 2. 2. q 100 art. 6. ad 3. Interim non opus est, ut pro rehabilitatione Romam recurrat, hanc enim obtinere potest ab Episcopo, cum ipsemet non est Simoniæ reus. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Urbanus presbyter ordinatus est per Simoniam se inscio a patre suo commissam. Lapsu temporis id comperiens potestne absque peccato exercere actus Ordinum?

℟. Juxta D. Thomam l.° c. non potest exercere actus Ordinum. *Si vero*, ait S. Doctor, *eo nesciente nec volente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem Ordinis executione.* Ratio est; quia non potest licite retineri id, quod contra voluntatem Domini aquisitum est; sed cum aliquis Ordo mediante pecunia aquiritur, contra voluntatem Christi Domini aquiritur, qui expresse voluit, ut a suis ministris, qui sunt Episcopi, spiritualia gratis dispensentur. *Pontas.*

CASUS XL. Claudius legitimo ad quemdam Prioratum titulo jam per decennium gaudens alium Prioratum obtinuit simoniace. An ideo ipso jure utroque Beneficio privatur?

℟. Aliqui Doctores tenent quidem affirmativam. Videtur tamen defendi posse negativa; & quidem 1. Quia Bulla Pii V. in hac materia non facit expressam mentionem de hoc; dein cum privatio sit lex pœnalis, restringenda est ad proprium suum sensum. 2. Inhabilitas & irregularitas post legitime obtentum Beneficium incursa non inducit vacationem illius ante sententiam judicis. 3. Non est recedendum a jure antiquo, nisi novum jus statuerit quidquam contrarium 4. Constitutio Pii V. non obligat in foro interno nisi post sententiam judicis. 5. Cum agitur de lege pœnali, & lex non satis se explicat, benignius interpretanda est. Et demum 6. In dubio pœna in jure statuta non censetur incurri ipso jure ante sententiam judicis. *Pontas.*

CASUS XLI. Gerundius jamjam eligendus ad quoddam Beneficium erat, cum Joannes ipsius inimicus ex malitia dat aut promittit pecunias conferenti Beneficium pro Gerundio rei hujus inscio, ut tali modo ejus electio fiat simoniaca, & eo ipso reddatur indignus Beneficio. An tenetur renunciare Beneficio? Item posito, quod Gerundius sciat Simoniam Joannis, attamen se illi opponat, & nullo modo in eam consentiat, an tenetur dimittere Beneficium sic collatum?

℟. Juxta doctrinam S. Thomæ juste retinet Beneficium: *Tenetur resignare Beneficium*, ait l. c. *nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit: tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi forte postmodum pacto consenserit solvendo, quod fuit promissum. Pontas.*

CASUS XLII. Rollandus jam per triennium pacificus possessor est Beneficii occulta Simonia obtenti. Potestne uti privilegio *triennalis possessionis*? Et si illo uti non possit, & etiam dimittere teneatur Beneficium, an tenetur etiam ad restitutionem perceptorum fructuum Beneficii, cui per totum triennium sedulo inservivit?

℟. Quamvis *possessio triennalis* sub titulo colorato tollat omnes defectus, titulum reddentes illegitimum, juxta regulam *de triennali possessione*; excipitur tamen juxta eamdem regulam casus Simoniæ, utpote criminis nimium detestabilis, quam ut excusari aut tolerari possit. Rollandus igitur tenetur dimittere Beneficium, etiam si per plures annos illud possedisset, & insuper restituere perceptos fructus. *Pontas.*

CASUS XLIII. Si Episcopus sit Simoniæ occultæ reus, eoquod cuidam parochiam contulerit pro summa 500. florenorum, debetne recurrere Romam, aut ad Metropolitanum pro absolutione a censuris, & dispensatione ab irregularitate, vel potest absolvi & rehabilitari a suo confessario?

℟. Potest absolvi & rehabilitari a quocunque confessario, quem ipsemet in hunc finem elegerit. Ita Gregorius IX. in cap. *Ne pro dilatione.* fin. lib. 5 tit. 38. & Concilium Tridentinum sess. 2. c. 6. de reform. Idem jus etiam habet absolvendi, & rehabilitandi suos diœcesanos in tali casu, sive in propria persona, sive per alium presbyterum, cui id commiserit. *Pontas.*

CASUS XLIV. Hubertus diaconus commisit Simoniam, utpote intentionem habens 100. imperiales donandi pro obtinendo Beneficio. Verum hæc Simonia tantum erat mentalis, & executioni non fuit data. An nihilominus subjacet pœnis in simoniacos latis?

℟. Per Simoniam pure mentalem non incurruntur pœnæ in simoniacos latæ ; reus tamen est coram Deo. In foro externo igitur Hubertus non subjacet pœnis, quæ incurrerentur, si ipsius crimen Ecclesiæ esset notum. *Quoad Deum sola voluntas facit Simoniam*, ait S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6. *Sed quoad pœnam ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere.* Et hæc est praxis Pœnitentiariæ ac Rotæ. Sufficit ergo, si Hubertus coram Deo pœnitentiam agat de suo peccato. *Pontas.*

CASUS XLV. Evandrus dedit 20. aureos Bonaventuræ pro Capellania simplici : ast peracta pœnitentia de hoc crimine Roma obtinuit novam provisionem, & a censuris absolutus est. Bonaventura pari modo absolutionem obtinuit, & etiam Evandro dictos 20. aureos restituit. An ambo securi sunt in conscientia ?

℟. Non censentur esse securi : restitutio enim viginti aureorum non debuisset fieri Evandro, sed Ecclesiæ : huic enim tales restitutiones fieri oportet. Hinc si Evandrus negligat restituere hanc summam Ecclesiæ, Bonaventura eandem summam Ecclesiæ restituere tenetur. *Pontas.*

CASUS XLVI. Bercorius Religiosus oblata suis confratribus pecunia, emit eorum vota, ut Provincialis eligatur sui ordinis, quo etiam finem suum obtinuit. An ipso facto excommunicationem incurrit, licet Provincialatus non sit Beneficium ? .

℟. Haud dubie eam incurrit juxta Constitutionem Pauli II. 1464. Illius igitur electio ipso jure est nulla, & tenetur renunciare suo officio. *Pontas.*

CASUS XLVII. Valerius Clericus tonsuratus annos 25 natus, sciens Regem in collatione Beneficiorum illos aliis præferre, qui ipsi a servitiis sunt, emit munus Eleemosynarii, aut primarii Capellani Regii hoc fine, ut successu temporis obtineat aliquam Abbatiam. An non duplicem commisit simoniam, nimirum *realem*, emendo munus clericale, & etiam *mentalem*, dictum munus emendo hac intentione, ut suo tempore obtineat Beneficium ?

℟. Si munus Eleemosynarii consideretur secundum se abstrahendo ab intentione ementis, videtur illud emi posse, supposito quod nihil spirituale annexum habeat : verum hoc ipsum suppositum difficultatibus obnoxium est. Quod attinet emptionem hujus muneris relate ad finem, distinguendum est cum S. Thoma quodlib. 8. q. 6. art. 11. inter duas intentionum species, *principalem* nimirum, & *secundariam* : illi, qui

qui emptione talis muneris principaliter intendunt suis servitiis obtinere Beneficium, sunt æque simoniaci ac Canonicus, qui solum ideo se Officio præsentem sistit, ut distributiones aquirat, & talis simonia a S. Gregorio & S. Thoma vocatur *munus ab obsequio*. Verum si tali emptione principaliter intendatur digna executio hujus officii, non fiunt simoniæ rei emptione talis muneris, quamvis secundario etiam intendant obtinere Beneficium. His suppositis Valerius suam mentem examinet coram Deo, an emendo munus Eleemosynarii sciverit, se vi hujus muneris aquisiturum jus exercendi functiones spirituales aut ecclesiasticas, & an ipsius, intentio principalis fuerit, tali ratione obtinendi Beneficium. *Pontas.*

Nota, Circa ejusmodi intentiones potest una esse primaria ordine *appretiationis practicæ*, altera *affectionis* solum *speculativæ*.

CASUS XLVIII. Theotimus emere volebat officium Capellani ordinarii Principis; sed monitus, id absque simonia fieri non posse, a proposito destitit: quærit tamen, utrum antiqua ac generalis consuetudo, vi cujus absque scrupulo hujusmodi officia emuntur, non excuset a simonia. Quid respondendum?

℟. Capellani aulici tenentur missam celebrare coram Principe, idque vi officii sui; unde evidens est, Theotimum absque simonia non posse emere hoc officium, utpote pure ecclesiasticum. Idem dicendum de Clerico capellæ, cujus officium pariter est spirituale, consistitque in eo, ut sacerdoti celebranti serviat ad altare, ad quod obeundum tonsura indiget. *Pontas.*

CASUS XLIX. Theotimus confitetur, se commisisse simoniam emptione muneris Capellani Regii, & confessarius respondet, eum incurrisse *ipso jure* excommunicationem majorem; & propterea eum remittit pro absolutione obtinenda ad Episcopum. An confessarius bene respondit?

℟. Juxta S. Beuve tom. 2. casu 53. excommunicatio *ipso jure* est solum de jure novo statuta tanquam pœna simoniæ commissæ *in Ordine aut in Beneficio*, non vero pro simoniæ alio modo commissæ, ut in præsenti casu; hinc Theotimus non incurrit excommunicationem majorem ipso jure, nec ideo opus habet recursu ad Episcopum. Dein neque inhabilis propterea est ad hoc munus, quamvis simoniace obtentum, qualis tamen esset ad Beneficium, & exercitium Ordinis, si illud vel illum simoniace aquisivisset: jus enim in tali casu, uti præsens est, nihil de inhabilitate dicit. Sufficit ergo, si suo ordinario confessario confiteatur peccatum emptio-

ptione dicti muneris commissum, & de eo pœnitentiam agat. Per hanc responsionem tamen absit, ut præjudicetur censuræ latæ ab Urbano IV. ac corpori juris insertæ Cap. *Sane.* 1. Lib. 5. Tit. 1. Extrav. comm. *Tam dantes quàm accipientes hujusmodi excommunicationis sententiis eo ipso decernimus subjacere, a quibus (præterquam in mortis articulo) absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Pontas.*

CASUS L. Sylvester recepit presbyteratum oblata in hunc finem pecuniæ summa, & hoc crimen confessus est, ac ab eo absolutus. Poteftne celebrare missam absque scrupulo?

℟. Ut licite possit missam celebrare, haud sufficit confessio: per Simoniam enim incurrit excommunicationem majorem, suspensionem & interdictum, ut declaravit Paulus II. Cap. *Cum detestabile.* 2. Lib. 5. Tit. 1. Extrav. comm. Antequam igitur Sylvester absolvatur a peccato, absolvendus est a censuris. *Pontas.*

CASUS LI. Præses conferentiarum ecclesiasticarum diœcesis Rupellensis in prima conferentia proposuit hanc quæstionem: an Papa plenitudine suæ potestatis possit tollere omnem Simoniam, ita ut licitum reddatur ipsius authoritate & dispensatione, quod alias fieri non posset absque Simonia. Quid respondendum?

℟. Omnes Theologi in eo conveniunt, Papam non posse omni suæ potestatis plenitudine tollere omnem Simoniam; quia id, quod jure naturali & divino in puncto Simoniæ illicitum est, licitum reddere non valet: hoc tamen jure gaudet circa Simoniam, quæ est juris ecclesiastici. Jus naturale & Divinum fundatur in justitia naturali, & voluntate Divina a nullo hominum mutabili; jus vero humanum ecclesiasticum, aut civile solum fundatur in voluntate hominis legem ferentis, quæ utique mutationi obnoxia est. S. Thomas 1. 2. q 97. art. 3. c. *Pontas.*

CASUS LII. Nicasius & Ægidius, uterque Sacerdos, ambiunt officium Sacristiæ cujusdam ecclesiæ parochialis; cui tamen officio annexa est obligatio curæ infirmorum. Tandem Ægidius cum Nicasio convenit hoc modo, quod ipsi vellet procurare hoc officium hac conditione, ut sibi modicam pensionis, aut redditumm portionem relinquat. Quæritur 1. an peccarint per ambitionem, & 2. an Simoniæ sint rei, & 3. an censuras incurrerint?

℟. Non potest licite ambiri officium, cui annexa est administratio Sacramentorum. Hinc Nicasius & Ægidius, a peccato excusari non possunt. 2. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 6 c. eorum conventio est simoniaca. 3. Nec tamen incur-

curreront ullam pœnam canonicam; quia pœnæ contra simoniacos latæ de jure non incurruntur, nisi solum ab iis, qui Simoniam commiserunt *in Ordine* aut *in Beneficio*. *Pontas.*

CASUS LIII. Sabinianus parochus a Sylvio petenti, ut in vicarium reciperetur, petiit 60. aureos; & his solutis eum recepit. Numquid uterque Simoniæ reus est?

℟. Certum est, utrumque commisisse Simoniam: Paschalis Papa enim Can. *Si quis* 7. 1. q. 3. non solum condemnat eos, qui emunt Beneficium, sed etiam eos, qui emunt rem ecclesiasticam qualemcunque. *Pontas.*

CASUS LIV. Capitulum quoddam suscepit & suo aggregavit collegio duos Clericos supernumerarios contractu publico, nimirum, ut quam primum vacaverit locus in Capitulo, isti suo ordine succederent in præbendam vacantem, & de redditibus, emolumentis, & officiis participarent; hac tamen conditione, ut uterque in die suæ receptionis Canonicis solvat summam 100. flor. Quæritur jam 1. an iste contractus sit simoniacus. 2. an etiam simoniacus sit, si dicti 100. floreni pro augmento redditųum ecclesiæ fuerint exacti. 3. An Canonici dictos Clericos possint excludere a participatione omnium emolumentorum, redditųum, & officiorum suæ ecclesiæ ratione conditionis ipsis propositæ, & ab illis acceptatæ. 4 Posito quod dictus contractus sit simoniacus, an ideo præbendæ Canonicorum sint subjectæ devolutioni. 5 An etiam Beneficia, quæ isti Canonici postea consequerentur, subjaceant præfatæ devolutioni? 6. An, si contractus est simoniacus, sæpius memorati Clerici a Capitulo expellendi, & eorum locus in Capitulo pro loco vacante habendus sit.

℟. *ad* 1. Contractus, ejusdemque executio simoniaca est. Ratio est; quia incorporari cuidam ecclesiæ ad exercendas ecclesiasticas functiones cum jure succedendi in præbendam primo vacaturam est res pure spiritualis. *Ad* 2. Simoniacus foret contractus, etsi exacta pecunia cederet in augmentum redditųum ecclesiæ; quia nunquam licet vendere rem spiritualem, sub quocumque demum prætextu. *Ad* 3. Canonici dictos Clericos excludere possunt ab omnibus redditibus ecclesiasticis, utpote non nisi supernumerarios. *Ad* 4. Præbendæ Canonicorum non subjacent devolutioni; eo quod Simonia eorum non respiciat Beneficium. *Ad* 5. Idem dicendum de Beneficiis, quæ Canonici postea consequerentur. *Ad* 6. Duo Clerici expellendi sunt a Capitulo tanquam indigni, utpote recepti modo illegitimo, & con-

tractu *ipso jure* nullo; propterea tamen non sunt inhabiles ad Beneficia postmodum obtinenda. *Pontas.*

CASUS LV. Fabianus parochus pro administratione Sacramentorum recipit pecunias. Num Simoniam committit? Peccantne etiam dantes pecuniam?

℟. Juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 1. C. absque Simonia Sacramenta non possunt conferri pro pecunia: qui enim dispensat Sacramenta, non est eorum dominus, sed solum minister; nec gratia est pretio æstimabilis: & hinc Sacramenta gratiæ pro pecunia venalia exponere simoniacum est. Hoc non obstante potest citra Simoniam quidpiam recipi in sustentationem eorum, qui ministrant Sacramenta; idque legibus Ecclesiæ, ac recep'æ approbatæque consuetudini conforme est, ut idem S Doctor advertit 2. 2. q. 100. art. 2. C. Hinc si Fabianus consuetam pecuniam ut justam recompensationem ministerio suo debitam recipiat, Simoniam non committit. Idem dicendum de stipendio, quod pro missa offertur, ut docet idem angelicus Doctor 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6. Ex eadem ratione parochus pro benedictione nuptiali licite recipit, quod a consuetudine vel ab Episcopo determinatum est; maxime cum matrimonium etiam considerari possit ut contractus civilis & officium naturæ. *Pontas.*

CASUS LVI. Jacobus parochus infantem baptizare recusat, nisi prius sibi solvantur consueta pro baptismo. An absque Simonia dari potest, quod petit? Et si non potest, an in tali casu infans baptizari potest a laico primum obvio, etiam in præsentia parochi?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 2. ad 1. Cum non liceat dare pecuniam tanquam pretium Sacramenti baptismi, in præsenti casu idem agendum est, ac si parochus præsens non esset; hinc si infans baptizandus in periculo mortis versaretur, baptizari deberet a primo occurrente, etiam præsente parocho: si vero omne periculum abesset, recurrendum prius foret ad Superiorem. Addit S Doctor in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. q. 5. ad 2. *Posset tamen licite aquam a sacerdote emere, quæ est purum elementum; quia aqua non est sacrum quid: sed & si sit sanctificata, non operatur ad baptismum de necessitate ejus existens, quasi sanctificata, sed quasi aqua; & ideo non emit aquam sanctificatam, sed aquam.* *Pontas.*

NOTA. Parochi tenentur prompte administrare Sacramenta, quin anticipato possint exigere consueta, primum subsequenter pro eorum sustentatione contribui solita.

CA-

CASUS LVII. Riberius presbyter, cui a diœcesano Episcopo commissum erat absolvere Fabium a censuris, ante absolutionem ab eo exegit quamdam pecuniæ summam. Estne Simoniæ reus?

℞. Haud dubie Simoniæ reus est, si hanc summam exegerit pro gratia absolutionis; si vero eam exegerit tanquam mulctam pecuniariam, ad quam Fabius tenetur ob suum peccatum, non commisit Simoniam. S.Thomas. 2. 2. q.100. art. 2. ad 2. Interim S. Doctor hanc praxin non esse approbandam docet.

CASUS LVIII. PolichroniusEpiscopus, a suis diœcesanis pro qualibet dispensatione, quam eis concedit, exigit imperialem, quandoque etiam plus. Potestne id facere absque Simonia?

℞. Absque Simonia pro concessione dispensationis non potest quidpiam exigi. *Pro certo statuendum est*, ait Cabassutius L.5. c.6.n.5. *nihil posse exigi vel dari in pretium dispensationis, nec summo ipsi Pontifici; cum dispensatio sit actus ecclesiasticæ & spiritualis potestatis, quæ non potest citra Simoniam juri divino oppositam pecunia compensari.* Concilium Tridentinum prohibet Episcopis quidquam recipere pro dispensationibus. Nihilominus dispensationem petentibus licet imponere taxam ad præscripum rationis & æquitatis compositam, applicandam tamen in utilitatem ecclesiæ, aut subsidium pauperum. *Pontas.*

Nota. Hic modus loquendi: exigi aliquid *pro dispensationibus*, est scandalosus: dicendum potius; exigi solutionem *taxæ* pro sustentatione ministrorum & tribunalium. Ponere autem taxam invitis pro subsidio pauperum vel ecclesiæ nec decet nec licet. Mos iste, ubicunque viget, est prorsus abolendus: neque enim actus ordinis, vel jurisdictionis ecclesiast. ultra sustentationis congruæ subsidia sub tributo poni decet.

CASUS LIX. Sanctius Doctor Theologiæ ab Episcopo ad examinandos Clericos ad parochias aspirantes constitutus, sæpe recepit ab examinatis imperialem in compensationem temporis & laboris a se impensi. An reus est Simoniæ?

℞. Absque Simonia nec ante, nec etiam post examen recipere potuit pecuniam istam; immo juxta Concilium Tridentinum commisit Simoniam realem. *Caveantque examinatores*, inquit Concilium, *ut quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante nec post accipiant: alioquin Simoniæ vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant; & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Pontas.*

NOTA. Episcopus habens pingues redditus tenetur ex suis redditibus constituere sufficientis numeri idoneos ministros. Væ illis in judicio Dei, qui redditus episcopales in usus profanos insumunt, & ministris congrua salaria non præbent, sicque eos ad quærendas ejusmodi sordidas sportulas cogunt.

CASUS LX. Eustratius presbyter calicem habens, cujus pretium est 105. florenorum; & hunc vendidit Hieronymo pro 115. florenis, quia consecratus est, & si consecratus non esset, Hieronymus iter decem leucarum suscipere deberet, ut consecrationem ejus procuraret. Estne hæc venditio simoniaca?

℞. Eustratius commisit Simoniam, & quidem realem jure divino prohibitam. *Vasa sacra*, ait S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 3. ad 1. *nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exigatur. Pontas.*

CASUS LXI. Calippus obtenturus Reliquiarium argenteum Sanctorum reliquiis refertum, quod Nutelius possidet, dedit ei pro illo duos aureos. An hæc venditio simoniaca est?

℞. De hac venditione idem dicendum quod prius dictum est de venditione sacrorum vasorum: absque Simonia pro talibus rebus non potest recipi aut donari nisi justum pretium ipsius materiæ. Interim tamen Doctores in eo generaliter conveniunt, quod nimirum liceat emere reliquias ab hæreticis vel ethnicis, ut eæ manibus infidelium eripiantur. *Pontas.*

CASUS LXII. Germana recepta in monasterium valde opulentum debuit pro expensis in novitiatu factis solvere dicto monasterio 115. florenos. An non intervenit Simonia?

℞. Non intervenit Simonia: Novitius enim aut Novitia non habet jus exigendi sustentationem suam expensis monasterii, etiamsi divitis. Concilium Tridentinum Sess. 25. *de regular. & monial.* c. 18 dum prohibet ante professionem aliquid recipi, excipit expensas pro novitiatu factas. *Pontas.*

CASUS LXIII. Auberga susceptionem in monasterium Ordinis S. Bernardi petens recepta est a Superiorissa & tota communitate, quæ tamen cum ipsius patre istum inire contractum: 1. Ut ultra pensionem 50. florenorum pro novitiatu teneatur pater etiam solvere expensas in medicum, & medicamenta, si forsan durante novitiatu ægrotaret filia. 2. Si tempore novitiatus ipsius filia moreretur, alios 150. florenos solvat pater pro expensis in infirmitate filiæ factis, & pro funeralibus. An hic contractus simoniacus est?

℞. Iste

℟. Iſte contractus abſolute immunis eſt a ſimonia, cum in nullo puncto reſpiciat receptionem Aubergæ ad profeſſionem ſolemnem in religione. *Pontas.*

CASUS LXIV. Petronilla aſpirans ad monaſterium valde opulentum obtulit Superiorifſæ omnia ſua bona, nimirum fundum, cujus annui redditus ſunt 500. floreni; & conſenſu unanimi recepta eſt in monaſterium, & finito novitiatu admiſſa eſt ad profeſſionem ſolennem. An intervenit in hoc caſu ſimonia?

℟. Si intentio Petronillæ, & eam recipientium pura, juſta & recta ſit, non intervenit ſimonia; Eccleſia enim nunquam prohibuit monaſteriis accipere quidquam voluntarie oblatum ab iis, qui religionem ingredi cogitant. Verum perſonæ, quæ tales donationes faciunt, non poſſunt ſtipulari, ut oblationes a ſe factæ ſequantur profeſſam in alium forſan conventum poſt profeſſionem mittendam. *Pontas.*

CASUS LXV. Euprepia Novitia ad profeſſionem non eſt admiſſa, niſi promiſſa ſumma 1000. imperialium, quam etiam ſolvit. An commiſit ſimoniam?

℟. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 7. ſi monaſterium non habeat ſufficientes opes ad ſuſtentandas plures profeſſas, tunc poteſt exigi a profeſſuris aliqua pecunia, non ratione profeſſionis quod foret ſimoniacum, ſed ut habeat monaſterium, unde eas ſuſtentare poſſit. Hoc ſuppoſito hujus puellæ ingreſſus in religionem eſt ſimoniacus, ſi monaſterium aliunde bona poſſideat ſufficientia ad ſuſtentandas plures profeſſas, & tamen petitos 1000. imperiales ſolvit, ut clare deciſum eſt in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. Cap. *Quoniam.* 40. Lib. 5. Tit. 3. Obſervandum hac in re 1. quod omnes Superiorifſæ monialium, ſive earum monaſteria ſint exempta ſive non, teneantur figere numerum monialium ad proportionem redditaum & eleemoſynarum, quas annuatim percipiunt, & ex quibus honeſte pro decentia ſtatus ſui vivere poſſunt, ut in pluribus Conciliis conſtitutum eſt, maxime Arelatenſi de anno 813. 2. Ut ſanum de paupertate vel opulentia monaſterii judicium ferri poſſit, deducendæ ſunt omnes expenſæ ſuperfluæ non ſolum in ædificia, ac commoditates inutiles, ſed etiam in cibum & potum, in mobilia domus & ſacriſtiam; etſi hisce deductis ſolum remanent neceſſaria ad nutritionem ac ſuſtentationem jam receptarum, nec ſuperſit, unde monaſterium alere poſſit de novo ingreſſum petentes, vere dici poteſt, monaſterium eſſe pauper; quod tamen hisce deductionibus non factis certo

to dici non poteſt. Hac computatione ponderata ſi vacat locus, non poteſt admiſſio denegari puellæ ingreſſum petenti, etiamſi nec ullam dotem nec penſionem ſecum ferret. Si vero numerus monialium, quæ ex redditibus monaſterii ali poſſunt, jam ſit completus, & puella recipi petat ut ſupernumeraria, non datur obligatio eam recipiendi, poteſtque Superioriſſa, etiam inconſulta communitate ipſi dare repulſam, niſi offerat ſufficientem penſionem vitalitiam, ne monaſterio ſit oneri. Dicitur, *vitalitiam*; quia juxta D. Thomam 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. ſimoniacum foret exigere nimis amplam aut omnino perpetuam. Denique ut tuta conſcientia quantitas penſionis determinari poſſit, inſpiciendæ ſunt rationes præteritorum annorum, id eſt, expenſæ annis præteritis factæ in quamlibet monialium decenter ſuſtentandam. *Pontas.*

CASUS LXVI. Dionyſius dedit 1000. imperiales, qui ab eo exigebantur, ut ad profeſſionem admitteretur in quodam monaſterio ſufficientibus redditibus vi fundationis prædito; cujus tamen varia ædificia valde reparatione indigebant, ad quam faciendam dicta ſumma deſtinata erat. Dionyſius igitur bona fide agens ab omni peccato ſe immunem eſſe credidit, præſertim cum ſciret, neminem in dictum monaſterium admitti, niſi ſecum dotem aliquam afferret, & etiam in aliis monaſteriis talem eſſe praxin. An ſimoniæ reus eſt non obſtante bona fide?

℟. Dionyſium bona fides, quæ in conſuetudine hujus & aliorum monaſteriorum, & neceſſitate faciendæ ædificiorum reparationis nitebatur, excuſat a peccato mortali, conſequenter etiam ab excommunicatione majori. *Anathema eſt æternæ mortis damnatio*, ait Concilium Meldenſe de anno 845. Can. *Nemo*. 41. 11. q. 3. *& non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi. Pontas.*

Nota. Ingens diſcrimen faciendum eſt inter monaſteria Ordinum clericalium pro directione animarum in parochiis, ſeminariis, cathedris, profeſſuris, miſſionibus, confeſſionalibus &c. fundatorum, & inter monaſteria religioſorum maxima parte ſibi ſolis & Deo vacantium. Peccant mortaliter, qui in monaſterio, vel Ordine clericali intuitu emolumenti temporalis dant votum Novitio ad functiones clericales parum habili præ eminenter aptiore.

CASUS LXVII. Domitilla Novitia ante profeſſionem rogabat patrem, ut de ſua dote cum monialibus tractet. Pater aliquam pecuniæ ſummam obtulit monialibus, quæ tamen cum illum opulentum eſſe virum noſſent, & eum maxime deſiderare, ut filia monialis fiat, ſcirent, non ſolum

obla-

oblatam summam non acceptarunt, sed etiam duplo majorem, quam alias exigi solebat, exigunt dotem. Pater Domitillæ perbene scit, dictas moniales incursuras simoniam ac mortaliter peccaturas, si petita reciperent. An & ipsemet sese reum faceret simoniæ, si nihilominus exactam daret summam?

℞. Sacri Canones simoniacum in religionem ingressum prohibentes tam dantes quam accipientes pecuniam simoniæ reos declarant, cujus etiam ambo coram Deo rei sunt. Hinc patet, patrem una cum monialibus, si dictam summam daret, fore simoniæ reum. *Pontas.*

CASUS LXVIII. Ambrosius plurimum valens apud Gustavum primarium Aulæ ministrum, magna apud Regem authoritate pollentem, rogat eum, ut suæ filiæ receptionem in monasterium, aut filio suo Abbatiam, ad quam nominandi jure Rex gaudet, procurare vellet, ipsique satis aperte indirecte innuit, se ipsi donaturum quamdam imaginem pictam 200. aureis æstimatam, quam cupide appetit. Gustavus votis Ambrosii satisfecit, & dictam obtinuit imaginem. An tuta conscientia imaginem acceptare potuit Gustavus? Et si non potuit, teneturne eam restituere Ambrosio?

℞. Utriusque agendi ratio est simoniaca; quia intercessit inter eos pactum saltem tacitum, per oblationem picturæ ab Ambrosio factam, & a Gustavo acceptatam executioni datum. Hinc Gustavus tenetur restituere picturam aut justum ejusdem valorem, non Ambrosio, qui per simoniam jure suo excidit, sed pauperibus aut ecclesiæ, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. De cætero notandum, quatuor modis committi posse simoniam. 1. A conferente Beneficium & eo, cui confertur; si nimirum hic collatori dat pecuniam, aut aliud æquivalens, ut sic ab eo obtineat Beneficium. 2. Quando collator confert Beneficium pro pecunia, aut alia re temporali, quam recipit a quodam tertio, etiam inscio eo, cui Beneficium confertur. 3. Committitur simonia a solo obtinente Beneficium, si etiam inscio collatore offert pecuniam aut temporale quid cuidam tertio, qui procuravit sibi Beneficium. 4. Denique quando amicus aut consanguineus impetrantis Beneficium dedit pecuniam aut aliud temporale amico vel consanguineo collatoris. *Pontas.*

NOTA. Cum intercessio ministri ad Regem se habeat per modum precationis pauperum ad Deum, non videtur, Ambrosium esse simoniæ reum. Vide *Casum sequentem.*

CASUS LXIX. Justina habens actionem in judicio, cum tempus ferendæ sententiæ instaret, quibusdam pauperibus, in quorum pietate confidebat, erogavit eleemosynas hac conditione, ut Deum quotidie pro felici successu suæ actionis precentur. An in hoc casu aliqua datur species simoniæ?

℟. Certum est juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 9. cum oratio sit quidquam spirituale, eam pretio pecuniæ nec emi nec vendi posse: nihilominus tamen potest aliquis elargiri eleemosynam alicui alteri, ut ejus particeps fiat orationis: eleemosyna enim, quæ datur pauperibus, non ideo datur, ut oratio quasi ematur; sed ut animus pauperum provocetur, ut gratis, & libentius orent pro elargiente eleemosynam, ut idem S. Doctor advertit 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3. Justina igitur nullam prorsus in hoc casu commisit simoniam. *Pontas.*

CASUS LXX. Balduinus judex convenit de quadam pecuniæ summa, eamque recipit pro ferenda sententia. An reus est simoniæ? An idem dicendum *de teste*, qui pro suo deponendo testimonio pecuniam recipit; aut de *Advocato* pro defensione causæ, & dato consilio pecuniam exigente?

℟. Judex tenetur *ex officio* judicium ferre, & reddere justitiam, cui illa debetur; hinc Balduinus, si judex est in spiritualibus, absque simonia non potuit vendere suum judicium. 2. *Testis* tenetur in conscientia deponere testimonium, si ad id judicialiter est requisitus, qua propter simoniæ reus est, si in spiritualibus testimonium suum vendat. 3. *Advocatus* non tenetur causæ gratis præstare suum patrocinium, aut dare consilium, ut docet S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 9. Nihilominus juxta eundem S. Doctorem 2. 2. q. 71. art. 4. ad 3. potest testis juste aliquid petere, non ut pretium pro testimonio & asserta veritate, sed ut salarium pro itinere & impenso tempore: *Testes accipiunt*, ait, *non quasi pretium testimonii, sed quasi stipendium laboris, expensas vel ab utraque parte vel ab ea, a qua inducuntur; quia nemo militat stipendiis suis unquam, ut dicitur* 1. *Cor.* 9. *Pontas.*

CASUS LXXI. Quidam Nobilis rusticum quemdam urgebat, ut fundum suum conduceret, addito promisso, filium ipsius spem habiturum obtinendi Beneficii proxime vacaturi, si pretium conductionis, quod petit, solvat.

℟. Uterque simoniæ reus est, Nobilis & agricola, imo & filius ipsius, si conventionis hujus notitiam habuit, &, antequam Beneficium consequeretur, in eandem consensit. Si autem filius rem plane ignoravit, nec excommunicatio-

nem

nem nec cæteras pœnas incurrit ; licet ejusdem provisio fit nulla, & ad omnium fructuum perceptorum, in quantum inde ditior evasit, restitutionem teneatur. *Fromageau.*

CASUS LXXII. Canonicatus vacans in quadam cathedrali ecclesia promissus est cuidam hac conditione, ut duas Capellanias, quas habet, resignaret alii, qui, cum sit *graduatus*, jus habet ad dictum canonicatum.

℞. Ista conditio simoniaca est ; interim nominatus ad hunc canonicatum potest eum retinere, si, dum ejus possessionem sumpsit, conditionem præfatam ignoravit ; duas tamen suas capellanias non debet dimittere : hoc enim idem esset, ac factam conventionem approbare. *Fromageau.*

CASUS LXXIII. Possuntne fieri fundationes conditionatæ ?

℞. Jure ecclesiastico rejiciuntur tanquam simoniacæ ; hinc etiam permissæ non sunt. *De Lamet.*

NOTA. Si in conditionem veniat pactio curæ animarum episcopalis, aut pastoralis, recte rejicitur tanquam simoniaca jure divino. Si autem pactio versetur circa Beneficium simplex, simonia est tantum Juris ecclesiastici, dispensabilis ab Episcopis ultramontanis. Vide cas. 25.

CASUS LXXIV. Sigardus parochus scit, collatorem parochiæ sperare ac præstolari pro collatione aliquam remunerationem. Potestne parochus absque simonia indirecte innuere, eam se facturum ?

℞. Neutiquam id signo etiam obscurissimo indicare potest ; imo quamvis hæc collatoris præstolatio primum post collatum jam Beneficium parocho innotuisset, nec tunc aliquam ipsi remunerationem offerre posset, ne simoniacæ collatoris intentioni assensum præbere videatur. *Fromageau.*

CASUS LXXV. Asterius fundavit capellam, aut saltem ad ejusdem fundationem ac dotationem multum contribuit hac conditione, ut primus titulum ad eam obtineret. Estne simoniæ reus ?

℞. Cum Asterius dederit temporale, ut consequeretur spirituale, absque dubio simoniam, & omnes pœnas in simoniacos latas incurrit. *Fromageau.*

CASUS LXXVI. Potestne tuta conscientia ambiri dignitas ecclesiastica, cui annexum est imperium temporale independens ?

℞. Nunquam licet ambitione querere dignitates sive sæculares sive ecclesiasticas, etiamsi istæ solum ambiantur intuitu

tu imperii temporalis annexi. Simoniacum quoque eſt emere vota electorum ad ejusmodi dignitatem parata pecunia, aut electores in ſuas partes trahere per promiſſiones penſionum, Beneficiorum, aut aliorum commodorum temporalium. *Fromageau.*

CASUS LXXVII. Petrus Religioſus cujusdam monaſterii, cui plura annexa ſunt Beneficia, quæ Religioſis presbyteris ſecundum ætatem obtenti presbyteratus conferri ſolebant, promiſit, ſe ſoluturum debita, queis quoddam horum Beneficiorum premabatur, hac conditione, ſi illud obtenturus eſſet; prout & aſſentientibus Abbate ac conventu obtinuit. An non ſimoniaca eſt hæc collatio?

℟. Simoniaca eſt; & ab hac labe conſenſus Abbatis ac conventus Petrum nequaquam purgare poterit. *De Lamet.*

CASUS LXXVIII. Capitulum quoddam eccleſiæ collegiatæ oretenus declaravit, ſe in gremium ſuum ut privilegiatos recepturum omnes filios eorum, qui centum imperiales ad reparandam eccleſiam contulerint, ita ut iisdem proventibus, diſtributionibus, privilegiis, ac juribus frui poſſint, quibus fruuntur jam incorporati. An hæc agendi ratio non eſt ſimoniaca?

℟. Certum eſt, & Capitulum promittendo, & eos, qui centum imperiales pro incorporatione offerebant, ſimoniam commiſiſſe; ita ut Capitulum ſummas acceptas, & admiſſi omnes proventus perceptos reſtituere, ac in pia opera conferre teneantur. *De Lamet.*

CASUS LXXIX. Paulus permutaturus parochiam ſuam cum parochia Joannis, quam permutationem & Epiſcopus vehementer peroptat, imo & jubet, ſuſpicionem capit, Joannem ſimoniace, ac conſequenter nulliter obtinuiſſe parochiam ſuam; id quod quidem ex rumore publico, convincenter tamen ac judicialiter probare non poſſet. An hoc non obſtante tuta conſcientia Paulus permutare poteſt?

℟. Juſſu Epiſcopi hæc permutatio fieri poteſt; inſtituenda tamen eſt in Curia Romana cum declaratione ſuſpicionis de Simonia. Curandum inſuper eſt, ut proviſionibus inſeratur hæc clauſula: *aut alio quovis modo vacet. Fromageau.*

CASUS LXXX. Seminarium quoddam cum non haberet eccleſiam propriam ad officia divina celebranda, a Capitulo Canonicorum ejusdem loci aliquam emere cogitavit, qua Canonici habentes eccleſiam noviter extructam non amplius indigebant. Poteſtne absque Simonia fieri hæc emptio?

℟. In

℟. In hac emptione ac venditione nil reperitur, quod de se malum sit, aut quod sacris canonibus adversetur; hinc cum finis hujus emptionis sit cultus divinus, ac celebratio sacrorum mysteriorum in hac ecclesia perficiendorum, ea omnino vendi ac emi potest; dummodo interveniat authoritas Superioris. Cavendum tamen, ne ex eo, quod ecclesia & locus sacer sit, majori pretio vendatur, ac ipsa structura valet, abstrahendo a consecratione, maxime cum ex ipsa hac ratione consecrationis minoris aestimanda sit; quia non nisi ad peculiarem ac determinatum usum adhiberi potest. *Fromageau.*

Nota. Valorem ecclesia non habet nisi quoad materialia applicabilia & vendibilia in commercio humano ad usus profanos. Cum ergo materialia ecclesiæ veteris a benefactoribus structæ ante eorum execrationem eam venalitatem in commercio humano non habeant, vendi non possunt absque turpitudine reducibili ad quandam speciem Simoniæ.

CASUS LXXXI. Pinnius consanguineus fundatoris cujusdam capellæ, ejusdem redditus augere proponit, hac tamen conditione, ut ii, penes quos ad eam nominandi jus est, patronatum capellæ sibi cedant. An non vitiosum est hoc propositum?

℟. Conventio isthæc simoniaca est: Episcopus tamen ipsi concedere potest id, quod petit. Pro majori vero securitate recursus ad summum Pontificem suadetur, cui exacte explicandæ erunt omnes circumstantiæ. *Fromageau.*

CASUS LXXXII. Sara Abbatissa resignatura Abbatiam suam pensionem petit, quæ tamen non ex redditibus Abbatiæ aliunde valde tenuibus, sed ex summa pecuniæ, quam resignataria in perpetuum datura est monasterio, desummenda foret. An id absque Simonia fieri potest?

℟. In casu resignationis nunquam potest constitui pensio, quæ ex Beneficii resignati bonis non sumatur. Tota hæc conventio est simoniaca; quia pro pecunia Beneficium daretur. *De Lamet.*

CASUS LXXXIII. Petrus Beneficium suum resignavit simoniace; conditiones vero resignationis Romæ non fuerunt acceptatæ. An hoc non obstante incurrit pœnas simoniacorum?

℟. Non incurrit; resignatio est irrita, & perseverat adhuc esse titularis sui Beneficii, ut antea. *Fromageau.*

CASUS LXXXIV. Quoddam Capitulum retinet partem redituum ex Beneficiis, ad quæ jus nominandi habet.

℟. Tuta conscientia non potest id facere, nec etiam potest obligare parochos ad canendas Canonicorum loco horas canonicas; hinc qui sub tali conditione conferunt, vel acceptant Beneficia, incurrunt pœnas contra simoniacos in jure latas. *Fromageau.*

Nota. Si talia Beneficia fuerunt olim incorporata Capitulo jam ante leges de Simonia juris ecclesiastici, cum assensu Episcopi possunt pensiones ab immemoriali tempore consuetæ continuari titulo reservationis. Vide *Casum* 28.

CASUS LXXXV. Alexius Clericus per sex annos Instructorem egit filiorum cujusdam nobilis eo animo, ut in recompensationem Beneficium obtineat.

℟. Coram Deo Simoniæ reus est, & tenetur aut dimittere Beneficium, aut procurare novam provisionem, & absolutionem a censuris, quas incurrit. *Fromageau.*

Nota. Hoc verum est, si competens salarium non accepit. Si autem hoc accepit, non est reus Simoniæ ob concomitantem spem beneficii ex propiori notitia Patroni de suis talentis.

CASUS LXXXVI. Titius Beneficii resignationem offert Mœvio hac conditione, ut resignatarius possessionem Beneficii non capiat ante certum tempus, ut interea resignans ejusdem redditus percipere possit. An non simoniaca est hæc resignatio?

℟. Est simoniaca: id enim nil aliud foret, quam pro re spirituali temporalem dare. Ad hæc quodvis pactum in re beneficiaria prohibetur. *Fromageau.*

CASUS LXXXVII. Krisius Abbas redditus Abbatiæ suæ locavit patri suo. An id licet?

℟. Si finis locationis fuerit, ut pater exinde lucrum percipiat, locatio isthæc simoniaca est: Abbas enim nec partem redituum sui Beneficii donare potest alicui consanguineorum suorum, nec etiam pensionem ad dies vitæ statuere. Verum si pater dudum factam locationem usque ad tempus stipulatum absolute continuare velit, reverentiæ filialis gratia Abbas potest connivere: interim tamen locationem renovare ipsi haud licet. *Fromageau.*

CASUS LXXXVIII. Crispus resignatarius mediante summa pecuniæ a resignante obtinuit licentiam capiendi possessionem resignati Beneficii. An id non est simoniacum?

℟. Est

℞. Est simoniacum; & solus Papa resignationem cum clausula, *retentis fructibus* permittere ac firmare potest. *Fromageau.*

CASUS LXXXIX. Titius permutavit Beneficium suum, & sub prætextu variarum reparationum in domum beneficialem factarum convenit cum conpermutante de solvenda sibi pecuniæ summa. An id citra Simoniam fieri potest?

℞. Permutatio hæc est simoniaca. Simoniaca pariter foret permutatio, si conpermutanti promittatur Beneficium aliud necdum vacans. *De Lamet.*

Nota. Hæc Simonia tantum est juris ecclesiastici, & ideo dispensabilis per Episcopos saltem ultramontanos.

CASUS XC. In quadam ecclesia cathedrali viget peculiare statutum nunquam ex resignatis præbendis pensionem sibi retinendi. Ad constitutionem hanc eludendam Canonicus resignat Beneficium suum cum reservatione pensionis, addito pacto expresso vel tacito ante aditionem Beneficii pensionem redimendi. An nulla intervenit Simonia?

℞. Resignatio hæc est simoniaca; & ille, qui hac ratione canonicatum obtinuit, si notabili authoritate nixus Simoniam non intervenire existimavit, tenetur restituere fructus perceptos necdum consumptos, & pro nova provisione ad Episcopum recurrere. Si vero ignorantia illius voluntaria fuit, agendum cum eo est tanquam cum vero simoniaco. *De Lamet.*

CASUS XCI. Titius parochus ob temporale commodum redundaturum in fratrem suum revocavit resignationem parochiæ factam a se in favorem cujusdam suorum nepotum. An commisit Simoniam?

℞. Nec Titius potuit revocare resignationem, nec nepos absque Simonia promittere pecuniam, ut facta in favorem suum resignatio denuo vigorem suum recuperaret. Uterque pœnas in simoniacos latas incurrit. *De Lamet.*

CASUS XCII. Sosimius parochus convenit cum quodam laico de resignatione parochiæ in favorem filii ipsius facienda, si pater solvat 50. florenos pro structura quadam in domo parochiali erecta. An id simoniacum?

℞. Parochus Simoniam commisit una cum laico, si hic dictam summam persolvit, nec enim ignorantia excusat. Filius, si conventionis hujus conscius ab Episcopo confirmationem petiit, pariter simoniæ reus est. Resignans & resigna-

tarius incapaces sunt ad quævis Beneficia obtinenda, nisi Romæ rehabilitati fuerint. *De Lamet.*

NOTA. Simonia hæc denuo juris tantum ecclesiastici esse videtur, circa quam dispensare possunt Episcopi ultramontani.

CASUS XCIII. Clarius sollicitat pro optinendo Beneficio, cujus titularis in articulo mortis constitutus est. Num bene?

℟. Id non licet, ne detur occasio Beneficiati mortem optandi, cui quis successurus est. Multo minus potest promitti servitium aut obsequium illi, qui alteri Beneficium procuraturus est etiam habili ac summe idoneo. Beneficio, quod cantum requirit, ille cæteris dignior habendus est, qui ob perfectam cantus scientiam magis promoturus est utilitatem ecclesiæ, in qua ejusmodi Beneficium vacat. *Fromageau.*

CASUS XCIV. Antherus Clericus provisus est Beneficio per resignationem alterius, qui ad illud jus non habebat; eo quod id per fraudem & Simoniam obtinuerit. An Antherus vere Titularis est?

℟. Non est Titularis, nisi Romanæ provisioni clausula inserta sit: *Quovis modo vacet.* Restituendum est Beneficium illi, qui ad id a collatore nominatus fuit; dummodo & ab isto non fuerit pravis artibus obtentum. Si nemo ad illud jus habet, tunc actualis ejus possessor illud resignare potest subjecto digno. *De Lamet.*

CASUS XCV. Chremes parochus vendit administrationem Sacramentorum, & depositiones mortuorum; ac pro testimoniis baptismatis, confirmationis, obitus &c. nimias exactiones facit. Peccatne?

℟. Quoad primum reus est Simoniæ, & quidem juris divini. Quoad alterum peccatum avaritiæ ac veri furti committit: non enim licet parocho plus exigere, quam quod per constitutiones diœcesanas & consuetudinem taxatum est. Sic pro attestato baptismatis &c. sine gravissimo peccato non potest recipere triginta crucigeros, ubi vi constitutionum aut consuetudinis solum duodecim aut quindecim solvendi forent. A confessario deneganda est ipsi absolutio, nisi injustas ejusmodi exactiones restituat. *De Lamet.*

CASUS XCVI. Cassaltius obtento in Curia Romana Beneficio regulari cum clausula, *pro cupiente profiteri*, novitiatum ingreditur. Antequam autem ad professionem admittetur, petunt Religiosi, ut scripto declaret, se nec victum

nec

nec vestitum unquam a monasterio petiturum. An id fieri potest?

℟. Aperta hic intervenit Simonia: Religiosi enim tribuunt Cassaltio rem spiritualem, characterem scilicet religiosi Ordinis per professionem ea conditione, ut victus ac vestitus a monasterio petendi juri renunciet, quod temporale est. *Fromageau.*

CASUS XCVII. Petrus pingue suum Beneficium cum Beneficio Pauli valde tenui permutare cogitat: varias autem Paulo conditiones adimplendas proponit. Licetne hoc?

℟. Omnis permutatio, quæ sub conditione fit, Simoniam continet vel juris ecclesiastici vel divini; & juris divini quidem, cum in permutatione exigitur aliquod commodum temporale, ita ut sine illo permutatio non fieret. *De Lamet.*

CASUS. XCVIII Marianus presbyter a duobus conpatronis promissum præsentationis ad parochiam oretenus jam obtinuit. Verum ut promotio ipsius sit honorificentior, & tertium lucraturus donis egit. An licite?

℟. Manifestam commisit Simoniam: dedit enim temporale pro re pure spirituali, quod semper simoniacum est. Motivum quod habuit Marianus, ut scilicet præsentatio ipsius sit honorificentior eum non excusat: nam, licet duo conpatroni vota sua ipsi promisferint, fieri tamen potuisset ut alteruter animum mutaret; & hinc dum votum tertii mediantibus donis lucrari studuit, per rem temporalem nominationem sui ad parochiam certam reddidit, quod absque Simonia fieri non potuit. C. B.

CASUS XCIX. Polianus presbyter durante vacatura Beneficii multis mirisque modis per varia servitia ac obsequia sibi devincire studuit amicum Patroni, ut sic suam commendaret notamque faceret habilitatem. An Simoniæ argui potest?

℟. Distinguendum est: aut enim præcise intendit laudem suæ habilitatis, aut eam intendit eo fine, ut nominetur ad Beneficium. Si primum, juxta communem Doctorum sententiam non committit Simoniam; quia ejusmodi laudatio de se est quid temporale, & consequenter dedit temporale pro temporali. Si secundum, tunc juxta eorundem Doctorum opinionem Simoniæ se reum constituit; quia laudem quærere ea intentione, ut nominetur ad Beneficium, idem est, ac dare temporale pro spirituali. C. B.

No-

Nota. In dubio præsumendum est, quod ejusmodi agendi ratio omni peccato careat, & solum fiat ad ingenerandam clariorem de suo talento notitiam.

CASUS C. Orsius parochus, pingue admodum possidens Beneficium, doctrina catechetica solum infantes divitum imbuere solet; a quorum parentibus singulis mensibus offeruntur munuscula, neglectis pauperibus. Estne simoniacus?

℞. Si quædam conventio sive expressa sive tacita intervenit parochum inter & parentes, Simoniæ reus est; quia munuscula recipit tanquam pretium rei spiritualis. Si vero nullum intercessit pactum, nec expressum nec tacitum, non est simoniacus; licet peccet gravissime in re summi momenti negligendo ea, quæ per se sunt annexa muneri parochiali. C. B.

SIMONIA CONFIDENTIALIS.

1. *Simonia Confidentialis* in eo sensu, quo hic sumitur, est conventio expressa aut tacita inter duos Clericos inita, vi cujus unus Beneficii titulum recipit, ut in alium, de quo pacti sunt, transferat, vel illi, aut sibimet ipsi fructus Beneficii vel in totum, vel ex parte reservat.

2. Qui sic recipit Beneficium, *ipso facto* est excommunicatus, & collatio ei facta nulla est *ipso jure*. Tenetur insuper restituere omnes fructus perceptos, quando talis conventio est *ex utraque parte* completa; & quamvis non sit completa ex utraque parte, provisio tamen nulla est, & collatio pertinet ad Papam, excepto Galliæ Regno, in quo Confidentiarii possunt renunciare Beneficio in manus Ordinarii, qui illud postmodum confert, cui libuerit; modo renunciatio fiat, antequam quis privetur Beneficio per sententiam judicis.

3. Qui acceptat Beneficium per Simoniam confidentialem, etiam privatur aliis Beneficiis, quæ possidebat antea in iis regionibus, in quibus recepta est Bulla Pii V. Pariter & mediatores ejusmodi conventionis simoniacæ excommunicationem incurrunt juxta Extravag. *Cum detestabile.*

4. Non potest præscribi contra Simoniam confidentialem per triennalem possessionem Beneficii: si tamen ea fuisset commissa per tertium inscio Titulari, is potest post triennium pacificæ possessionis retinere Beneficium, si primum post lapsum triennii in ejusdem notitiam devenit. Plura hac de re vide in Titulo *Simonia.*

CA-

CASUS I. Euremundus nobilis volens suo filio Titio procurare Præbendam in ecclesia cathedrali, eam ab Episcopo petit pro Manlio; huic tamen insinuat, sibi gratum fore, si eam post sex menses resignaret suo filio, tunc habituro ætatem per Sacros Canones ad talia Beneficia requisitam: aut saltem ipsi daret pensionem annuam 75. florenorum ad prosequenda studia. Pactione acceptata, impetrata est Manlio Præbenda, quam & resignavit post sex menses Titio. An nulla hic Simonia?

℞. Certum est, in hoc casu intervenire Simoniam confidentialem. Nihilominus dici non potest, Manlium ex eo esse privatum aliis Beneficiis, quæ possedit antea legitime obtenta, sed solum eum posse privari illis Beneficiis per sententiam judicis. Observandum hic est, Confidentiam posse committi non solum in præsentatione, & collatione; sed etiam in resignatione & electione; quando similis conventio initur cum Patronis, Collatoribus, Resignantibus, aut Electoribus. *Pontas.*

CASUS II. Tribonianus volens filio suo procurare Capellaniam simplicem, quam ipsi offert Paulus Patronus ecclesiasticus, impetravit, ut ea conferetur Petro Sacerdoti, amico suo, ea tamen conditione ac promissione, ut eam resignaret suo filio, quamprimum accepisset primam tonsuram. Petrus id se facturum promittit, ac filio Triboniani accepta tonsura resignat in Curia Romana Beneficium, qui illud pluribus jam annis possidet, in hodiernum usque diem ignarus, quomodo hoc sibi Beneficium procuratum fuerit.

℞. In hoc casu vera intervenit confidentia; & hinc filius Triboniani non est canonice institutus in Beneficio, teneturque in conscientia Capellaniam dimittere. Si Paulus Patronus Capellaniæ est complex hujus confidentiæ, non solum incurrit excommunicationem *ipso facto*, prout & Tribonianus ac Petrus, sed etiam *ipso jure* privatus est pro prima vice jure præsentandi ad hanc Capellaniam proxime vacaturam; & hinc tenetur in conscientia prætermittere terminum nominationis suæ, quin aliquem præsentet, ac interim monere dignum aliquem Clericum, ut procuret sibi provisionem Romæ, vel ab Ordinario *jure devoluto*. Filius Triboniani tenetur restituere fructus etiam bona fide perceptos, in quantum adhuc extant, aut in quantum factus est ditior, si ante lapsum triennii commissæ confidentiæ notitiam habuit. Si tamen bona fide ac pacifice per triennium possedit Capellaniam, & primum post triennium obtinuit notitiam commissæ Simoniæ

moniæ confidentialis, tuta conscientia & Beneficium & fructus retinere potest. *Pontas.*

CASUS III. Parochia ad S. Gordianum vacabat mense Aprili, in favorem Graduatorum destinato: Ennodius Collator eam contulit Fabio, vi Gradus sui eam petenti, hac tamen conditione, ut eam sibi resignaret pro alia parochia, quam ipsi se collaturum spondebat. Utrumque bona fide ex utraque parte executioni datum est.

℟. Uterque, Ennodius & Fabius, commisit Simoniam realem duplicem, & incurrit pœnas a Canonibus statutas. *Pontas.*

CASUS IV. Quirandus parochus ad S. Odomarum permutavit suam parochiam cum parocho ad S. Crispinum Luciano, ea tamen conditione, ut Lucianus resignet parochiam ad S. Odomarum Francisco. Lucianus ex parte sua implet pactum data Francisco procuratione *ad resignandum*, quæ fuit Romam directa. Verum cum adverteret, pactionem fuisse simoniacam, & Quirandum jam esse in possessione parochiæ ad S. Crispinum, statuit sibi reservare parochiam ad S. Odomarum, ac revocare suam resignationem, antequam esset admissa Romæ.

℟. Cum Simonia in hoc casu commissa ex una parte sit realis, & ex altera confidentialis, revocatio procurationis *ad resignandum* facta Francisco non purgat pactionem illicitam, neque impedit, quo minus etiam Lucianus excommunicationem incurrerit. *Pontas.*

CASUS V. Rutilius volens Protogeni suo nepoti procurare Capellaniam, resignat Marcello suam Præbendam, ea conditione, ut Protogeni suam Marcellus Capellaniam resignet, cujus redditus sunt 100. floreni. Conventio hæc ex utraque parte adimpleta est.

℟. Etiamsi hæc conventio Rutilium inter & Marcellum non contineret Simoniam juris divini, quam tamen continet; nihilominus semper foret illicita, & contineret Simoniam juris ecclesiastici. *Pontas.*

CASUS VI. Manilius parochus ad S. Jobum volens procurare Joanni nepoti suo Capellaniam Antonii vicarii sui, suam huic resignat parochiam, addita conditione, ut suam Antonius Capellaniam resignet Joanni; hoc ni fieret, neque se habere animum resignandi. Antonius resignationem parochiæ sibi factam quidem acceptat; sed nec directe nec indirecte acceptat conditionem appositam resignationi; imo obfirmatum gerit animum retinendi suam Capellaniam, quam etiam actu retinet post jam adeptam parochiam.

℟. Cen-

℟. Censeo, Vicarium incurrisse censuras; quia per suum silentium sufficienter consensisse videtur in pactum simoniacum. *Pontas*

CASUS VII. Crispinianus habens Præbendam valde modicam & tenuem, petit a Capitulo aliam pinguiorem actu vacantem. Capitulum hanc illi annuit, ea tamen conditione, ut adepta illius possessione priorem pure ac simpliciter in manus Capituli dimittat. Utrumque adimpletur.

℟. In hac conventione nulla intervenit Simonia confidentialis. *Pontas.*

CASUS VIII. Blandinus Ægidio nepoti suo vacantem in ecclesia cathedrali Dignitatem procurare volens, eam pro se petit ab Episcopo collatore ejusdem, qui etiam eam ipsi confert, etsi sciverit, Blandinum hanc dignitatem resignaturum Ægidio. Blandinus capit possessionem, & post paucos dies eam resignat Ægidio nepoti suo.

℟. Non videtur, intervenisse confidentiam realem; & hinc Blandinus non incurrit pœnas ecclesiasticas. Nihilominus graviter peccavit Blandinus acceptando Beneficium absque intentione retinendi illud, aut in eo deserviendi. Ratio responsionis quoad primum membrum est; quia, licet Episcopus præsenserit intentionem secretam Blandini Beneficium resignandi suo nepoti, plenam tamen ipsi libertatem reliquit propositum suum exequendi, vel non; quia nulla hac super re inter illos stipulatio intercessit, neque inter Blandinum & nepotem; cum ille nulla se obligatione devinxerit Dignitatem resignandi, sed integram sibi libertatem reservaverit eam retinendi pro se, aut resignandi, cuicumque demum voluerit. *Pontas.*

CASUS IX. Ivo parochus ad S. Albinum, quæ parochia est patronatus laici, cum ab Episcopo suo obtinuisset aliam parochiam, primam dimittit Patrono, eum rogans, ut ad illam præsentare vellet fratrem suum, id quod etiam obtinet.

℟. In hoc casu nulla intervenit confidentia, si renunciatio ab Ivone fuit facta pure ac simpliciter, sine ullo pacto cum Patrono inito. *Pontas.*

CASUS X. Petrus, Paulus & Joannes Canonici conspirarunt, se curaturos, ut Titius eligeretur in Cantorem a Capitulo. Itaque eum adeunt, promittentes, se illi daturos votum suum, ac reliquos Concanonicos ad idem sollicitaturos, hac tamen conditione, ut Dignitatem Cantoris postea permutet cum Petro pro simplici Prioratu. Id Titius se facturum spopondit; & Capitulum pactioni huic, de qua ha-

 be-

bebat notitiam, favens, elegit Titium in Cantorem. Nihilominus Episcopus, qui prætendebat jus conferendi hanc Dignitatem, eam contulit Mævio. Tres dein Canonici agnoscentes, suam pactionem fuisse simoniacam, renuntiarunt expresse pacto, declarantes Titio, quod possit retinere suum Cantoris Beneficium, nec illud amplius exigi a Petro.

℞. Titius, cum non sit canonice electus, & Simoniam incurrerit, ut tres Canonici, non potest tuta conscientia se defendere contra Mævium, qui ipsi litem intentavit, ut se retineret in possessione Dignitatis ab Episcopo sibi collatæ: jus enim Titii absolute nullum est, ut proin non solum non possit agere contra Mævium, sed neque ullam pro cessione Beneficii compositionem inire. *Pontas.*

CASUS XI. Abbas quidam recipit Beneficium, sciens, intentionem Collatoris esse, ut illud resignet alteri, pensione sibi retenta.

℞. Intervenit in hoc casu Confidentia tacita. *Fromageau.*

CASUS XII. Clericus quidam obtinuit Roma dispensationem, ut possit retinere Beneficium per Simoniam confidentialem obtentum. Licetne huic præter istud Beneficium etiam aliud possidere?

℞. Non potest possidere aliud Beneficium, nisi id expressis terminis in dispensatione contineatur. *Fromageau.*

CASUS XIII. Resignatarius quidam per concordatum cedit suo resignanti decimas quasdam pertinentes ad Prioratum curatum. Decimæ autem istæ una cum 10. florenis, quos per modum supplementi ipsi se daturum obligat, non excedunt pensionem Romæ impositam Beneficio. Intervenitne in concordato isto Simonia?

℞. Etsi nulla interveniat Simonia; videtur tamen concordatum istud esse contrarium menti ac constitutionibus Ecclesiæ, & propinquum saltem Simoniæ confidentiali. *Fromageau.*

CASUS XIV. Devolutarius quidam suum interponit nomen ad obtinendum Beneficium pro alia persona.

℞. Habetur pro Confidentiario. *De Lamet.*

CASUS XV. Quidam Beneficii resignationem obtinet, sciens, resignantem eodem tempore eam revocaturum, ut Beneficium sibi reservet, casu quo resignatario defuncto ipse adhuc viveret.

℞. Committit Simoniam confidentialem, quæ omnes provisiones Romanas reddit invalidas. Nihilominus juvenilis ætas, & ignorantia talem eximere posset a pœnis in Confidentiarios latis, ita, ut posset retinere Beneficium. *De Lamet.*

CA-

CASUS XVI. Parochus quidam petit Capellaniam, & promittit, se redditus exinde perceptos daturum matronæ cuidam, ut possit presbytero suo domestico missam celebranti stipendium persolvere.

℟. Tuta conscientia non potest petere hanc Capellaniam. *Fromageau.*

CASUS XVII. Gallus rogat Episcopum, ut Beneficium quoddam conferat uni ex fratribus suis. Erat in hujus Episcopi potestate Beneficium, quod ex sua natura regulare erat, sed in commendam semper collatum fuerat. Non poterat hinc illud Galli fratri conferri, quin prius collatum fuisset Regulari. Episcopus ea de re agit cum fratre cujusdam Religiosi, qui promittit, si Beneficium hoc conferretur fratri suo Religioso, se curaturum, ut hic illud resignat fratri Galli. Id omne fuit executioni datum.

℟. Omnia hoc in negotio peracta confidentiam continent. *De Lamet.*

Vide *Beneficium. Collatio. Patronus. Permutatio. Provisio. Resignatio. Simonia.*

SOCIETAS.

1. *Societas* est conventio circa res honestas ac licitas a duobus vel pluribus inter se inita, qui pecuniæ summam aut aliud pretio æstimabile in communem massam congerunt, ut exinde facilius ac certius lucrentur. Dicitur 1. *Circa res licitas ac honestas*: conventio enim inter duos prædones inita injuste rapta inter se partiendi non est societas. Dicitur 2. *Qui pecuniam suam congerunt &c.* nam fundus societatis est communis omnibus societatem constituentibus, sicut & omnibus sociis commune est lucrum & damnum. 3. Denique dicitur: *Ut exinde facilius ac certius lucrentur*, ex quo colligitur finis, quem associati sibi præstituunt.

2. Duæ distinguuntur species societatis, una quæ consistit in commercio pecorum; & altera quæ consistit in pecunia vel alia re pretio æstimabili mercatori credita.

3. Societas ut sit legitima, tres requiruntur conditiones: 1. Ut ille, qui pecuniam aut aliud quid ad societatem confert, periculum sortis principalis subeat, nec sibi assecurare possit aut reducere ullum interesse ex eo, quod contulit. 2. Ut quilibet sociorum conferat aliquid pretio æstimabile, sive dein sit pecunia, sive merx sive opera, labor, industria, aut quid aliud.

aliud. 3. Ut servetur æqualitas in lucro, jactura, expensis, damno &c juxta proportionem fortis, quam quilibet sociorum contulit.

4. *Propositio LIV.* damnata a conventu Cleri Gallicani anno 1700. hæc est: *Contractus*, qui vocatur *Mohatra*, id est; contractus, quo a mercatore res majori pretio ad certum tempus solvendo venditæ, ab eodem minori pretio, stante eodem contractu, parata pecunia redimuntur, *est licitus*, *etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Censura est ista: *Hæc propositio continet doctrinam falsam, scandalosam, perniciosam in praxi, palliativam usurarum, verbo divino scripto, & non scripto contrariam, reprobatam a Clero Gallicano, & sæpius jam Conciliorum ac summorum Pontificum decretis damnatam.*

5. Denique observandum, in contractu Societatis nullum illius membrum absque usura posse a consortibus exigere assecurationem suæ sortis principalis a se in Societatem collatæ.

CASUS I. Reynerius gemmarius in sua arte perquam peritus iniit cum Raymundo ad quatuor annos societatem. Raymundus contulit summam 10000. florenorum. Reynerius vero solam suam industriam. Reynerius cum consensu Raymundi dictam summam impendit in emendas gemmas, e quibus elapso quadriennio lucrum 5000. florenorum aquisierunt; quod lucrum juxta conventionem inter se factam æqualiter diviserunt. An hæc societas legitima est? an Reynerius dividendo dictum lucrum cum Reymundo juste egit?

℟. Hæc societas licita est, & Raynerius absque injustitia potuit dividere aquisitum lucrum cum Raymundo: industria enim & labor pecuniæ loco sunt. *Ita coiri posse societatem*, inquit Justinianus Instit. Lib 3. Tit. 26. §. 2. *non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit*; *quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet. Pontas.*

CASUS II. Raymundus parata pecunia opulentus, sed commercii ignarus ad quadriennium societatem iniit cum Reynerio, ita, ut Raymundus conferret 1000. florenos, Reynerius vero solam suam industriam & laborem. Quadriennio elapso nullum omnino remansit lucrum. Reynerius nihilominus petit dimidiam summam dictorum 1000. florenorum in recompensationem suæ industriæ & laboris; Ray-

Raymundus vero contendit, nimium peti a Reynerio, imo stricte loquendo se nihil debere Reynerio. Quid agendum?

℟. Societas ut justa dici possit, quatuor requiruntur conditiones 1. Ut in commune deponant socii, quod in societatem conferunt. 2. Ut lucrum & jactura sint communia sociis. 3. Ut quilibet sociorum de lucro aquirat juxta proportionem ejus, quod contulit. 4. Ut quilibet eorum etiam subeat periculum sortis suæ, deductis tamen expensis pro communi societatis bono factis. His præsuppositis, cum Industria Reynerii loco pecuniæ fuerit, & quilibet jacturam in societatem collati sufferre debeat, sequitur, jacturam industriæ, cum illa sortis loco fuerit, soli Reynerio esse ferendam, Raymundo vero suam, quam contulit, deberi summam, quin eam cum Reynerio dividere teneatur. Rationem affert Cabassutius L. 6. cap. 23. n. 3 inquiens: *Si pecunia pereat, perire illi debet, qui eam contulit. Ergo si superfit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum.* Observandum nihilominus 1. Restituendas esse illi, qui industriam suam loco pecuniæ contulit, expensas pro bono societatis factas. 2. Si socii convenerint, ut conferens industriam etiam recipiat dimidium summæ pecuniæ ab altero collatæ, aut si id de consuetudine sit, tunc conformiter ad conventionem aut consuetudinem agendum esse, ut idem advertit Cabassutius. *Pontas.*

CASUS III. Athenodorus & Landericus inierunt inter se societatem ratione alicujus manufacturæ; prior cum sit peritus artifex, suum laborem & industriam; alter vero 6000. florenos contulit: & quia intimi amici erant, ac bona fide agebant, de divisione lucri non sunt pacti, nec etiam de jactura forsan futura. Triennio elapso facta computatione remansit lucrum 5000. florenorum; de cujus lucri divisione valde dissenserunt: Landericus enim contendebat, sibi deberi summam 3750. florenorum ob collatam a se summam 6000. florenorum; Athenodorus vero petit dimidium lucri, cum sine sua industria Landerici pecunia non fructificasset. Quid juris?

℟. Dum portiones lucri & damni per contractum societatis non fuerunt determinatæ, divisio in æquales partes facienda est: *Si non fuerint partes societati adjectæ, æquas eas esse constat*, ait Lex *Si non fuerint.* 29. ff. Lib. 17. Tit. 2. Hinc partitio æquanda est inter hos duos, cum & conditio eorum exæquari possit per æqualitatem lucrorum ex diversis eorum collationibus profluentium. *Pontas.*

CASUS IV. Geranus confert Licinio in societatem 1000. imperiales, pro quibus modicum sane lucrum exigit; eo quod

quod Licinius omne periculum in se receperit, & Gerano cautionem sortis præstiterit. Confessarius Gerano desuper movet scrupulum, & petit dissolutionem hujus contractus; Geranus autem hisce rationibus se tuetur: 1. In contractu commodati, depositi aut locationis possum pacisci, ut jactura rei commodatæ, depositæ aut locatæ mihi ferenda non sit, etsi non tranferam dominium rei in commodatarium, depositarium aut locatarium, sed semper perseverem esse dominus rei. Ergo a pari in contractu cum Licinio satis est, quod ipsum indemnem servem ob periculum in se susceptum cedendo ipsi lucrum notabiliter majus. 2. Iste contractus, cum non transferat in socium dominium pecuniæ, non continet in se naturam & rationem mutui, adeoque nec usuram. Quid tenendum?

℟. Sunt quidem Authores, etiam recentiores, qui hunc contractum existimant licitum, inter quos aliqui censent, contractui societatis superaddi posse contractum alium, nimirum assecurationis sortis principalis hac conditione, ut minus lucrum exigatur juxta proportionem periculi, quod alter in se suscipit. Non tamen videtur hæc sententia defendi posse; & confessarius bene obligavit Geranum ad rescissionem hujus societatis, utpote juxta S. Antoninum 2. part. Summ. Theol. Tit. 1. cap 7. §. 37. & Glossam in Can. *Plerique*. 3. 14. q.3. usurariæ. Quamvis naturale quasi sit contractibus commodati, locati & depositi, ut periculum v.g. libri commodati, equi locati & pecuniæ depositæ sufferendum sit domino rei, non tamen necessarium est, nec ad essentiam horum contractuum requiritur, ut commodans, locans & deponens semper subeat periculum rei commodatæ, locatæ aut depositæ; cum natura & essentia commodati sit, ut res gratis concedatur ad usum, quin amittatur ejusdem dominium; sicut natura locati exigit, ut concedatur usus rei locatæ pro justo pretio, & depositi, ut custodiatur res deposita. Ast ut contractus societatis sit legitimus, requiritur, ut periculum sortis principalis sit penes eum, qui illam in societatem contulit. Ad alteram rationem quod attinet; dum Licinius, qui a Gerano 1000. imperiales recepit, & præstita hujus summæ assecuratione omne periculum in se solum suscepit, ita ejusdem obtinuit dominium, ut possit de ea disponere pro suo beneplacito, emere merces quas voluerit, & eam in usus alios convertere prout placuerit, dummodo similem summam, non eosdem nummos, denuo suo tempore Gerano restituat. Hinc propter assecurationem hanc contractus iste inter Licinium & Geranum transit in verum mutuum palliatum sub nomine societatis; & consequenter

Gera-

Geranus assecurata sibi summa 1000. imperialium non potest ullum a Licinio lucrum percipere absque usura. *Pontas.*

Nota. Hæc postrema tamen locum non habent in Germania, ubi licitus est contractus censualis personalis. De cætero mereretur hæc quæstio prolixiorem ac exactiorem discussionem. Vide Tractatum *de Usura & Censibus* Coloniæ editum 1769.

CASUS V. Lazarus & Lysimachus collatis a quolibet 1000. imperialibus contractum societatis inierunt, conveneruntque, ut ambo periculum sortis suæ subeant, & tam lucrum quam damnum forsan emersurum utrique sit commune. Lazarus vero Balduino amico suo declaravit, quod si summæ cum Lysimacho in societatem collatæ cautionem præstet, modicumque sibi lucrum relinquat, omne reliquum lucrum, quod valde notabile futurum speraret, ipsi cedere vellit; quam conditionem Balduinus etiam acceptavit. An hæc conventio licita est?

℞. Nec a Lysimacho, nec a Balduino potest Lazarus collatæ summæ assecurationem petere; cum absque injustitia nec ullum e societate possit percipere lucrum, nisi periculum sortis subeat. Interim tamen posset Balduino omne jus suum, quod vi societatis habet, cedere. Posito vero, Lazaro licere talem inire conventionem cum Balduino, non tamen licet taliter convenire cum Lysimacho: talis enim conventio esset verus contractus mutui. *Pontas.*

Nota. Author supponit, a Lazaro ob lucrum cessans, vel damnum emergens potuisse ex mutuo hoc palliato Balduinum obligare ad sibi solvendum *modicum Lucrum*. Hæc responsio potest admitti, si quantitas hujus modici lucri non excedit censum licitum ex mutuo; alioquin foret usurarium.

CASUS VI. Maximianus & Bertrandus societatem inter se inierunt, & uterque æqualem summam 5000. florenorum ad illam contulit. Bertrandus negotiationis Maximiani imperitus convenit cum eo, ut quolibet anno recipiat quamdam pecuniæ summam, etiamsi sua negotiatione nihil lucratus fuisset, & hoc ob periculum sortis, quod in se suscipere debet. An Bertrandus dictam recipere summam licite potest?

℞. Non potest eam licite recipere: conditio enim adjecta conventioni destruit essentiam contractus societatis, quæ subsistere non potest, nisi uterque socius æqualiter tam de lucro quam de damno participet. Bertrandus igitur de determinata summa certus, sive dein Maximianus sua negotiatione lucretur, sive perdat, non esset vere associatus Maximiano, & ejusdem cum eo conditionis; & in hoc ca-

su

fu si intendit habere lucrum & non damnum, usura est, ut ait S. Bernardinus ferm. 39. fer. 6. post Dom. 4. Quadrag. *Pontas.*

NOTA. In casu præcedente ostensum est, hunc palliatum Societatis contractum habere reipsa rationem mutui. Cum ergo etiam ratione periculi census juxta communem doctrinam exigi possit, non debuit ab authore hic contractus absolute condemnari tanquam usurarius. Vide *Mutuum.*

CASUS VII. Nicander iniit societatem cum Pamphilo, qui tantum suum laborem & industriam, Nicander vero 4000. florenos contulit ea lege, ut Pamphilo certa quædam summa pro parte lucri e societate emersuri affecuretur. An id licet?

℟. In præsenti casu, cum non adsit æqualitas lucri vel damni, non datur vera societas, sed potius contractus locationis, nimirum *locatio operarum*, qua Pamphilus suam operam locat Nicandro, quod utique nec injustum nec illicitum est; dummodo omne periculum fortis & depositæ pecuniæ in se suscipiat Nicander. *Pontas.*

CASUS VIII. Emanuel præfectus cujusdam novæ manufacturæ a Margaretha 5000. florenos mutuos accepit pro suo commercio; cum vero Margaretha adverteret, nullum e sua pecunia redundare fructum, Emanuelem rogat, ut aut restituat summam, aut in societatem se recipiat. Emanuel illam admittit in societatem hac lege, ut periculum fortis subeat juxta proportionem summæ 5000. florenorum. Margaretha acceptata hac conditione se verum societatis membrum esse credit; interim tamen aliquo angitur scrupulo ex eo, quod Emanuel cum suis sociis determinarit certam summam 600. florenorum, quam ipsa singulis annis lucri loco evitandæ computationis gratia recipiat. Potestne Margaretha recipere istam summam tuta conscientia vi factæ conventionis?

℟. Si Margaretha tenetur omne, qualecunque demum sit, periculum subire juxta proportionem collatæ summæ, societas legitima est, & potest recipere dictam 600. florenorum summam. Ast si vi contractus solum teneatur in se suscipere pericula particularia determinata, ut forent v.g. revocatio privilegii, bellum, erectio similis manufacturæ in vicinia &c. tunc societas injusta esset & illegitima: essentiale enim est contractui societatis, ut omnes socii suscipiant omnia pericula, & participent de quolibet damno juxta proportionem fortis in fundum societatis collatæ, ita ut lucrum alia ratione obtentum esset usurarium. Quod attinet lucrum certum annuatim determinatum ad 600. florenos

cum

cum consensu partium, id Margaretha tuta conscientia percipere potest ad evitandam molestam rationum discussionem: lucrum enim majus quidem, sed incertum absque injustitia reduci potest ad minus, certum tamen. *Pontas.*

CASUS IX. Gosselinus & Andreas inierunt in commercio frumenti & vini societatem, collata utrinque æquali pecuniæ summa hac lege, ut Gosselinus duas tertias lucri ex frumento facti referret, & solum unam tertiam damni ex commercio vini emergentis ferret. An iste contractus justus est? An Gosselinus non tenetur restituere Andreæ?

℞. Licitus est hic contractus: liberum est enim membris societatis convenire de hoc, ut unus eorum majus lucrum & minus damnum quam alter referat; quod tamen ita intelligi debet, ut Gosselinus sibi majorem partem lucri attribuere non possit, nisi ex eo, quod deductis damnis ex utroque commercio emergentibus residuum fuerit. *Sæpe,* inquit Imperator §. 2. Instit. Lib. 3. Tit. 26. *quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti. Quod tamen ita intelligi oportet, ut si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit, compensatione facta, solum quod superest, intelligatur lucro esse.* Et ut habetur Leg. *Mucius* 30. ff. Lib. 17. Tit. 2. *Neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto. Pontas.*

CASUS X. Oldradus, Antonius, Gabriel & Bernardus societatem inter se inierunt, cujus finis est exsiccatio cujusdam paludis. Verum Oldradus ad instantiam suorum sociorum ultra portionem jam cum reliquis in societatem æqualiter collatam anticipato obtulit summam 7500. florenorum hac conditione, ut intra annum sibi hæc summa restituatur. Ast cum Antonius finito anno solvendo non esset, Oldradus solutionem ex fundo communi petit; reliqui vero se opponunt. Quid juris?

℞. Petitio Oldradi justa est; nam, cum pro bono communi societatis præfatam summam anticipato obtulerit, quilibet sociorum tenetur juxta suam portionem indemnem reddere Oldradum; & si, dum unus eorum solvendo non est, totalem summam recipere non possit, id; quod deest, ex ipso fundo societatis jure exigere potest. Hinc priusquam Gabriel & Bernardus lucrum ex societate percipiant, Oldrado solvenda est summa 7500. florenorum, & postea, quod superest, dividendum inter ipsum, & duos reliquos. Leg. *Si unus.* 67. ff. Lib. 17. Tit. 2. *Pontas.*

CASUS XI. Florus gemmarius societatem iniit cum aliis quatuor ejusdem professionis viris, quorum quilibet in

fundum societatis conferebat gemmas 5000 florenis aestimatas. Eidem Floro a suis sociis commissum est, ut in Hispaniam proficiscatur, & ibidem cum dictis gemmis negotiaretur, ut ipsi visum & societati proficuum fuerit. Florus in Hispania duobus mercatoribus Hispanis vendidit aliquas gemmas pro 12500. florenis; verum loco solutionis accepit schedam cambialem, pro qua intra quatuor menses ipsam pecuniam sit recepturus. Ast elapsis duobus mensibus dicti mercatores non amplius fuerunt solvendo. An hanc jacturam Florus sufferre debet?

℟. Si duo mercatores Hispani noti fuerunt aliis ejusdem professionis mercatoribus Hispanis, & etiam Florus de eorum bona fide dubium non habuit, ac eos solvendo esse credidit, jactura 12500 florenorum non ab ipso solo, sed ab omnibus sociis ferendum est juxta proportionem summae, quam singuli in societatem contulerunt. Magistris societatum pactum & prodesse & obesse constat. Leg. *Item*. 14. ff. Lib. 2. Tit. 14. *Pontas*.

CASUS XII. Lombardus cum Jacobo iniit societatem negotiationis, & Jacobus consentiente Lombardo profectus est in Galliam pro communi societatis bono; in ipso autem itinere spoliatus, & una cum suo famulo vulneratus est. Potestne compensationem damni a suo socio ex ipsa in societatem collata summa exigere?

℟. Jure potest exigere indemnisationem; quia in negotiis societatis damnum isthoc accidit. Leg. *Cum duobus*. 52. §. 4. Lib. 17. Tit. 2. Notandum tamen 1. Quod hic solum agatur de pecunia communi societatis, aut destinata ad expensas societatis: si enim Jacobus pro suis privatis commodis ac usibus pecunias secum tulisset, earum jactura ipsi soli ferenda esset. 2. Ad hoc, ut pecunia censeatur pertinere ad societatem, non sufficit eam solum destinatam fuisse ad fundum societatis; sed requiritur, ut ea actu in societatem fuerit collata. Sic habetur Leg. *Si id*. 58 §. 1. ff. ibid. *Pontas*.

CASUS XIII. Guarinus & Ægidius ad quatuor annos inierunt societatem circa negotiationem vini. Cum vero Guarinus pro bono communi societatis in varias provincias ad emendum vinum profectus esset, durante absentia domi in rebus familiae suae privatis passus est damnum 600. florenorum. An hoc damnum ipsi resarciendum ex fundo societatis?

℟. Negative; quia ejusmodi eventus nulla ratione tangunt societatem, sed inter privata Guarini negotia pertinent; & consequenter Ægidius ad nullam ipsi compensationem tenetur. *Non consecuturum pro socio actione Labeo ait; quia id*

non

non in societatem, quamvis propter societatem, impensum sit... nam nec compendium, quod propter societatem ei contigisset, veniret in medium; veluti si propter societatem hæres fuisset institutus, aut quid ei donatum esset. Leg. *Socium.* 60. §. 1. ff. Lib. 17. Tit. 2. *Pontas.*

CASUS XIV. Fabricius cum aliis quinque societatem iniit; cum vero navis mercibus onusta exoneranda esset in aliam naviculam, ut eo facilius portum attingeret, merces Fabricii huic naviculæ impositæ casu fortuito, & improviso periere. An Fabricius solus hanc jacturam ferre tenetur?

℞. Cum exoneratio facta sit in commune bonum societatis, jure exigere potest, ut ab omnibus sociis feratur jactura mercium. Leg. *Navis.* 4. init. ff. Lib. 14. Tit. 2. *Pontas.*

CASUS XV. Raduiphus in commercio sociali constitutus cum Samsone per imprudentiam, quæ tamen in jure solum culpa levis dicitur, notabile in negotiatione damnum passus est. An id etiam Samsoni ferendum est?

℞. In contractu societatis, si quis committat culpam, sive levem sive latam, ex qua societati damnum infertur, hic solus tenetur reparare damnum; & hinc Raduiphus tuta conscientia non potest adstringere Samsonem ad ferendam partem damni. *Culpa autem,* ait Justinianus Instit. Lib. 3. Tit. 26. §. 9. *non ad exactissimam diligentiam dirigenda est: sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Pontas.*

NOTA. Theologice non est idem culpa *lata,* & *levis.* Socius ex levi culpa non tenetur in foro interno ferre totum damnum. *Vide* Notam ad casum seq.

CASUS XVI. Paulus socius Andreæ in quodam commercio sua negligentia societati intulit damnum 150. florenorum; quapropter Andreas ab illo petit, ut resarciat damnum. Paulus vero contendit, se societati sua industria lucratum fuisse alias 1000. florenos, quorum dimidia pars cedit Andreæ. An Andreas jure a Paulo exigit, ut solus damnum 150. flor. ferat?

℞. Jure potest id exigere a Paulo etiam non obstante lucro 1000. florenorum; quilibet enim sociorum tenetur in tantum promovere bonum societatis, in quantum potest, nec potest exigere ullam compensationem damni sua culpa illati. *Non ob eam rem*, L. *Non ob eam.* 25. ff. Lib 17. Tit. 2. *minus ad periculum socii pertinet, quod negligentia ejus periisset, quod in plerisque aliis industria ejus societas aucta fuisset: & hoc ex appellatione Imperator Antoninus pronunciavit.* Idem statuitur Leg. 26. ibid. *Pontas.*

NOTA. In foro interno non datur obligatio ferendi totum damnum illatum ex culpa levi : neque enim Sociorum quis se ad hoc ultro adstringeret. Leges Romanæ, præsertim digesta, nec viguerunt in Germania ante annum 1500. ac modo vix ullibi amplius vigent: & ubi pro foro externo vigent, in similibus casibus disponunt solum ex præsumptione gravioris culpæ, vel pœnaliter ad aliorum cautelam in futurum.

CASUS XVII. Tres mercatores, quos inter societas est, emerunt bona mobilia cujusdam defuncti, ac horum partem privatim variis vendiderunt personis; Medericus vero, unus sociorum, advertens talem venditionem istorum bonorum non fore valde proficuam societati, magis conveniens esse credidit, si a Magistratu licentiam dicta bona publice vendendi, ac per modum inventarii publicandi obtineret, & id etiam factum est videntibus & scientibus suis sociis. Verum venditione peracta emersit damnum societati, & hoc a solo Mederico ferendum esse contendunt ipsius socii, cum istius venditionis author fuerit. An jure id exigunt?

℟. Membrum societatis in rebus societatem attingentibus nihil potest agere, nisi in illud consenserint etiam reliqua membra. *Sabinus ait, in re communi neminem dominorum jure facere quidquam invito altero posse. Unde manifestum est, prohibendi jus esse: in re enim pari potiorem causam esse prohibentis constat.* Leg. *Sabinus*. 28. ff. Lib 10. Tit. 3. In præsenti igitur casu cum venditionem publicam, cujus author Medericus erat, reliqui socii, dictæ venditionis perfectam notitiam habentes, non inhibuerint, damnum, quod emersit, ab omnibus ferendum est : regula enim juris est: *Qui tacet, consentire videtur.* Socii ergo Mederici absque injustitia non possunt in eum solum transferre damnum ex venditione publica ortum. *Pontas.*

CASUS XVIII. Lambertus villam suam, in qua quatuor equos, sex boves, decem vaccas, & 400. oves habet, locare aut in societatem conferre cogitat. Henricus igitur, ut villam recipiat, convenit cum Lamberto, se solam villam conducturum, & annuatim pro ea 400. florenos pro annuo censu soluturum hac conditione, ut ad certum tempus cuncta pecora in villa relinquantur, quo temporis termino elapso iterum Lamberto restituantur in eodem valore, quo nunc æstimata sunt. An Lambertus adjectam conditionem acceptare potest absque usura?

℟. Non potest acceptare absque usura ; nam talis conventio haberet rationem mutui, & Lamberto permaneret dominium pecorum, quin subire vellet periculum sortis, quod tamen subeundum est, ubi vera datur societas. Discrimen

est

eſt inter equum locatum, & pecus alteri ad æſtimationem conceſſum: pro equo enim locato, qui per uſum deterioratur, poteſt exigi aliquis cenſus, pecus vero ad æſtimationem conceſſum nunquam perit concedenti. *Pontas.*

Nota. Hic contractus, niſi excedatur in annuo cenſu, juxta prudentum æſtimationem, non eſt uſurarius. Author inter juſtos titulos pro cenſu non admittit *periculum ſortis*, quod tamen Lambertus ſubit, ſi Henricus ex infortuniis, vel negligentiis redigeretur ad impotentiam reſtituendi prædium in ſtatu priſtino.

CASUS XIX. Lentulus ad tres annos conceſſit cuidam conductori 500. oves & 20. vaccas hac conditione, ut elapſis tribus annis hæc pecora reſtituantur juxta æſtimationem prius factam, aut eorum loco ſolvat pretium, interea autem ſingulis menſibus pendat certam quantitatem lactis, caſei, & lanæ. An hic contractus licitus eſt?

℟. Certum eſt, contractum ſocietatis, qui dicitur *redditio beſtiæ*, eſſe injuſtum, ſi taliter concedens pecora nullum ſortis periculum in ſe recipiat. Hinc Lentulus non poteſt licite exigere quidquam de lacte, caſeo, & lana, neque aliud quidquam, niſi præberet paſtum pro dictis pecoribus; tunc enim pro præſtito paſtu juſtum pretium poſſet recipere ab alio. *Pontas.*

CASUS XX. Genucius conceſſit Thierio ſex boves, duodecim vaccas. & triginta porcos pro colendis ſuis agris, hac addita conditione, ut iſta animalia alat, curet, & ſub tecto conſervet, ac inſuper dimidiam partem partuum reſtituat. An hæc ſocietas uſuraria eſt?

℟. Ut hic contractus non ſit uſurarius, requiritur adhuc tertia conditio, ſcilicet ut Genucius in ſe ſuſcipiat periculum pecorum: per hoc enim verus erit contractus ſocietatis. *Pontas.*

CASUS XXI. Appius dedit Benedicto, agricolæ, titulo ſocietatis duodecim vaccas, ſex equos & 400. oves hac conditione, ut Benedictus in ſe ſolum recipiat horum periculum, & tempore ſocietatis elapſo reſtituat eundem numerum, aut pretium pecorum juxta æſtimationem; Appius vero promiſit, ſe illi maius lucrum ceſſurum, quam alias ipſi vi ſocietatis competeret. An iſte contractus licitus eſt?

℟. Non reperitur hic contractus ſocietatis, ſed verum mutuum, ex quo Appius lucrum ſibi quærit, quod eſt uſurarium. *Pontas.*

Nota. Vide notam ad caſ. 18.

CASUS XXII. Desiderius dedit Philiberto sex boves ad quinquennium sub his conditionibus. 1. Ut in se recipiat horum periculum, quod aut ex incursione hostis, aut a fulmine, aut morbis istis animalibus propriis evenire posset. 2. Ut Philibertus alios eventus in se suscipiat, & teneatur alere, curare, & custodire boves, acsi ipsius essent, 3. Ut peracta messe tot tradat modios tritici, quot sunt boves, quorum modiorum quilibet pretio 6.florenorum æstimabilis sit. 4. Ut elapso quinquennio dicti sex boves vendantur, & eorum pretium in duas æquales partes inter se dividatur. Quid de hac societate dicendum?

℟. Prima & secunda conditio hunc contractum reddunt illicitum; nam locans solus tenetur subire quodcunque periculum boum sine notabili culpa conductoris emersurum. Verum ut utriusque, Desiderii, & Philiberti obligatio magis perspiciatur, notandum 1. Quod in præsenti casu duo contineantur contractus, nimirum venditionis & locationis; in contractu venditionis emptor aquirit quovis anno quintam partem pretii boum, & in contractu locationis locans locatario locat totum pretium boum usque ad finem primi anni, quo finito locatarius fit dominus quintæ partis pretii boum, & sic annuatim juxta proportionem. 2. Quod dominium rei venditione transferatur ad emptorem, quod tamen in locatione non fit. Desiderius igitur ut locans tenetur subire omne periculum boum, quod absque fraude aut dolo evenit, excepto tamen eo, quod Philibertus aquisivit, nimirum quintam partem pretii boum finito primo anno, & etiam deinceps juxta proportionem. Denique contractus, de quo hic agitur, etiam ex eo injustus est, quod Desiderius nimium recipiat lucrum. Verum ut æquum de tali lucro ferri possit judicium, consulendi sunt illi, qui in hac materia experientiam majorem habent. *Pontas.*

CASUS XXIII. Ladislaus vir opulentus iniit societatem animalium intra tres menses inchoandam cum Servatio agricola ad quinquennium, & inter se convenerunt, ut quilibet in societatem conferat decem boves aut vaccas & 500. oves. Verum constituto tempore Servatius suam partem conferre non potuit; hinc Ladislaus solus contulit 1000. oves & 20 boves aut vaccas hac tamen conditione, ut dimidia pars pecorum, quæ mutuo dedit Servatio, & ipsa etiam pecora, quæ ipsus in societatem contulit ab expertis æstimentur. Servatius acceptavit hanc conditionem, ac insuper cum Ladislao in hoc convenit. 1. Ut ipsus nutriat, & curet pecora, ac ipsis de tecto provideat. 2. Ut in hujus compensationem recipiat omne lac, & ex eo factum bu-

ty-

tyrum, uti & fimum. 3 Ut partus animalium ad finem societatis æqualiter dividantur. 4. Ut damna ex neutrius culpa evenient a ab utroque æqualiter ferantur. 5. Ut ante divisionem partuum Servatius restituat 500. oves & decem boves aut vaccas juxta æstimationem ab initio societatis factam, ac dein lucrum, quod supererit, æqualiter dividatur, An hic contractus usurarius?

℟. Est legitimus, & ab omni usura immunis, posito quod mutuum Ladislai bona fide sit factum: lucrum enim, quod Ladislaus recipit, non est præcise ex mutuo, sed ex propriis suis pecoribus; hinc Ladislaus usuram haud commisit. *Pontas.*

CASUS XXIV. Paternus locat Clementi sex vaccas & sex equos ad triennium hac conditione. 1. Ut primo anno Paternus omne periculum aut damnum absque culpa Clementis eventurum in se recipiat. 2. Ut reliquis duobus annis Clemens ferret omne damnum etiam absque sua culpa eventurum. 3. Ut Clemens in compensationem suæ obligationis iisdem duobus posterioribus annis recipiat duas tertias lucri. An hic contractus est licitus, si consuetudo generalis alicujus provinciæ ipsi patrocinetur, ac etiam in tribunalibus approbetur?

℟. Certum est, hunc contractum esse usurarium, cum Paternus omne per duos posteriores annos eventurum damnum in Clementem transferat. Paternus enim, penes quem dominium remanet, sufferre debet etiam omne damnum solus. Paternum quoque neque cessio lucri excusat ab usura, neque etiam immunem reddit consuetudo provinciæ, aut authoritas tribunalium. *Pontas.*

NOTA. Vide notam ad *Cas.* 18. Sciendum, etiam Pontasium inter titulos in mutuo excusantes ab usura non admisisse periculum sortis.

CASUS XXV. Valerianus dedit Paulo titulo societatis quædam pecora ad sexennium hac conditione. 1. Ut Paulus ea nutriat, & de eis necessariam curam habeat. 2. Ut det singulis annis quatuor modios tritici pro quovis pecore. 3. Ut Paulus recipiat duodecimam partem gregis per sex annos, & denique finito sexennio pecora, & eorum partus æqualiter dividantur. An hæc societas licita?

℟. Hic contractus est societas mixta, conjuncta nimirum cum venditione, & est licitus, si has tres conditiones habeat. 1. Damnum absque culpa socii eveniens ferendum est domino pecorum. 2. Socius in curandis ac conservan-

 dis

dis pecoribus, ac computatione lucri fidelem se exhibeat. 3. In divisione lucri servetur justitia. *Pontas.*

CASUS XXVI. Sylvanus contulit 400. oves in societatem, quam cum Roberto agricola observatis omnibus ad veram societatem requisitis conditionibus iniit. Robertus vero ad finem societatis indicat Sylvano, 20. oves periisse quodam morbo, & Sylvanus contendit, eas periisse ex culpa Roberti. Quomodo hæc contentio componenda?

℞. Roberto incumbit probatio, quod oves ex sua culpa non perierint; & si hoc probare nequit, Sylvanus tuta conscientia illum adstringere potest ad solvendum pretium ovium, quæ periere. *Pontas.*

Nota. Author supponit, in contractu societatis dominium pecorum & eorum periculum transiisse ad societatem. Sed hoc dependet a particulari intentione contrahentium.

CASUS XXVII. Barnabas cum tribus opificibus iniit societatem; horum vero unus mortuus est. An per hoc solvitur societas?

℞. Solvitur per mortem socii societas; nisi superstites socii eam continuare velint. Leg. *Actione.* 65. §. 9. ff. Lib. 17. Tit. 2. Idem quoad hoc effectus est mortis civilis ac naturalis. Ast aliud dicendum foret de locatore aut conductore mortuo. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Patritius & Romanus in societatem, quam inter se inierunt, uterque 1000. imperiales contulerunt. Patritius vero anno ante finitam societatem mortuus est; hinc Romanus advertens negotium societatis haud ita prospere geri, prætendit, hæredem Patritii debere in societate succedere, quod tamen ipse recusat. Quid juris?

℞. Hæres Patritii non tenetur continuare societatem, utpote illius morte solutam. Excipiendus tamen ab hac regula casus, quo duo associati forent ad percipienda tributa Principi debita: in hoc enim casu hæres defuncti socii teneretur continuare societatem. *Pontas.*

CASUS XXIX. Galerius & Sylvius inter se inierunt societatem in commercio lanæ, atque convenerunt, ut societas etiam uno ex ipsis mortuo continuetur. Galerius post sex menses mortuus est. An ipsius hæredes, etiam inviti, ad continuandam societatem tenentur? aut si isti vellent continuare societatem, an etiam Sylvius eam continuare tenetur contra voluntatem suam?

℞. 1. Contractus societatis non potest subsistere, nisi adsit consensus contrahentium, qui se ipsos mutuo eligere, ac

ac gratos invicem habere debent. 2. Hæredes focii defuncti non fuccedunt in focietate. 3. Etiamfi inter focios conventum fuerit exprefse, ut uno eorum mortuo continuetur focietas ab hærede, hæc conventio tamen non obligat neque focios fuperftites, nec hæredes defuncti focii ad continuationem focietatis: His ex principiis patet refolutio hujus præfentis cafus. *Pontas.*

CASUS XXX. Eutropius & Valerianus inierunt contractum focietatis fub his conditionibus: 1. Ut Eutropius in eam conferat 5000. florenos, Valerianus vero fuam duntaxat induftriam, curam & laborem. 2. Ut periculum & expenfæ neceffariæ utrique fint communia, & æquale uterque recipiat lucrum, feratque æquale damnum. Verum Eutropius negotiat onis Valeriani penitus ignarus verebatur, ne fibi damnum eveniat; hinc petit ab eo afiecurationem fuorum, quos contulit, 5000. florenorum, & promittit, fe ipfi in compenfationem periculi, quod in fe folum recipiat, tres partes lucri cefſurum. Brevi poft idem Eutropius totum lucrum, quod decem pro centum fore fperat, incertum tamen, vendit Valeriano, dummodo folvat quinque pro centum; quin deinde Valerianus rationem reddendam habeat computationis, expenfarum, & lucri. Valerianus acceptavit, quidquid Eutropius propofuerat, & fic Eutropius fingulis annis lucri loco recipit 250. florenos, ac infuper affecuratam habet fuam partem fortis, quocumque demum fucceffu focietas continuetur. Valerianus autem, qui nullam pecuniam in focietatem contulit, habebit lucrum valde probabiliter 15 aut 20. florenorum pro centum. An in hoc contractu non datur ufura?

℞. Hæc ipfa focietas eft coalitio trium contractuum, ut vocant, in unum redactorum, cujus injuftitiam Sixtus V. condemnavit *fua Bulla* 1586. in Bulla de 1. Oct. 1586. ubi generaliter fine exceptione aut diftinctione declarat ufurarias omnes conventiones, pactiones & contractus, vi quorum præftatur cautio fummæ capitalis iis, qui pecunias fuas, aut alias res fub prætextu focietatis tradunt. Confequenter *Sixtus V.* etiam omnes eos condemnat, qui fecundo aliquo contractu cautionem fortis principalis præftant iis, qui focietatem fecum inierunt, & revera in præfenti cafu fecundus & tertius contractus penitus primum contractum focietatis deftruunt; cum focietas non poffit dari, fi focii non participent de lucro fimul & damno. Ex his igitur fequitur, Eutropium affecurationem fummæ a fe collatæ habentem, ac lucrum 5. florenorum pro centum percipientem, quodcunque demum damnum Valeriano obveniat, non titulo

tulo societatis, utpote per secundum & tertium contractum destructæ, sed titulo mutui, specioso societatis nomine palliati, hoc lucrum percipere. *Pontas.*

CASUS XXXI. Quidam in societatem confert pecora. An cautionem sortis suæ exigere potest?

℞. Absque usura non potest; nec etiam aliud lucrum ultra id, quod sibi competit, vi societatis exigere potest absque usura. Illi, qui ejusmodi lucrum perceperunt bona fide, ignorantes id non licere, tenentur restituere, si per hoc ditiores evaserunt; non tenentur autem restituere, si perceptum lucrum bona fide consumpserint. *De Lamet.*

Vide *Mutuum.* *Usur.*

SOLUTIO DEBITI.

1. *Solvere debitum* in sensu suo naturali ac obvio nil aliud est, quam dare alteri, quod ipsi quomodocumque debetur.

2. Debita sunt varii generis ac naturæ: alia enim sunt *privilegiata*, alia *hypothecaria*; & hæc vel *simplicia* vel *chirographaria*. Pro omnibus his debitis expungendis & solvendis extant determinatæ leges, tum ut secure solvantur, tum ne quis indebitum, aut bis cogatur solvere idem debitum.

CASUS I. Landradus cum debitis formalitatibus commisit Gratiano procurationem pro urgenda solutione complurium summarum pecuniariarum a variis sibi debitarum; sed post mensem revocavit hanc procurationem. Gratianus autem interea recepit 300. florenos a Joanne Landrado debitos. Estne Joannes jam liber a debito, quo Landrado obstringebatur, & quidem etiam pro foro interno?

℞. Si Joannes habuit notitiam revocatæ procurationis, male solvit, nec est liberatus a debito. Si vero penitus ignoravit factam revocationem, & bona fide tradidit dictam summam Gratiano, existimans, eum adhuc esse procuratorem Landradi, ipsi Landrado solvisse, & tam pro foro interno quam externo a debito ulteriori liber censendus est: culpa enim Landradi est, quod Joanni debitori suo non declaraverit revocationem datæ Gratiano procurationis, cui nihil solvisset prius commonefactus. *Sed & si quis mandaverit*, dicitur Leg. *Vero.* 12. §. 2. ff. Lib. 46. Tit. 3. *ut*

Titio

Titio solvam, deinde vetuerit eum accipere; si ignorans prohibitum eum accipere, solvam, liberabor, sed si scivero, non liberabor. Pontas.

CASUS II. Andreas pluribus disparatis debitis obligatur Titio, quorum tota summa conficit 900. florenos; debet scilicet 300. florenos, pro quibus hypothecam constituerat domum suam; 200. florenos sub cautione cujusdam amici; denique 400. florenos, ex quibus annuus census præstandus. Solvit jam Andreas 450 florenos, sine declaratione tamen, ad quænam debita determinate hæc solutio referenda sit. Titius post lapsum temporis petit ab Andrea annuum censum ex 400 florenis, quem negat Andreas, debitum censuale præstita solutione 450. florenorum jam expunctum reponens. Cuinam horum favet causæ æquitas?

℟. Favet Andreæ, & petitio Titii iniqua est: quando enim debitor disparatas summas debet creditori, illius optioni relinquitur ac arbitrio, quamnam prius velit expunctam; quin creditori jus competat recusandi solutionem; dummodo sit integra. Etsi determinatum non fuerit, ad quod debitum referenda sit solutio, certum tamen est, debitorem eam tacite retulisse ad illud, quo magis gravatum se sensit. Et id conforme esse videtur æquitati naturali. Id ipsum quoque deciditur Leg. *Quotiens*. 1. ff. Lib. 46. Tit. 3. ubi dicitur: *Quotiens quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit, est in arbitrio solventis dicere, quod potius debitum voluerit solutum, & quod dixerit, erit solutum: possumus enim certam legem dicere ei, quod solvimus ..., æquissimum enim visum est, creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret.* Supponitur autem, census annuos jam omnes prius fuisse solutos: solutio enim ad summam principalem referri nequit, quamdiu census annui anteriores necdum fuerunt persoluti. *Pontas.*

CASUS III. Propertius mercator solvendi impotens præfert aliis creditoribus consanguineum suum, qui ex creditorum numero est. An licite?

℟. Si reliqui creditores convenerint cum debitore, & parte solutionis, quam offert, contenti sint, creditor consanguineus poterit accipere ac retinere valorem crediti: tunc enim creditores censentur remisisse debitori, quidquid bonorum superest; de quibus proin disponere poterit pro libitu in favorem sui consanguinei, ipsi solvendo integrum debitum. *Fromageau.*

No-

Nota. Si summa consanguineo debita conficeret notabilem debitorum partem, ex cujus subtractione singuli vel aliqui creditorum paterentur respective magnam jacturam, intentio condonantium creditorum se eousque non extenderet. Hinc ejusmodi casus perito confessario relinquendi, & juxta præsumptam singulorum creditorum intentionem ex æquo resolvendi sunt.

Vide *Debita. Juramentum. Promissio.*

SOMNIUM.

Somnium est motus imaginationis, qui sensibus dormienti's repræsentat objectum cum aliqua impressione juxta naturam rei repræsentatæ; rei imaginatæ simile, & aliquam impressionem relinquens; & hæc impressio quandoque tam vehemens est, ut homo, licet penitus somno obrutus, obstupescat, ac exhorrescat. Somniorum causa quandoque alia non est, nisi dispositio temperamenti; quandoque etiam somnia oriuntur ab objectis, quibus imaginatio hominis in die vehementer affecta est: somnia ortum suum habere quoque possunt a malitia dæmonis malos per ea sibi proponentis fines. Aliquorum somniorum etiam Deus auctor fuit, uti somnii Jacob, Joseph &c. Pleraque somnia, exceptis iis, quorum Deus auctor est, sunt vanæ & inanes ideæ, quibus nulla adstruenda fides est.

CASUS I. Marsilius cum sæpius expertus esset, ea, quæ ipsi in somniis repræsentabantur, postea evenisse, incipit somn is fidem adstruere, & ea diligentius observare, ac interpretari, ut tali modo eventus, quos timet, aut desiderat, prævidere possit An talis divinatio peccaminosa est?

R. Dantur quatuor diversæ somniorum species, quorum aliqua bona, & aliqua mala sunt. 1. Quædam somnia juxta D. Thomam 2. 2. q. 95. art. 6. C. immittit Deus per ministerium angelorum, ut sunt ea, quæ sacræ paginæ commemorant. 2. Dantur somnia, quæ solum a dispositione temperamenti proveniunt, suntque pure naturalia; ex quibus medici quandoque varias desumunt conjecturas de interiori constitutione somniantis 3. Somnia non nulla oriuntur ex inclinationibus, cogitationibus ac studiis, quibus homo per diem sæpius & intensius occupatus erat: *Multas curas sequuntur somnia*, dicitur Eccles. 5. v. 7. 4. Denique somnia quandoque per operationem ac fraudem dæmonis ingeruntur juxta S. Augustinum Epist. 9. alias 125. n. 3. Ex his patet, somnia oriri posse ex diversis causis; & cum tam facile cognosci haud possit, ex qua proveniant, nullam eis adstruendam esse fidem. Hinc si Marsilius serio existimat,

per

per somnia posse prævideri futuros eventus casuales, bonos & malos, reus est divinationis superstitiosæ a sacra Scriptura, Conciliis & SS. Patribus condemnatæ. *Pontas.*

Nota. Quando somnia, nec postulata, nec exspectata a Deo, consistunt in repræsentatione symbolica ac consolatoria eorum, quæ homini in bivio salutis constituto imminent, eumque cum clara symbolisatonis explicatione manifeste ad bonum dirigunt, ea Deo veniunt.

CASUS II. Lactantius, homo alias castissimus frequenter habet somnia prorsus castitati contraria, & videtur ipsi etiam in altissimo somno, se committere actiones turpissimas. An non saltem venialiter peccat?

℞. Dæmon multorum malorum somniorum auctor est; interim tamen eorum effectus in imaginatione producti de se non sunt peccaminosi, nisi eis consentiatur. *Pontas.*

Nota. Possunt etiam esse peccaminosi in causa, si quis de iis per obscœnos sermones, aspectus, lectiones, cogitationes &c. causam culpabilem præbuit; vel si quis post evigilationem se in iis cum morosa delectatione detineat.

Vide *Superstitio.*

SPICILEGIUM.

CASUS. Habentne pauperes jus spicas colligendi post messem?

℞. Lex Levitici, quæ Judæis præcipiebat, ut, quæ superessent in agris post messem, spicas relinquerent in bonum pauperum, spectabat ad legem judicialem, quæ Christianos non obligat quidem, iis tamen ob oculos ponit, misericordiam exhibendam esse pauperibus. Si consuetudo, aut lex aliqua particularis in regno quodam aut provincia idem statueret, pauperes citra injustitiam impediri non possent a colligendis spicis. Posset Episcopus in ejusmodi regno aut provincia edita constitutione hujus injustitiæ authores ad compensationem adigere, ac, si forte reluctarentur, prohibere, ne a confessariis absolvantur. Pauperi quidem, si stricte loquamur, ad segetum reliquias post messem colligendas accedenti, nullum veri nominis jus in easdem competit; sed eo tamen jure gaudet, ne vel metu, vel vi, vel fraude eas colligere prohibeatur. *Fromageau.*

SPONSALIA.

1. *Sponſalia* de futuro ſunt promiſſio inter duas perſonas habiles ad contrahendum de futuro matrimonio. Dicitur inter perſonas *habiles ad contrahendum*; nam requiritur 1. Ætas competens, ſcilicet ætas ad minimum ſeptem annorum. 2. Præter hanc ætatem uſus rationis ſufficiens. 3. Ut non interveniat impedimentum dirimens aut aliud, quod non niſi per diſpenſationem tolli poteſt. His non concurrentibus invalida forent ſponſalia.

2. Sponſalia contrahi poſſunt inter perſonas puberes aut impuberes, abſolute vel conditionate; dummodo conditiones ſint poſſibiles, licitæ & honeſtæ.

3. Cum matrimonium abſolute liberum eſſe oporteat, non licet deſponſatis convenire de mulcta pecuniaria præſtanda a parte reſiliente. Ejusmodi pacta a legibus canonicis æque ac civilibus improbantur.

4. Impuberes a ſuis parentibus deſponſati jus habent reclamandi contra ſponſalia, dum attigerunt annos pubertatis, nimirum annum duodecimum completum reſpectu fæminarum, & decimum quartum reſpectu maſculorum. Dum una pars nondum attigit pubertatem, pars altera expectare debet, donec attingat, ut deſiſtere poſſit a ſponſalibus; & tunc, quando utraque pars pervenit ad annos pubertatis, una pars renunciare poterit ſponſalibus altera etiam invita. Quando puber & impuber, aut duo impuberes contrahunt per verba de præſenti, & congrediendi potentia in eis non ſupplet ætatem, eorum præſumptum matrimonium vim habet verorum ſponſalium, & parit impedimentum dirimens publicæ honeſtatis. Verum a tempore Concilii Tridentini id non fit per matrimonium clandeſtinum, aut contractum cum conſenſu ficto; cum ſponſalia eſſe non poſſint ſine vero conſenſu.

5. Sponſalia etiam juramento firmata diſſolvi poſſunt 1. mutuo ſponſorum conſenſu. 2. diuturna nimis, trium ſcilicet annorum alterutrius abſentia. 3. per ingreſſum alterutrius in Religionem. 4. per receptionem ſacri Ordinis. 5. per matrimonium valide, etſi illicite, contractum cum alia perſona. 6. per fornicationem alterutrius; in quo caſu ſolum pars innocens renunciare poteſt ſponſalibus. 7 ſuperveniente impedimento dirimente. 8. ſuperveniente deformitate aut infirmitate notabili ac ſtabili; idem dicendum, ſi superveniat magna Religionis, honoris aut bonorum mutatio. 9. ſuperveniente capitali inimicitia inter ſponſos.

CA-

CASUS I. Eligius filiam suam anno ætatis sexto cum dimidio desponsavit Josepho, qui ejusdem erat ætatis. An sponsalia sunt valida? Potestne peccari mortaliter contrahendo sponsalia ante hanc ætatem?

℟. *Quoad* 1. Regulariter loquendo hæc sponsalia sunt ipso jure nulla; quia desponsati necdum compleverunt annum ætatis septimum, saltem nisi ambo ea rationis ac judicii maturitate polleant, aut possint dignoscere, ad quid se obligent. Ita Alexander III. & Innocentius III. Idem sentiunt S. Antoninus & S. Thomas *In sponsalibus*, hic ait, in 4. dist. 27 q. 2. art. 2. ad 7. *si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur --- Hæc autem propinquitas a quibusdam determinatur tempus sex mensium; sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus quam in aliis.* Quoad 2. Mortaliter peccant tam liberi contrahentes ante annum ætatis septimum completum, si habeant sufficientem notitiam de præcepto Ecclesiæ, quam parentes, qui liberos sic desponsant. Nihilominus cum rarissime liberi ante hanc ætatem habeant sufficientem notitiam, & parentibus quandoque suppetant urgentissima motiva præveniendi tempus a legibus præscriptum, dici potest, in hoc casu non peccari mortaliter. *Districtius inhibemus*, inquit Nicolaus I. *ne aliqui, quorum uterue vel alter ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote bono pacis talis conjunctio toleretur.* Pontas.

CASUS II. Briandus & Gabriela conjuges filium suum sex annos & quatuor menses natum desponsarunt Ludovicæ. Teneturne filius, postquam annos discretionis attigit, ratihabere hæc sponsalia suo nomine a parentibus inita? Licitene reclamat contra illa?

℟. Non tenetur ea ratihabere; &, si annos discretionis assecutus ea nec exprefse nec tacite confirmavit, absque ullo peccato iisdem renunciat. *Pontas.*

Vide cas. 1.

CASUS III. Joannes & Maria septennium ætatis quidem excedentes, sufficiente tamen usu rationis necdum pollentes a suis utrinque parentibus desponsati sunt.

℟. Sponsalia hæc sunt invalida: non enim ætas constituit valorem sponsalium, sed legitimus consensus, qui præsumi non potest in infantibus evoluto rationis usu necdum gaudentibus. Juxta D. Thomam ad contrahenda valide sponsalia amplior requiritur ratio quam ad committendum peccatum mortale. *Pontas.*

CA-

CASUS IV. Vitelius & Fulvia desponsati sunt decimo & undecimo ætatis anno. Fulvia autem pubertatem adepta revocat promissionem suam, quin ullam revocationis causam alleget.

℟. Fulvia absque peccato potest agere apud judicem ecclesiasticum pro dissolutione sponsalium, & juste eam impetrat. Idem declarat Alexander III. addita hac exceptione: *nisi carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis.* Id ipsum docet S. Thomas. *Pontas.*

CASUS V. Angelica anno ætatis octavo Bernardo desponsata revocavit promissionem suam undecim annos nata; pubertatem vero adepta non confirmavit revocationem.

℟. Revocatio est nulla, nullumque parit effectum; nisi post pubertatem confirmata fuerit: ut enim ejusmodi revocatio post adeptam pubertatem subsistat, necesse est, ut saltem tacite renovetur; & ita quidem, ut alteri parti innotescat mutatio voluntatis.

Nota. Videtur ex Decretalibus Alexandri III. erui posse, eo tempore sponsalia impuberum dissolvi haud potuisse absque authoritate judicis ecclesiastici, cum desponsati post adeptam pubertatem resilire vellent. Modo autem ejusmodi sponsalia solvuntur absque authoritate judicis per solum mutuum consensum partium. C.A.

CASUS VI. Marcellus & Cæcilia undecim annos nati a parentibus desponsati sunt, promissumque futuri matrimonii juramento confirmarunt.

℟. Hoc promissum absque peccato revocari non potest. Alexander III. sic desponsatos etiam censuris ad implendum promissum compellendos esse censuit. Successor tamen ipsius Lucius III. rigorem hunc moderatus est. *Cum libera debeant esse matrimonia*, ait hic Papa, *monenda est potius* (sponsa) *quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere,* scandalosas scilicet perturbationes, inimicitias ac implacabilia odia inter coactos ad matrimonium. *Pontas.*

Nota. Hoc juramentum ob imperfectionem judicii, ac proin ob dubietatem de valore potest a confessariis privilegiatis commutari.

CASUS VII. Paschalis & Agatha sponsalia inierunt anno ætatis decimo octavo & vigesimo. Tenenturne sub peccato mortali mutuam promissionem implere contrahendo matrimonium, si nulla eximat eos legitima excusatio?

℟. Ut promissum in sponsalibus factum obliget, requiritur regulariter loquendo, ut sit voluntarium, reciprocum, acceptatum, & signo externo declaratum. Si igitur sponsalia

falia Pafchalis & Agathæ fuerunt valida, & ab utroque bona fide inita, tenentur fub peccato mortali exequi promiffum per contractum matrimonialem: omnis enim promiffio facta cum libertate ac deliberatione in materia honefta, licita & magni momenti obligat in confcientia promittentem ad executionem promiffi. Veritas hujus principii adeo nota eft, ut nationes etiam barbaræ in eo conveniant, eosque, qui promiffi fidem violant, ut inimicos focietatis civilis detefentur. Cum ergo matrimonium fit res honefta, licita, & maximi momenti, graviter peccat refiliens absque legitima caufa. Et hæc eft unanimis Doctorum fententia. *Ex tali promiffione*, inquit S. Thomas, *obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non folvens promiffum.* in 4 dift. 27. q. 2. art. 1. ad 2. *Pontas.*

CASUS VIII. Hieroymus defponfatus eft Juftinæ ex metu gravi cadente in virum conftantem; coactus infuper fuit juramento confirmare promiffionem matrimonii. Suntne valida hæc fponfalia in foro interno confcientiæ?

℟. Non convenit hac fuper re inter Doctores. Aliqui putant, fponfalia hæc effe valida; quia datur obligatio implendi juramentum quodcumque demum, fi absque peccato impleri poteft: Hieronymus autem poteft implere juramentum fine omni offenfa Dei; tenetur ergo in confcientia ducere Juftinam. Alii tuentur oppofitum, & quidem cum majori probabilitate, dicuntque, fponfalia hæc una cum adjecto juramento confirmatorio effe nulla: matrimonium enim ex metu contractum, & votum Religionis ex metu emiffum funt invalida, cur non & fponfalia? Infiftendo præcise juri naturali fponfalia ex metu gravi cadente in virum conftantem inita non funt pleno jure nulla; quia confenfus etiam ex metu datus adhuc eft voluntarius; poffunt folum irritari a judice ecclefiaftico. Verum infiftendo juri pofitivo, probabilius hæc fponfalia funt invalida pleno jure; quia funt invalida vi juris Canonici. Sic fentiunt Doctores celeberrimi fundati authoritate Urbani VIII. Epifcopo Pifano præcipientis, ut in fimili cafu defponfatæ ex metu permittat matrimonium contrahere, quocumcunque demum ipfi libuerit. Quia tamen hæc doctrina non eft indubitato certa, confultum erit, ut pars metum paffa & refilire cupiens fe convertat ad judicem ecclefiafticum, qui declaret, metum fuiffe gravem & fufficientem ad annullanda fponfalia; aut petat ab Epifcopo difpenfationem a juramento. *Pontas.*

CASUS IX. Titia a patre fuo defponfata fuit Camillo, confentiens quidem, fed folum ex metu reverentiali erga pa-

trem, quem valde durum vehementemque esse sciebat. Jam promissum suum retractare cogitat. Num licite?

℞. Potest dici, eam excusari a peccato, saltem in foro interno, si non impleat promissum ex solo timore severitatis paternæ factum. Puella fortius ac facilius movetur metu quam vir. *Minor metus*, ait Glossa, *magis excusat fæminam, quam virum.* Timor reverentialis juxta Navarrum proxime accedit in puella ad metum gravem. *Pontas.*

CASUS X. Ambrosius iniit sponsalia cum Paula in præsentia parochi & utriusque parentum. Paula autem, cum consensisset solum externe, recusat implere fictam hanc promissionem, & confitetur. Quid agendum confessario?

℞. Licet Paula non teneatur præcise vi sponsalium ad exequendum promissum, quod implendi nunquam intentionem habuit, tenetur tamen in conscientia ratione fraudis ac injuriæ Ambrosio illatæ, aut scandali, quod ex ipsius recusatione oriretur. Hinc si ad executionem promissi adduci non potest, tenetur saltem convenire cum Ambrosio de justa compensatione, quam illi debet, si exigat. Ad alterutram harum obligationum Paula necessario adigenda est a confessario. *Quamvis simulator,* inquit Sylvius, *non obligetur vi sponsalium, quæ nulla sunt, obligatur tamen ad contrahendum vel ad componendum cum persona, cui illusit, tum propter injuriam ei factam, tum propter scandalum. Pontas.*

CASUS XI. Victorius cum Maria ejusdem secum conditionis ac fortunæ iniit sponsalia, ficte, ac ea solum intentione, ut facilius cum ea peccare posset, promissionem autem nunquam executurus. Oriturne obligatio ex his sponsalibus?

℞. Si Victorius corrupit puellam, & ea exinde contraxit infamiam, nec aliam damni compensationem acceptare velit, Victorius absolute & in conscientia tenetur eam ducere, licet sponsalia ex defectu veri consensus sint nulla. Et ab hac obligatione nullatenus eximi potest. *Pontas.*

CASUS XII. Attilius, postquam jam emiserat votum perpetuæ castitatis, contrahit sponsalia cum Julitta, eaque juramento confirmat.

Votum ab Attilio emissum reddit sponsalia illicita simul ac invalida; & ideo non potest exequi promissionem matrimonii, sed stricte tenetur servare votum, & agere pœnitentiam de juramento temerarie ac injuste addito. Sic sentit S. Antoninus nixus authoritate S. Augustini, qui ait: *juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis seu cujuscumque criminis.* Idem declaravit Cœlestinus III. *Pontas.* Vide *Fornicatio* Cas. 6.

CA-

CASUS XIII. Julianus sponsalia iniit cum Ursula. Potestne tuta conscientia emittere votum castitatis perpetuæ, & sic se eximere ab obligatione sponsalium?

℟. Utraque sententia, negativa & affirmativa suos numerat authores. Nos tuemur affirmativam: promisso enim matrimonii semper censetur fieri sub hac conditione tacita: *nisi Deus me ad sanctiorem vitæ statum vocaverit.* Si votum præcessit sponsalia, ea sunt invalida; si vero votum subsequitur sponsalia, causa datur sufficiens ea dissolvendi. Dum concurrunt duæ obligationes incompossibiles, juxta S. Thomam ea adimplenda est, quæ fortius ligat; fortius autem ligat, & longe major est obligatio voti erga Deum, quam obligatio sponsalium erga puellam; quia votum simplex non minus obligat erga Deum quam votum solemne. *Pontas.*

CASUS XIV. Rutilius desponsatus Paulinæ peccavit cum consanguinea sponsæ in tertio gradu.

℟. Affinitas per hoc peccatum contracta non dirimit sponsalia; cum Concilium Tridentinum hoc impedimentum restrinxerit ad secundum gradum. *Pontas.*

CASUS XV. Hugo desponsatus Theresiæ, ne eam ducere teneretur, studio & ex mera malitia contrahit impedimentum dirimens peccando cum matre aut sorore sponsæ.

℟. Coram Deo non tollitur per hoc obligatio sponsalium, teneturque Hugo, quantum potest, resarcire damnum illatum, petendo scilicet dispensationem ab impedimento, eaque obtenta ducere Theresiam; quam si impetrare non possit, tenetur alia ratione sufficientem compensationem præstare judicio viri prudentis. *Pontas.*

CASUS XVI. Lucianus Marcellinæ desponsatus est. Jam rumor publicus ac communis spargitur eum peccasse cum sorore Marcellinæ, quæ & ipsa id comperit.

℟. Marcellina tuta conscientia potest resilire. Immo si in hisce circumstantiis nuberet Luciano, voluntarie sese exponeret periculo contrahendi matrimonium invalidum, quod absque gravi peccato fieri non posset. *Pontas.*

CASUS XVII. Optatus initis cum Rosa sponsalibus contrahit postea matrimonium de præsenti cum Isabella.

℟. Peccavit mortaliter: matrimonium tamen est validum, licet nullam habuerit rationem priora sponsalia dissolvendi. Ita declararunt Innocentius III. & Gregorius IX., qui ait, reo imponendam esse pœnitentiam delicto proportionatam. In hoc casu pars innocens manet libera, quin necesse sit, ut sponsalia judicialiter declarentur irrita; cum ipso jure sint nulla; potest etiam a parte absque legitima causa resiliente petere compensationem damni. *Pontas.*

CASUS XVIII. Theophrastes desponsatus Catharinæ contra datam ipsi fidem duxit Antoniam. Ea post mensem mortua teneturne Theophrastes viduus ducere Catharinam adhuc cœlibem ?

℞. Non tenetur ad hoc vi sponsalium, quæ per matrimonium cum Antonia ipso jure facta sunt nulla ; tenetur tamen vi obligationis naturalis ortæ ex promisso priori, quod per contractum matrimonium tantum suspensum denuo reviviscit sublato impedimento. Ita sentit Sylvius ; potestque probari exemplo illius, qui solemniter professus est Religionem sine consensu uxoris suæ ; hic mortua uxore non potest ducere aliam, sed tenetur implere votum suum, cujus obligatio non fuit penitus extincta, sed tantum suspensa, ut declarat Alexander III. *Pontas.*

CASUS XIX. Posito, quod sponsalia Theophrasten inter & Catharinam fuerint clandestina, num & ista memoratam in casu præcedente obligationem inducunt ? Et in genere loquendo obligantne sponsalia clandestina sub peccato mortali, ut publica ac solemnia, ad ineundum matrimonium, ubi non datur causa legitima exemptionis ab hac obligatione ?

℞. Sponsalia clandestina æque sunt valida ac publica ac solemnia, eandemque inducunt obligationem. Nullatenus tamen sunt consulenda aut in praxin deducenda. Congregatio Cardinalium Concilii interpretum declaravit, Tridentinum solum irritasse matrimonia clandestina, nil decidendo circa valorem sponsalium clandestinorum. In Gallia non censentur valida sponsalia clandestina nisi scripto facta ; id ni factum fuerit, non admittitur in judiciis ulla probatio. *Pontas.*

Nota. In Bavaria paucis abhinc annis varia constituit Princeps circa sponsalia maxime clandestina, sed invitis Episcopis ; ita ut causa hæc necdum ex integro sit composita. Certum sane est, ex sponsalibus clandestinis, quæ insciis parentibus, tutoribus aut curatoribus, prava plerumque intentione, in angulis, in ipso actu peccaminoso aut occasione ejusdem contrahuntur, incentivum scaturire plurium peccatorum, contristationem parentum, discordias ac inimicitias in familiis, scandala in communitatibus, multiplicationem processuum, quibus obruuntur Consistoria, ac demum infelicissima matrimonia. Hinc summopere conduceret ad bonum tam spirituale quam temporale subditorum, si Principes concorditer cum Episcopis absque ulla restrictione ut nulla declararent promissa ejusmodi tenebricosa, nullamque sic desponsatis in judicio actionem permitterent. Sic & cessaret obligatio naturalis, quam alias parit quodvis promissum honestum ac licitum ; cum subtracta ipsi materia subsistere jam non posset : lex enim naturalis nunquam obligat ad inhonesta, illicita, justisque humanis legibus opposita. Ad hæc

ju-

insignes Theologi docent, liberos insciis aut invitis parentibus sese desponsantes semper peccare mortaliter; cum id fieri non possit sine gravissimo contemptu parentum, quos & Deus & natura in re tanti momenti ipsis dedit consiliarios.

CASUS XX. Cajetanus & Magdalena inierunt sponsalia; Cajetanus vero ex mera inconstantia datam fidem violat & ducit Bertam; quo facto & Magdalena nubit Joanni. Post aliquot menses Joanne & Berta mortuis num Cajetanus viduus, qui primus fidem fregit, tenetur in conscientia ducere Magdalenam viduam?

℟. Quidam Authores tenent affirmativam. Negativa autem videtur probabilior; quia ambo matrimonium contrahendo renunciarunt obligationi suæ ac juri reciproco. *Obligatio* autem juxta Glossam *semel extincta nunquam reviviscit. Pontas.*

Nota. Non bene hæc cohærent cum responsione data ad casum 18.

CASUS XXI. Vincentius septemdecim annos natus & Sebastiana quatuordecim annorum, ambo ejusdem conditionis, sibi invicem promittunt matrimonium in præsentia parochi, sine consensu tamen parentum suorum. Tenenturne in conscientia exequi promissum, maxime secuta fornicatione?

℟. Si parentes facto promisso se non amplius opponant, tenentur in conscientia illud implere; si vero se opponant, promissum est nullum, cum non fuerint sui juris, licet facto promisso fornicationem commiserint; ita quidem ut Vincentius non possit ullo modo exequi promissionem Sebastianæ factam, quamdiu sub alterius est potestate. Nihilominus tenetur ex justitia & ratione scandali implere suum promissum, quamprimum attigerit ætatem a lege requisitam; si illi, quorum potestati subjacet, ante hoc tempus denegent consensum. *Pontas.*

Nota. Extra Galliam, ubi reperitur lex irritans talia sponsalia, ea non sunt invalida.

CASUS XXII. Protasius Luciæ desponsatus contra datam fidem contraxit nova sponsalia cum Elisabetha, eaque juramento confirmavit.

℟. Tenetur ducere Luciam non obstante promissione altera juramento firmata; cum & hæc promissio & additum juramentum sint contra justitiam Luciæ debitam, & consequenter nulla coram Deo & hominibus. *Cum juramentum*, inquit Innocentius III. *non ut esset vinculum iniquitatis, fuerit institutum. Pontas.* Vide cas. seq.

CASUS XXIII. Eduardus triginta annos natus, & consequenter sui & actionum suarum dominus, contractis cum Euphemia sponsalibus promisit matrimonium jurato Farae, & occasione hujus cum ea peccavit.

℟. Tenetur ducere Euphemiam, quam injuria Farae illata non potest privare jure suo ex sponsalibus antecedentibus utrinque bona fide contractis aquisito. Aliud dicendum foret, si Euphemia renuntiaret juri suo ex commiseratione erga Faram summa cum infamia prostituendam, nisi nubat Eduardo. *Pontas.*

CASUS XXIV. Sylvester non determinate matrimonium promisit Mariae, sed sub his terminis: *se non aliam ducturum nisi ipsam.*

℟. Si Sylvester manere statuerit in caelibatu, non tenetur implere promissum, utpote solum terminis negativis conceptum, & in sensu conditionato prolatum; si scilicet nupturus sit, nupturum se Mariae. *Pontas.*

CASUS XXV. Albinus pater trium filiarum unam se conjugem daturum promittit Barnabae, qui interea peccavit cum una earum. Albinus id sciens, nondum determinavit, quam illi sit traditurus.

℟. Albinus non amplius tenetur dare aliquam ex filiabus suis, & penitus solutus est a promissione facta Barnabae, qui omni jure exeidit per peccatum suum: non enim tenetur dare eam, quacum peccavit Barnabas; quia peccatum non potuit praejudicari juri optionis, quod habuit pater. Reliquas duas non potest dare ipsi ob impedimentum dirimens, quod peccando cum sorore contraxit Barnabas. Conveniens tamen foret, ut offerat Barnabae illam, cum qua peccavit; quia haec difficulter repertura esset alium maritum. *Pontas.*

NOTA. Cum neutra trium harum filiarum vera subsistunt sponsalia: non enim voluntas patris, sed assensus filiae constituit sponsalia.

CASUS XXVI. Gabinius cum Sylvia iniit sponsalia sub expressa hac conditione: si Gabinius reciperetur consiliarius in Parlamento Parisiensi. Gabinius constitutus quidem fuit consiliarius, sed in Parlamento Rothomagensi.

℟. Sylvia tuta conscientia potest recusare matrimonium; cum stipulata conditio non fuerit impleta. Conditio tamen solum tacita & simpliciter subintellecta sponsalia non redderet invalida. *Pontas.*

CASUS XXVII. Palladius desponsatus est Dianae hac conditione, ut ea hausto potu se reddat sterilem, in quod alia consentit.

℟. Spon-

℟. Sponſalia hæc ſunt abſolute nulla, nec ullam inducunt obligationem contrahendi matrimonium. Ita docent Gregorius IX. S. Antoninus & S. Thomas. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Theodebertus promiſit matrimonium Paulinæ in præſentia parochi & utriusque parentum. Privatim autem declaravit Paulinæ, ſe nolle conſentire, niſi ipſa ſponderet, ad committenda furta, & negotia uſuraria fidelem operam ſe præſtituram.

℟. Conditiones bonis moribus oppoſitæ, niſi adverſentur tribus bonis matrimonii, ſunt ipſo jure nullæ; nec potior earumdem ratio habenda eſt ac impoſſibilium. Sponſalia ſub tali conditione inita ſunt valida; quia conſiderantur ut absque conditione & abſolute inita, dummodo non fuerit expreſſa intentio ſuſperdendi conſenſum usque ad impletionem conditionis. Si igitur hanc intentionem Theodebertus non habuit, tenetur ducere Paulinam; etſi ea non conſentiat in furta & commercium ipſius uſurarium. *Si autem*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. C. *fuit promiſſio ſub conditione inhoneſta, ut ſi dicam: accipiam te, ſi furtis meis conſentias; tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio.* Idem declaravit Gregorius IX. *Pontas.*

NOTA. Author cum ſuis Authoribus loquitur inconſequenter: ſi enim in priori caſu ſunt invalida ſponſalia, idem dicendum in præſenti; cum non ſolum generatio prolis, ſed etiam ſocietas perfecta ſubordinabilis ad finem naturæ humanæ ad ſubſtantiam matrimonii pertineat.

CASUS XXIX. Gilbertus ſponſalia inierat cum Petronilla puella eximiæ pulchritudinis; contigit autem paulo poſt, ut notabiliter deformaretur, amiſſo uno vel utroque oculo.

℟. Gilbertus absque peccato poteſt reſilire a ſponſalibus. Notabilis mutatio ſponſi vel ſponſæ in corpore, in animo, in honore vel in bonis fortunæ eſt ſufficiens ratio diſſolvendi ſponſalia, omnis enim mutatio ſuperveniens ſponſalibus, quæ ſi prius extitiſſet, impediiſſet ſponſalia, tollit omnem obligationem juxta hoc principium generale, quod quilibet ad contrahendum matrimonium ſe obligans, ſemper ea conditione ſe obliget, niſi perſonæ, cui fides obſtringitur, notabilis superveniat mutatio. Si cogerentur perſonæ in ejusmodi circumſtantiis ad matrimonium, effectus ſane infauſtiſſimi timendi forent. Notandum, non omnem deformitatem ſupervenientem ſponſo æque ſufficere ad ſolvenda ſponſalia, ut ſufficit deformitas ſuperveniens ſponſæ; quia non ta exquiritur pulchritudo in ſponſo, ut in ſponſa. Si tamen deformitas ſponſi adeo eſſet notabilis, ut magnam ſponſæ

ſæ crearet averſionem ac repugnantiam, idem & ſponſæ permittendum foret. *Pontas.*

Nota. Valde probabile eſt, quod, ſi ante ſponſalia una pars delineatur deformitate corporali notabili, quam ex induſtria occultaſſet, pars ignorans non teneatur in conſcientia exequi promiſſionem juxta regulam juris: *paria ſunt non eſſe, & non apparere.* C. A.

CASUS XXX. Claudius ſolemniter fuit deſponſatus Franciſcæ, quæ vi contractus ſponſalitii dotem afferre tenebatur 10000. Imperiales. In erea domus quædam, quæ præcipuam dotis partem conſtituebat, pridie diei nuptialis incendio periit. Et ideo Claudius ſub prætextu tenuitatis bonorum ſuperſtitum Franciſcam ducere renuit.

℞. Absque peccato poteſt Claudius reſpuere matrimonium cum Franciſca, hac tamen cum exceptione: *niſi dos ad levanda matrimonii onera ſufficiens remaneat.* *Pontas.*

CASUS XXXI Polybius cum Eleonora contrahit ſponſalia; hæc dotem ſpondet 2000. Imperiales. Paulo poſt autem hæreditatem obtinet 20000. florenorum. Cum jam tantis divitiis auctæ matrimonium magis proficuum offerretur, recuſat nubere Polybio.

℞. Tuta conſcientia & absque peccato non poteſt recuſare matrimonium cum Polybio, cujus ex parte nulla realis mutatio circa bona fortunæ accidit. Conditio illa tacita, *niſi mutatio notabilis ſupervenerit,* quæ ordinarie in contractu ſponſalitio imbibita cenſetur, non debet referri ad perſonam contrahentem, ſed ad eam, quacum contrahitur. Nihilominus ſi confeſſarius Eleonoræ tantam ab hoc matrimonio in ea averſionem adverrat, ut peſſimæ ſequelæ exinde timeri debeant, non poterit per denegationem abſolutionis eam compellere ad illud ineundum. *Pontas.*

Nota. Confeſſarius rem relinquat judicio Judicis eccleſiaſtici, aut pro more regionis, politici, cujus eſt in negotiis publicis determinare indeterminata circa conditiones tacitas contractuum neque a lege neque ab ipſis contrahentibus ſatis clare determinatas.

CASUS XXXII. Praxedes comperit, Blaſium ſponſum ſuum lapſum fuiſſe in hæreſin; paulo poſt tamen pœnitentia ductum ſeſe recepiſſe in ſinum Eccleſiæ, ac publice abjuraſſe hæreſin.

℞. Praxades non poteſt obligari in conſcientia, ut nubat Blaſio. Ratio eſt 1 quia juxta S. Auguſtinum hæreſis eſt quædam ſpecies fornicationis; fornicatio autem nulla reddit ſponſalia. 2. quia abjuratio hæreſis adhuc manet ſuſpecta, & merito timendum, ne eam amor proprii commodi aut alius inordinatus affectus ſuggeſſerit. *Pontas.*

CA-

CASUS XXXIII. Daniela desponsata Damaso tantam animi aversionem adversus illum concepit, ut ad matrimonium adduci haud posset. Poteſtne tuta conscientia insistere proposito suo manendi in cœlibatu aut nubendi alteri?

℞. Non potest propria authoritate dissolvere sponsalia; neque sufficiens ratio est dissolvendi ea, si hæc affectus mutatio proveniat ex naturali inconstantia personæ. Si tamen suborta aversio foret tam magna ac pertinax, ut sinistri ex matrimonio eventus timeri possint, dissolutio sponsalium a judice ecclesiastico peti potest. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Henrica desponsata Lamberto, octiduo post Religionem ingreditur.

℞. Multi Anthores censent, sponsalia resolvi ipso jure. Cum pluribus autem aliis dicendum, ea resolvi quidem ex parte Lamberti manentis in sæculo, non autem ex parte Henricæ, quæ non nisi post emissam solemnem professionem liberatur ab obligatione promissionis suæ. Hinc si Henrica deposito ante professionem habitu in sæculum rediret, & Lambertus necdum contraxisset matrimonium cum alia, ea teneretur nubere Lamberto id petenti. Lambertus vero ab eo die, quo sponsa suscepit habitum monasticum, liber est ab omni obligatione sponsalium. *Pontas.*

NOTA. Hæc conditio, nisi scilicet sponsus vel sponsa assumpserit habitum Religionis, jure naturali aut etiam divino non est imbibita in contractu sponsalitio; & dispositio juris positivi humani ignorari potest. Supposita autem ignorantia dependet a judicio Ecclesiæ, an per ingressum Religionis dissolvens sponsalia vere ducatur motivo altiori, ut mereatur hunc favorem legis.

CASUS XXXV. Alexander desponsatus Florentiæ contra datam fidem, quin sponsa causam dederit, recipit Subdiaconatum.

℞. Certum est, per susceptionem Subdiaconatus sponsalia resolvi ipso jure, & utramque partem liberam esse ab omni obligatione; quia Subdiaconatus annexum habet votum solemne castitatis, redditque ordinatum inhabilem ad contrahendum matrimonium. Sic decidunt Bonifacius VIII. S. Gregorius M. S. Leo, & plura Concilia. *Pontas.*

NOTA. Peccavit tamen sic ordinatus graviter; & Papa haberet potestatem eum restituendi sponsæ, nisi sponsalia fuerint aliis ex causis merito irritabilia.

CASUS XXXVI. Germana contraxit sponsalia cum Paulino, quem existimabat probum ac moderatum; comperit autem paulo post, eum esse violentum & valde vitiosum.

℞. Causa hæc sufficiens est ad eximendam sponsam ab omni obligatione; quia certe non consensisset in sponsalia, si novisset vitia sponsi. Ad hæc merito timere posset sponsa, pessime se habendam, ac demum cogendam, ut petat separationem quoad habitationem, aut vitam vivat infelicissimam. *Pontas.*

Nota. Dependet a sententia judicis, an prudenter censeri possit, intentionem puellæ misse tacite alligatam tali qualitati.

CASUS XXXVII. Columba inito cum Cassiodoro contractu sponsalitio fuit violenter oppressa ab Athanasio, omnibus licet viribus reluctans. Poteſtne Cassiodorus eam sub hoc prætextu respuere?

℞. Si sponsus solus sciat factum, nec ulla in eum infamia sit redundatura, juste non potest sponsalia dissolvere. Sunt Authores, qui eum ad id obligant saltem ex charitate, etsi ex justitia non teneretur. Si autem Columba fuisset imprægnata, non teneretur eam ducere, etsi factum sit penitus occultum; quia ipse censeretur pater prolis, & proles ipsa præsumeretur legitima cum jure succedendi in bonis tam paternis quam maternis in præjudicium hæredum legitimorum. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Posito quod Columba ultro fornicationem commiserit ante contracta sponsalia, idque Cassiodoro sponso primum innotescat post sponsalia, poteſtne eam in conscientia repudiare, cum ipse sibi ejusmodi peccati conscius non sit?

℞. Potest eam repudiare. Ratio est 1. Quia, nisi fornicatio sit prorsus occulta, infamia Columbæ in ipsum sponsum esset redundatura. 2. Quia improbitas sponsæ etiam in futurum suspectam reddit ejus continentiam ac fidelitatem, quæ eo facilius violari posset, quo magis peccatum sub velamine matrimonii occultari valeret. 3. Quia sponsus non censetur contrahere cum sponsa nisi sub tacita hac conditione: *modo incontinentiæ rea non fuerit.* Si vero Cassiodorus jam habuit notitiam peccati eo tempore, quo contraxit cum ea, tenetur eam ducere; quia censetur eidem condonasse culpam, & secuturam exinde infamiam. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Victoria comperit, Romanum sponsum suum commisisse fornicationem ante contracta sponsalia.

℞. Non videtur eadem libertas tam facile concedenda sponsæ, quæ conceditur sponso. Si tamen consideratis omnibus circumstantiis temporis, loci & personæ extet probabile periculum, ne sponsus in idem peccatum recidat post nuptias,

spon-

ſponſa licite reſilit. Sed antequam id fiat, diligenter penſandæ ſunt circumſtantiæ, examinandumque, an Romanum attingant. *Pontas.*

CASUS XL. Tullia ſcit, Ruſticum ſponſum ſuum commiſiſſe fornicationem a tempore initorum ſponſalium.

℟. Non eſt dubium, Tulliam juſte reſilire a ſponſalibus; promiſſio enim futuri matrimonii tacite imbibitam habet hanc conditionem: *modo continentiam ſervaveris.* Diſſolutio ſponſalium ſemper locum habet, ſive ſponſus ſive ſponſa fornicetur; cum hac in re ſint ejusdem conditionis, & promiſſum non debeatur contra promiſſum agenti. *Pontas.*

CASUS XLI. Sylveria Emmanueli deſponſata admiſit a Luciano laſciva oſcula vel tactus impudicos.

℟. Emmanuel habet ſufficientem reſiliendi cauſam. *Poteſt vir a ſponſalibus recedere,* ait Sanchez, *ſi poſt fœmina tactus impudicos alterius, ut amplexus & oſcula patiatur; quia eſt notabilis mutatio, idque in magnum viri dedecus cedit. Pontas.*

CASUS XLII. Iſidorus, poſtquam ſponſalia cum Apollonia inita firmaverat juramento, commiſit cum ea fornicationem. Dein timens de ejus inpoſterum incontinentia ac infidelitate, cum tam facile poſſit ſeduci, ſtatuit ſuſcipere vitam monaſticam, & deſuper conſulit confeſſarium.

℟. Confeſſarius nec debet nec poteſt probare conſilium Iſidori, quod exequi non poſſet ſine conſenſu expreſſo ac libero Apolloniæ. Iſidorus igitur indiſpenſabiliter tenetur promiſſum ac juramentum implere. Ad hæc bonum famæ ac honoris, quo ſponſam per corruptionem ſpoliaverat, eſt de jure divino, adeoque præferendum bono profeſſionis Religioſæ, quæ tantum eſt de conſilio. Ita ſentiunt Bonifacius VIII. S. Antoninus, Sanchez & plures alii ab eo citati. *Pontas.*

Nota. Nec juramentum, nec fragilitas, nec motivum Iſidori eſt ſignum vocationis ad ſtatum Religioſum.

CASUS XLIII. Quid ſi Iſidorus jam tunc, dum peccaverat cum Apollonia ſponſa ſua, habuiſſet juſtam cauſam reſiliendi, eoquod ſciret, eam jam antea peccaſſe cum Jacobo poſt contracta ſponſalia?

℟. Peccatum Apolloniæ præcedens in hoc caſu Iſidoro non poteſt eſſe ſufficiens ratio ingrediendi Religionem, ſed manet adhuc ligatus promiſſione ſua eam ducendi, quam renovavit ac confirmavit per ipſum actum peccaminoſum. *Sponſus accedens carnaliter ad ſponſam,* inquit Sanchez, *cenſetur remittere jus reſcindendi ſponſalia ratione cauſæ præcedentis ignora-*

ratæ, vel subsequentis, si illius causæ tempore copulæ conscius erat. Pontas.

CASUS XLIV. Publius sponsus Justinæ lapsus est in hæresin.

℟. Justina jure potest petere dissolutionem sponsalium, & nubere alteri. *Pontas.* Vide Cas. 32.

CASUS XLV. Raynaldus sponsus Julianæ peccavit cum Publia, & Juliana cum Titio. Sponso & sponsæ innotuit alterius peccatum.

℟. Nec sponsus nec sponsa potest resilire, utpote paribus delictis mutua compensatione sublatis. Et quamvis peccatum sponsæ turpius sit ac scandalosius quam peccatum sponsi, neutra tamen pars habet, quod alteri exprobret, cum utraque para ejusdem peccati rea sit. *Pontas.*

Nota. Censeo, quod utraque pars possit resilire: nam pars, quæ prior peccavit, amisit suum jus; & si pars innocens hoc illi jus per condonationem restituit, redit in jus pristinum inviolabile a parte altera.

CASUS XLVI. Gennadius sponsus Carolinæ secreto fornicatus est cum Joanna, inscia tamen sponsa sua, cui indubitatum jus competeret resiliendi, si id sciret. Jam quæritur, utrum Gennadius tam male sibi conscius possit cogere Carolinam ad nuptias, quas illa aversatur, quin ullam causam legitimam allegare queat.

℟. Potest Gennadius adigere sponsam ad implenda promissa. Ratio est; quia non tenetur ultro subire pœnam promeritam, quam judicis est infligere. Puella, quæ scit, se non esse virginem, non tenetur desistere a jure sponsalium; immo potest sponsum cogere ad implendum promissum, etsi hic nunquam contraxisset, si novisset hunc defectum. Ergo idem dicendum de sponso. *Pontas.*

CASUS XLVII. Hermogenes legitime desponsatus Amaliæ, cum ea post inita sponsalia peccasset, propria authoritate, non implorando sententiam judicis ecclesiastici, rescindit sponsalia, & ducit aliam.

℟. Non videtur peccasse mortaliter, nisi fors per hunc actum disciplinæ ecclesiasticæ oppositum dederit grave scandalum. Immo potest dici, Hermogenem egisse ex præscripto charitatis, dum sic conservavit honorem ac famam Amaliæ. Notandum hic, authoritatem judicis solum requiri ad dissolvenda sponsalia publica ac notoria: occulta enim & clandestina possunt ex gravi ac justa causa dissolvi privata authoritate desponsatorum, aut eorum, quorum interest. *Pontas.*

C.A

CASUS XLVIII. Medardus habet causam legitimam publice notoriam resiliendi a sponsalibus cum Julitta initis. Teneturne hoc non obstante sub peccato recurrere ad judicem ecclesiasticum pro obtinenda dissolutione eorum?

℟. Quidam Authores existimant, authoritatem judicis ecclesiastici non esse necessariam, si adsit causa justa, certa ac notoria, & scandalum non sit timendum. Alii docent, sponsalia valide contracta dissolvi non posse absque peccato nisi per judicem ecclesiasticum, exceptis tamen sequentibus casibus: 1. Dum una pars amplectitur statum Religiosum. 2. Dum vel sponsus vel sponsa actu contraxit matrimonium cum alio vel alia. 3. Si ex parte alterutrius superveniat fornicatio notoria. 4. Si detegatur impedimentum dirimens consanguinitatis aut affinitatis. 5. Denique, dum sponsus suscepit sacros Ordines. Addendum hic, quod, si sponsalia sint prorsus occulta, nec contracta coram parocho, prætermitti possit ad eorum dissolutionem judex ecclesiasticus, cum non possit oriri scandalum. *Pontas.*

NOTA. Etsi in quinque his casibus non detur lex generalis requirendi authoritatem judicis ecclesiastici ad dissolutionem sponsalium, posset tamen dari lex particularis diœcesana, quæ omnino servari deberet. C.A.

CASUS XLIX. Eduardus sponsæ suæ, quæ peccaverat cum Arnaldo, in præsentia parochi declarat, se retractare suam sponsionem, utpote argumentis certis convictum de infidelitate ipsius.

℟. Non sufficit hæc declaratio ad dissolutionem sponsalium; cum parochus hac in re non sit Superior legitimus, sed Episcopus, vel Officialis, vel alius ab eo delegatus. *Pontas.*

CASUS L. Philogonius & Livia sponsalia inierunt coram SS. Sacramento, eaque juramento firmarunt, ac in rei testem vocarunt Christum in Sacramento præsentem. Viguit exinde turpe inter eos commercium, quod advertentes consanguinei Philogonii eum ex Germania miserunt in Italiam negotiorum causa. Ante abitum renovavit promissum sponsæ suæ, vicissim integram fidelitatem spondenti. Ex Italia primo biennio plures ad sponsam dedit litteras ininterruptæ fidei suæ testes; sexennio autem abhinc nec litterulam.

℟. Livia absque peccato potest alteri nubere, quin teneatur desuper monere Philogonium (immo ne quidem indiget relaxatione juramenti: leges enim desponsatis terminum exspectationis fixerunt respectu absentium, intra eandem tamen provinciam existentium, duos annos; triennium vero pro

exi;

existentibus in diversis provinciis. Non reperitur, qui terminum hunc longius protrahat. *Pontas.*

CASUS LI. Ludovicus promisit Lydiæ, se cum illa initurum conjugium ad summum intra sex menses. Annus autem fere abiit, ex quo Ludovicus Lydiam non invisit, nec scribit, nec indicat perseverantiam propositi sui. Lydia hanc sponsi indifferentiam ægre ferens contrahit cum alio, secuta autem mox oppositione Ludovici.

℟. Non tenetur ullam hujus oppositionis rationem habere Lydia. *Ubi terminus apponitur*, ait Innocentius III. *ultra terminum non tenetur ad contrahendum; alias nihil operaretur appositio termini. Pontas.*

CASUS LII. Sebastianus sponsus Monicæ abiit in regionem valde remotam, & quidem inscia sponsa, ibique moratur notabilii temporis spatio.

℟. Monica certe potest petere rescissionem sponsalium. Ita declaravit Alexander III. *Pontas.*

CASUS LIII. Si autem Sebastianus abiisset in regionem non admodum dissitam a domicilio Monicæ, num ea ex justitia tenetur expectare reditum sponsi, aut saltem illi declarare propositum suum quærendi alias nuptias, si certo tempore non sit rediturus? Potestne hoc tempore elapso nubere alteri?

℟. Si in utroque casu sponsus absens foret consentiente sponsa, hæc juxta quosdam Authores teneretur sequi dispositionem legum Romanarum casu 50. indicatam. Alii censent, non tam rigorose insistendum his legibus, sed determinationem temporis relinquendam esse arbitrio judicis ecclesiastici; id quod æquitati & rationi multo conformius est, & in pluribus diœcesibus usuvenit. *Pontas.*

CASUS LIV. Sempronius jam per octo menses desponsatus Titiæ ipsum matrimonium ab uno tempore in aliud sub variis ac vanis prætextibus protrahit. Quid agendum sponsæ?

℟. Sponsa citandum curet sponsum ad Superiorem legitimum, ejusque sententiæ se conformet: *nec* enim, ut ait Glossa, *in sua causa potest quis esse judex. Pontas.*

CASUS LV. Florinus peccavit cum Constantia, sine proposito tamen eam ducendi. Pater puellæ sciens, eam esse imprægnatam, vehementissime urget Florinum, ut eam ducat; hic autem reponit, parentes suos non consensuros, cum puella esset longe inferioris conditionis. Pater demum puellæ promittit dotem adeo notabilem, ut Florinus in præsentia parochi pure ac simpliciter jurato promiserit, se ducturum corruptam. Jam quæritur, utrum Florinus, qui per plures menses frustra apud patrem Constantiæ pro dote insti-

ſtiterat, in conſcientia teneatur puellam ducere, maxime ratione juramenti, etſi pater non niſi tertiam partem promiſſæ dotis offerat.

℞. Non tenetur, nec juramentum additum obligat; quia fuit alligatum promiſſioni patris & quantitati dotis. Ita ſentiunt Sylvius & Navarrus nixi hoc principio: *judicio prudentis viri conſideratis negotii circumſtantiis nunquam promiſiſſet, ſi illud præcogitaſſet. Pontas.*

CASUS LVI. Antonius & Raynalda deſponſati, refrigeſcente ſenſim mutua charitate & amicitia, remiſerunt ſibi invicem obligationem ſponſalitiam propria authoritate.

℞. Abſque peccato id fieri potuit, etſi ſponſalia fuiſſent juramento firmata. Ita declarat Innocentius III. concordatque regula juris: *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Reciproca utilitas partium fuit motivum ſponſalium; & hac ceſſante mutuo conſenſu tollitur obligatio. *Pontas.*

Nota. Si ſponſalia fuerunt ſolemniter contracta coram parocho & teſtibus, etiam diſſolvenda ſunt coram parocho & teſtibus.

CASUS LVII. Hubertus iniit ſponſalia cum Julia, quæ accepto licet ab eo arrhæ inſtar munuſculo recuſat illi nubere. Teneturne arrham reſtituere? Aut num teneretur ad reſtitutionem, ſi ipſa volente Hubertus nollet eam ducere ex mera inconſtantia?

℞. Quoad primam quæſtionem Julia tenetur reſtituere arrham, niſi habeat legitimam cauſam reſiliendi. Quoad alteram certum eſt, omni jure privari Hubertum ad arrham. *Pontas.*

CASUS LVIII. Martinus & Joanna ſponſalia contrahentes convenerunt de mulcta pecuniaria ſolvenda a reſiliente. Martinus reſilit; teneturne ſolvere mulctam ſtipulatam?

℞. Joanna non habet jus exigendi hanc pœnam conventionalem; quia omnis ejusmodi pactio nulla eſt in ſponſalibus, cum adverſetur plenæ ac integræ libertati ad contractus matrimoniales requiſitæ. Non ſolum Jus Canonicum, ſed & Civile reprobat id genus ſtipulationes; ex quo infertur, eas nec in foro interno ullam habere vim obligandi, etſi fuiſſent juramento firmatæ; quia non licet exequi juramentum circa rem per leges Eccleſiæ prohibitam. *Pontas.*

CASUS LIX. Dionyſius homo mediocris fortunæ contracturus ſponſalia cum Natalia puella ditiſſima paciſcitur cum ea, ut ſi ipſa reſiliret abſque culpa ſponſi, teneatur compenſare lucrum ceſſans, illud videlicet, quod conſecuturus fuiſſet ex tam pingui matrimonio. Juſtane eſt hæc ſtipulatio?

℞. Sti-

℞. Stipulatio hæc cum sit injusta, Natalia non tenetur ad ullam compensationem vi hujus conventionis; quia præter rationem casu præcedente allegatam Dionysius nullum habet jus ad illud lucrum ante actualem celebrationem nuptiarum. *Pontas.*

CASUS LX. Julia desponsata Thomæ potestne absque injustitia ab illo recipere summam pecuniæ titulo compensationis a Thoma injuste resiliente sibi oblatam?

℞. Si vere quoddam damnum passa est, potest eam recipere; immo justam damni reparationem poterit judicialiter exigere. Si vero nullum pertulit damnum, nec quidpiam recipere nec exigere potest titulo compensationis. *Pontas.*

CASUS LXI. Sponsalia absque testibus & assistentia parochi inita suntne valida? An ex iis contrahitur impedimentum publicæ honestatis in ordine ad matrimonium?

℞. Quoad utrumque attendendum est ad consuetudinem dioecesium, & ad ea, quæ præscribuntur in Ritualibus. *Fromageau.*

Nota. Impedimentum publicæ honestatis inducitur etiam per sponsalia clandestina; quia inhonestum est, conjunctionem animorum sponsalitiam habere cum pluribus propinquis in primo gradu.

CASUS LXII. Berta contraxit sponsalia cum juvene, cujus effrenata vivendi licentia probro futura esset toti familiæ Bertæ, si ipsi matrimonio jungeretur.

℞. Sponsalia hæc sunt invalida; quia ejusmodi matrimonium adversaretur pietati ac charitati parentibus & consanguineis debitæ. Berta insuper ageret contra justitiam; quia hæc conjunctio fieri non posset absque damno ac præjudicio quorumdam ex familia Bertæ. C. B.

CASUS LXIII. Paulus post contracta cum Berta coram testibus sponsalia clam emittit votum simplex castitatis.

℞. Paulus tenetur ducere Bertam, quod eruitur ex Cap. *Veniens*. 5. Lib. 4. tit. 6. ubi Alexander III. jubet pœnitentiam imponi puellæ, quæ post contracta sponsalia votum castitatis emiserat; quod factum non fuisset, si per votum castitatis sponsalia solverentur. Accedit, quod in his circumstantiis votum non possit acceptum esse Deo; cum cedat in præjudicium illius, quocum sponsalia fuere inita. Hinc si Berta exigat, Paulus tenetur eam ducere non obstante voto. C. B.

Nota. Si Paulus nollit ingredi Religionem, censeo hoc votum esse nullum, utpote imprudens, moraliter inobservabile, & cedens in notabile præjudicium sponsæ, cui gravissimum accideret, nunquam frui posse cupitis amplexibus, nisi per importunas vel inverecundas preces, etiam tunc ac toties iterandas, quoties in marito adver-

verteret gravem tentationem. Hinc sponsus pro tranquillanda sua conscientia tenetur petere saltem commutationem sui voti; & si hoc non faciat, sponsa conscia habet causam resiliendi.

CASUS LXIV. Tarquinia marito suo periculose decumbente intensissimo dolore abripiebatur. Galenus olim cum ea luxuriose versatus, eam solabatur inquiens: quid multum angeris, si moriatur maritus, ocyus habebis alium: vis mihi nubere post mortem mariti? Illa subridens consentit, & defuncto marito ambo se vere desponsatos esse existimarunt. Suntne valida hæc sponsalia?

℟. Non valent: siquidem, etsi omnes aliæ conditiones requisitæ adforent, deest tamen promissio Galleni reciproca & absoluta; dicta enim illius ad Tarquiniam ante obitum mariti ostendunt quidem animi propensionem ad eam ducendam, non autem positivam promissionem. Addo, hæc sponsalia etiam ex alio capite non valere; quia promissio ejusmodi facta vivente conjuge non solum est graviter illicita, verum etiam omnino nulla ac irrita. C. B.

CASUS LXV. Sparso rumore de dictis in casu præcedente sponsalibus supervenit Cajus, sibi deberi prætendens Tarquiniam, & non alteri; eoquod cum ea jam contraxisset sponsalia, antequam nupserat marito primum defuncto. Num justa hæc Caji prætensio?

℟. Justa est, si absque causa legitima, ut supponitur, Tarquinia resilivit a contractu sponsalitio cum Cajo inito, ac etiam in præsens non habeat justam causam repudiandi Cajum. Ratio est, quia promissio facta & acceptata cadit in debitum, cujus obligatio impotentia intermedia suspenditur quidem, non autem extinquitur nisi impotentia perpetua. Hinc si Tarquinia cogitet transire ad secundas nuptias, Cajusque, qui se ea indignum non reddidit, velit eam ducere, tenetur absque dubio illi nubere, & non alteri. C. B.

CASUS LXVI. Franciscus initis cum Berta sponsalibus peccat cum ea; paulo post detegitur ipsi causa legitima resiliendi, & quidem jam posita ante peccatum, sed ipsi tunc non cognita.

℟. Franciscus potest dissolvere sponsalia, supposito quod causa noviter detecta sit vere sufficiens; quia, cum voluntas non feratur in incognitum, nemo censetur per propriam actionem renunciare juri suo, quod tempore actionis ignorabat se habere. Hinc, etsi Franciscus peccando cum Berta videretur obfirmasse animum suum sponsalia ad effectum perducendi, jus tamen resiliendi, quod tunc habere se nesciebat, salvum persistit etiam post peccatum commissum. C.B.

CASUS LXVII. Petronius desponsatus Franciscæ viduæ comperit, eam post mortem primi mariti fornicatam fuisse cum Titio; quapropter cogitat rescindere sponsalia. Licetne hoc?

℟. Licet, sive dein ante, sive post sponsalia cum Petronio inita Francisca peccaverit; quia promissio sponsalitia non amplius obligat, si postea ab alterutro sponsorum vel committatur, vel commissum detegatur probrosum crimen, quo cognito promissio sponsalitia non fuisset facta, prout accidit in hoc casu. C. B.

CASUS LXVIII. Thadæus, postquam valide contraxit sponsalia cum Berta, nova init cum Theresia, eaque juramento confirmat. An priora sponsalia annullantur per posteriora?

℟. Non annullantur; nam secunda sponsalia fuerunt illicita simul & invalida, nec juramento confirmari potuerunt; cum juramentum nunquam possit esse vinculum iniquitatis. C. B.

CASUS LXIX. Titius iniit sponsalia cum Berta sub hac conditione, si patris sui consensum obtinuerit intra annum; ast pater moritur, antequam consensus ipsius fuerit requisitus.

℟. Sponsalia hæc sunt valida in foro conscientiæ. Ratio est; quia conditio hæc tantum fuit adjecta ex metu offendendi patrem; eo autem mortuo cessat motivum additæ conditionis, quæ jam purificata censetur. Consequenter hæc sponsalia integrum vigorem suum retinent, acsi essent absolute contracta. C. B.

CASUS LXX. Lælius contractis sponsalibus cum Cassia sub hac conditione: *Si Papa dispensaverit in impedimento dirimente*, pendente adhuc conditione invenit aliam puellam Cassia pulchriorem ac ditiorem, & cum ea init matrimonium, relicta Cassia. Peccavitne?

℟. Probabilius peccavit; quia, cum conditio apposita sponsalibus cum Cassia esset honesta, ejusque impletio de jure possibilis, Cassia jure potuit exigere a Lælio, ut per rationabile temporis spatium expectaret, donec scilicet posset peti ac obtineri Romæ dispensatio, eaque obtenta & sic conditione effectum suum sortita promissum matrimonium exequeretur. C. B.

NOTA. Si Cassia sit juste & graviter invita, certum est, Lælium graviter peccasse.

Vide *Dispensatio. Donatio. Fornicatio. Impedimenta matrimonii in genere.*

SPURIUS.

Spurii in ſenſu lato dicuntur omnes, qui extra legitimum matrimonium nati ſunt. Alii ſunt *adulterini*, qui ex adulterio ſimplici vel duplici procreantur; alii *inceſtuoſi*, qui ex perſonis cognationis vel affinitatis vinculo irretitis naſcuntur; alii demum *ſacrilegi*, qui ex perſona vel perſonis ſpecialiter Deo ſacratis prodeunt; & hi omnes proprie dicuntur ſpurii, nec unquam poſſunt legitimari, ſuntque inhabiles ad omnia Beneficia & dignitates eccleſiaſticas, niſi a Papa diſpenſationem obtinuerint.

CASUS. Titius Prior commendatitius in favorem filii ſui ſpurii in Curia Romana obtinuit diſpenſationem, qua hic capax efficitur ad poſſidenda quæcumque Beneficia, quorum redditus 500. florenos non excedunt, exceptis ſolum iis, quæ pater ipſius poſſidet. Pater his non obſtantibus ſuum illi Prioratum reſignat. Num licite? An filius, qui ſuper hoc Beneficio litteras proviſorias Roma jam accepit, poteſt permutare hoc jus, quod prætendit ad Beneficium? Num ſimoniam committeret, ſi ſibi procuraret aliud Beneficium, ejusque Titulari affecuraret Beneficium ſibi a patre reſignatum?

℟. Titius ſine nova diſpenſatione priori clauſulæ derogante non poteſt filio ſuo Prioratum reſignare; neque filius permutare poteſt jus, quod prætendit, utpote nullum. Demum certo committeretur ſimonia, ſi tali modo filius ſibi procuraret aliud Beneficium. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Hæres. Illegitimus.*

STIPENDIUM MILITARE.

1. Exhortatio, quam narrante Evangelii textu olim ad milites habuit S. Joannes Baptiſta, ſatis demonſtrat, militiam profeſſos a regno Dei non excludi; poteſtque ea exhortatio applicari non tantum militi gregario, ſed etiam præfectis militiæ ac officialibus: nempe tam iſti quam illi contenti eſſe debent ſuis ſtipendiis, quæ a Principe percipiunt. Excubiarum Præfecto non licet, ſub quovis prætextu negare vel differre ſtipendia militibus, & interea moras ex moris nectendo in lucrum ſuum vertere pecunias unice ad hoc deſtinatas, ut diſtribuantur inter milites tempore a legibus & conſuetudine definito. Injuſtiſſimus eſt hic agendi modus; tepeſcit & languet miles in militiæ muniis rite obeundis, ſi

 ſti-

stipendia ultra tempus consuetum differantur, indeque prætextus captant plerique quavis data occasione vexilla sua & militiam deserendi, aut omnino ad hostes transfugiendi.

2. Capitanei vel Centuriones, qui, dum legiones recensentur, integras non habent suas centurias; & hinc, ut fucum faciant supremo copiarum Imperatori vel Principi, milites suppositios immiscent, fures sunt ærarii Principis, si in stipendiorum distributione plenum accipiant æs militare, ac si completas habuissent suas centurias.

3. Copiarum duces in militari itinere constituti, qui ab annonæ castrensis procuratore vel in parata pecunia vel com meatuum portionibus jus transitus vel mansionis exigunt pro majore militum numero, quam secum ducunt, pariter injuste defraudant ærarium Principis sui; quod quidem duobus modis potest contingere, vel nempe militum suorum numerum contra veritatem augendo. vel secum ducendo milites extraneos & adscititios reipsa ad se non pertinentes, pro quibus tamen commeatum exigunt, ac si vera legionum & centuriarum suarum membra essent aut supplementa.

4. Tandem vero officiales bellici, qui stipendia retinent suis militibus, furtum insigne committunt, & thesaurum iniquitatis sibi coacervant.

CASUS. Milites quandoque extra mansiones suas, maxime tempore hybernorum variis artibus & labori manuum vacant. Possuntne Capitanei ipsis retinere vel subtrahere stipendium sub eo prætextu, quod lucrum ipsis proveniens ex hisce laboribus multum superet stipendium militare?

R. Absque summa injustitia id fieri non potest; teneturque ejusmodi officiales ad plenissimam restitutionem omnium, quæ hactenus retinuere: & si nolint se se subjicere oneri restitutionis, non sunt absolvendi. *Fromageau.*

STRUMA.

Struma est affectus corporis consistens in tumore circa partes colli glandulosas, qui plerumque exoritur ex usu aquæ vividioris aut nimium frigidæ; valdeque communis est in Hispania & Comitatu Tyrolensi. Regi Franciæ speciale a Deo donum concessum creditur curandi strumas. Rex Angliæ quoque vi juris chimærici in regnum Galliæ hoc sibi donum arrogat; sed in effectu illud monstrare non præsumit.

CASUS I. Tiburtius ex eodem matrimonio continua serie septem genuit filios, quorum septimus, Marcussus nomi-

ne

ne, factus est presbyter. Communis opinio, hunc habere donum sanandi strumas, eoquod esset septimus, effecit, ut ex tota vicinia hoc malo affecti catervatim accurrerent, per ipsius attactum & benedictionem a malo se liberandos rati. An nulla hic intervenit superstitio?

℟. Hæc praxis est manifestus abusus: ex eo enim, quod sit filius septimus, nec a natura habet hoc donum, nec ex virtute supernaturali. Et hinc est mera superstitio popularis, quam penitus extirpare oportet. *Pontas.*

CASUS II. Catullus ultra sexennium struma gravatus percipit, Regem Galliæ posse strumas curare. Cum multis igitur aliis hoc malo affectis Regem adit; & re ipsa curatus est per attactum regium factum cum quorumdam verborum pronunciatione. An nulla intercedit superstitio?

℟. Curatio hæc absque omni superstitione aut abusu facta est: Rex Galliæ enim vere hoc gaudet dono ex virtute unctionis sacræ, quæ in ejusdem coronatione peragitur, ut plures graves Authores, & testes oculati id confirmant. *Pontas.*

SUFFRAGIUM CAPITULARE.

Agitur in hoc articulo de jure Religiosi capitularis vocem suam manifestandi in Capitulo, ubi id rei gravitas, jus commune aut constitutiones Ordinis vel monasterii exigunt, quod maxime fit in scrutinio; & circa hoc omnibus *suffragii* jure gaudentibus plena libertas esse debet.

CASUS. Castalion Religiosus utroque oculo cæcus est. Gaudetne nihilominus jure suffragandi in electionibus & receptionibus Candidatorum, aliisque negotiis capitularibus?

℟. Omnino gaudet hoc jure, eoque privari non potest; & hinc omnia ipsi procuranda media, ut secure ac libere suffragium suum dare possit: tutius tamen foret pro conscientia ipsius, si ipsemet ultro renunciet juri suo, cum facile decipi possit. Idem dicendum de Moniali eodem defectu laborante. *Fromageau.*

SUPERIOR.

1. Agitur hic de *Superiore* Regularium, qui ita inter suos conversari debet, ut Christus conversatus est suos inter discipulos, sicque fratrum suorum perfectioni ac saluti studere, ut Christus de discipulorum suorum sanctificatione erat sollicitus; cujus nempe actiones in omnibus suis operibus exprimere debet, &, ut ita dicam, efficere, ut invisibilis

Pastor fiat visibilis in sua, qua monasterium regit, sedulitate, exactitudine, discretione ac pietate. Hinc oportet, ut Superioris vivendi ratio sit adeo exacta, ac ab eo regulæ observantia tam accurate adimpleatur, ut exinde fratres subditi normam ac regulam obligationum suarum possint ediscere. Præterea studeat, ut ad Superioris dignitatem evectus semper in mente teneat verba Spiritus sancti Eccli. 32. v.1. *Rectorem te posuerunt, noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis.*

2. Denique Superioris est, ut fratribus suis in omnibus observantiis communibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in operibus etiam humillimis & abjectissimis nunquam non se socium præbeat, eandemque, ac cæteri, austeritatem in victu, eandem in vestitu simplicitatem teneat, ac in id solum intendat, ut sola virtute & dignis sublimitate ministerii sui actionibus ab aliis sese distinguat.

3. Hinc facile intellectu est, quantum intersit, ut indignis semper rejectis nunquam non viri idonei eligantur, qui prima in communitatibus regularibus subsellia occupent.

CASUS I. Laërtius Religiosus impudice cum fœmina conversatus est, id quod omnibus in tota communitate notum; culpam tamen suam coram universo Capitulo confessus est, egitque pœnitentiam, ita ut penitus emendatus videatur. Potestne jam ad officium Superioris assumi?

℟. Nec in sua, nec in alia communitate aliis præfici potest; etsi veram de peccato suo pœnitentiam egerit: quoad vixerit, ad omnem dignitatem inhabilis censendus est. *De Lamet.* Vide *Religiosus.* cas. 64.

CASUS II. Antiqua consuetudo est in quodam monasterio Mendicantium, ut Superiores honoraria, quæ ex habitis concionibus percipiunt, sibimet ipsis pro suo arbitrio applicent, nec ea ad massam communitatis referant. Num licite?

℟. Nec Superior, nec Religiosus privatus ejusmodi honorarium sibi retinere, & ad usus arbitrarios convertere potest; cum monasterium illis victum & vestitum præbeat. Ejusmodi pecuniæ in communem massam monasterii conferri, & ad eorum, ad quos spectat, nutum applicari debent. Clemens VIII. Constit. 40. anno 1599. sic statuit : *Quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi Superior sit, proventus, census, eleemosynas sive ex concionibus, sive ex lectionibus ; aut pro missis tam in propria ecclesia quam ubique celebrandis, aliove ipsorum justo labore & causa, & quocumque nomine aquisita, tanquam propria, aut etiam nomine*

mine conventus possidere possit; sed omnia statim Superioribus tradantur, conventuique incorporentur; atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. Fromageau.

Nota. Author videtur loqui de honorariis perceptis ob conciones quadragesimales in urbibus majoribus habitas. Inspicienda est hac in re laudabilis consuetudo Ordinum & monasteriorum circa peculium privatum, habita etiam ratione diversitatis Ordinum.

Vide *Paupertas religiosa. Religiosus.*

SUPERSTITIO.

1. In veteri testamento nunquam leguntur hæc verba, *Superstitio* aut *Superstitiosus*; in novo vero pluribus in locis recurrunt. Juxta S. Thomam *Superstitio* est *vitium secundum excessum religioni oppositum, eoquod cultum adferat vel ei, cui non oportet, vel eo modo, quo non oportet.* Dividitur autem ordinarie superstitio in idololatrism, divinationem, vanam observantiam & magiam.

2. *Idololatria* est cultus divinus exhibitus creaturæ, quæ ut Deus habetur, & *Idolum* dicitur. Idololatria hæc potest esse externa vel interna, vel externa & interna simul; qualiscumque autem sit, semper est peccatum mortale.

3. *Divinatio* est *futurorum contingentium*, id est, *provenientium a causa indeterminata prædictio*; & solet dividi in plures species, ut per decursum hujus articuli patebit.

4. *Vana observantia* est *eventus fortuiti superstitiosa consideratio, mediive inefficacis adhibitio ad consequendum certum effectum.* Quamvis hæc superstitionis species ex natura sua sit peccatum mortale, potest tamen quandoque esse solum veniale ex defectu advertentiæ sufficientis, ob simplicitatem, bonam fidem aut ignorantiam tantum leviter culpabilem illius, qui eam adhibet; ut si v.g. miles ex ignorantia assidue gestaret aliquod scapulare, eoquod alii asseveraverint, se nunquam vulnerandum, quamdiu id gestaret, aut certe vulneratum non moriturum absque confessione.

5. *Magia* deniqua superstitiosa est *ratio operandi mira ope dæmonis per signa ab eo instituta*, vel *invocatio dæmonis expressa vel implicita ad miri operis patrationem.*

6. Superstitio igitur duo habet objecta sibi invicem secundum quid adversantia, cultum scilicet falsi Dei, & cultum veri Dei modo indebito, seu divino instituto rationique dissentaneo: & de hoc posteriori cultu hic sermo erit.

7. Et iste cultus vel est *falsus* vel *superfluus.* Prior a Theologis definitur, quod sit *veri Dei cultus non verus*; quia fal-

sus est vel *in se*, ut si sub prætextu honorandi Deum, aut ejus cultum dilatandi falsa confingantur miracula; vel quia falsus est *in sua significatione*, ut si veteres Judaicorum ceremoniarum ritus observentur: utroque modo semper peccatur mortaliter. Posterior seu cultus superfluus definitur, *veri Dei cultus ab illius instituto alienus*, id est, contra consuetudinem, doctrinam ac mentem Ecclesiæ assumptus, ut esset v. g. oratio certis diebus, horis determinatis, corpore ad occidentem vel orientem verso, ac in fixo numero, aut de die aut nocte, domi vel sub dio peragenda &c.

8. Generatim loquendo primum Decalogi præceptum prohibet omnes superstitiones, cujuscumque sint generis. *Omnes superstitiones*, ait S. Thomas, *intelliguntur prohiberi in hoc quod dicitur: non habebis deos alienos coram me*: omnis enim superstitio necessario continet pactum saltem implicitum aut tacitum cum dæmone.

CASUS I. Florentius parochus antiquam secutus consuetudinem a suis jam prædecessoribus, & aliis vicinis parochis in praxin deductam imprimere solet clavem suæ ecclesiæ divo Petro sacræ ignitam capitibus boum, canum & aliorum animalium; & hoc ideo, ut a rabie præserventur. An hic usus superstitiosus est?

℟. Redolet certe superstitionem; nam quo fundamento dici potest, clavem ecclesiæ S. Petri majorem habere virtutem præservandi a rabie quam clavem ecclesiæ S. Pauli, aut alterius Sancti? Dein supposita hac virtute, cur clavis potius ignita quam non ignita hac pollet virtute? Certe Florentius bene ageret, si talem consuetudinem aboleret, si id absque scandalo facere potest, consulto tamen prius suo Episcopo. Quod si eam abolere non possit propter obstinationem populi, consuetudini huic pertinaciter insistentis, eam absque peccato tolerari posse videtur, usquedum aliud statuerit Ecclesia. Illi, qui bona fide aut ex simplicitate talem consuetudinem sequuntur, non peccant mortaliter; cum talis devotio adhibendi clavem ecclesiæ S. Petri sit quidem cultus superfluus, non tamen stricte loquendo vera superstitio, *Pontas.*

NOTA. Redolere superstitionem dicitur, quod vim tribuit ceremoniis ab Ecclesia nec institutis, nec positive approbatis, sed tantum toleratis ob traditiones populares circa earum originem sacram, quamvis judicio peritorum probabilius falsam.

CASUS II. Valentinus, qui pro viro singularis pietatis habetur, plures sanavit infirmos recitando super eos Evangelium

gelium S. Joannis: *In principio &c.* & quinque Pater & Ave cum aliis quibusdam precibus. An propterea superstitionis reus est?

℞. Si Valentinus in suis precibus aliam intentionem non habet, quam ut Deo exhibeatur cultus ipsi debitus, ac solum de ipsius bonitate impetrare speret sanitatem iis, pro quibus orat, superstitionem non committit. Si vero potius ex his quam aliis precibus, aut ex determinato precum numero effectum exspectat, majorem vel minorem orationum numerum ad effectum consequendum inutilem existimans, a superstitione excusari non potest. Generaliter loquendo formulæ precum privatarum & particularium valde suspectæ sunt, si iis potius quam aliis effectus alligatus esse credatur; maxime si non sint approbatæ ab Ecclesia. *Etiam proferre verba divina*, ait S. Thomas 2. 2. q. 96. art. 4. ad 1. *aut invocare divinum nomen, si respectus habeatur solum ad Dei reverentiam, a qua exspectatur effectus, licitum erit: si vero habeatur respectus ad aliquid aliud vane observatum, erit illicitum. Pontas.*

Nota. Indubitato pro superstitiosis habendæ sunt preces determinato numero vel ritu peragendæ in ordine ad certum effectum obtinendum, nisi ille numerus vel ritus significandæ rei sacræ causa fuerit institutus vel approbatus a Papa, vel Synodo Episcoporum, vel ab Ordinario.

CASUS III. Nicephorus miles secuturus exercitum, inscribi procuravit albo cujusdam confraternitatis, persuasum habens, omnes signum dictæ confraternitatis portantes & quinque Pater & Ave quotidie recitantes infallibiliter obtenturos gratiam, absque confessione non moriendi. An superstitiosum hoc?

℞. Haud dubie ob hanc falsam persuasionem superstitionis reus est: licet enim confratrum usus signum confraternitatis portandi laudabilis ac pius sit, cum per hoc aliud non intendant, quam ut per signum externum devotionem internam denotent, ac per illud admoneantur sui propositi, recitandi preces quasdam privatas, aut aliud pietatis opus peragendi; certe tamen erroneum est, si quis existimet, id esse infallibile medium non moriendi sine prævia confessione. Privilegium hoc pure imaginarium nec fundatur in promissione divina, nec in doctrina alicujus Sancti aut Doctoris orthodoxi; nec ejus concessio est in potestate Papæ vel Ecclesiæ, sed solius Dei, Domini vitæ ac mortis. *Pontas.*

CASUS IV. Mirocles & Irenæus per varias curationes morborum, ille in hominibus, hic in animalibus, magnam

sibi famam conciliarunt. Mirocles contra febrem maxime, colicam & dolorem dentium arcana possidet remedia. Sic febrem per trinam applicationem herbæ cujusdam ad carpum manus, interposito semper ab una applicatione ad alteram unius horæ intervallo. Colicæ medetur per pronuntiationem quorumdam verborum ex idiomate peregrino. Dolorem dentium denique sedat per alium dentem alteri homini ob similes dolores evulsum. Irenæus ejusdem furfuris remediis curat morbos varios variorum pecorum. Ambo dicunt, se ea secreta remedia accepisse a suis parentibus jam mortuis, eaque se applicare pauperibus in vicinia optima intentione, ex motivo misericordiæ, & plerumque gratis. Parochus n h hominus id genus curationes taciti cum dæmone pacti effectus esse suspicatur. Quid sentiendum hac in re?

R. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 96. art.2.ad 1. licet applicare res naturales, si quis credat in iis latere virtutem naturalem producendi certos effectus, nec interveniat alia prava intentio. Si itaque Mirocles credit, herbam applicatam habere virtutem pellendi febrem, non peccat per ejus applicationem. Si vero adducuntur varii characteres, figuræ. verba aut alia vana signa, de quibus constat, quod non habeant virtutem naturalem cooperandi ad effectum intentum, eo ipso committitur superstitio. Et hoc re ipsa contingit in secunda ac tertia curatione: quam enim naturalem connexionem cum collica habent peregrina verba, quibus tantam vim tribuit sub falsa specie adjectæ orationis Dominicæ? Et quam virtutem habeat dens morbidus ad sanandum alium? Hæc itaque sunt manifeste superstitiosa; quia non sunt media proportionata ad effectum. Ita docent S. Basilius *in psal* 45 S. Augustinus *L.* 2 *de Doct. Christ.* c. 20. seu n. 30. & S. Thomas l.c. Consequenter, dum parochus hujusmodi curationes tam hominum quam pecorum morbidorum superstitionis arguit, & condemnat, agit, ut Concilium tolosanum anno 1590. habitum part. 4 c. 12. n. 5. omnibus parochis, concionatoribus & confessariis agendum præcipit. Huc pertinent superstitiosæ observationes dierum faustorum & infaustorum, ut v. g. 1. Dum ancillæ nolunt mutare servitium suum die veneris. 2. Dum pro certo anni tempore bona vel mala tempestas futura judicatur ex eo, quod dies cujusdam Sancti fuerit serena aut pluvia. 3. Dum matrimonia die veneris contracta creduntur infelicia. 4. Dum unus ex accumbentibus ad mensam eo anno creditur moriturus, si assideant tredecim. 5. Dum existimatur, prolem fore fortunatam, quæ prodiit ex utero capite tenui pellicula operto: unde apud Gallos ad designandam cujusdam fortunam est in

pro-

proverbio : *il eſt né coiffé*. 6. Dum illum in priſtinam ægritudinem relapſurum timetur, qui reconvaleſcens prima vice domo egreditur die veneris 7. Dum quibusdam herbis tanta virtus haud ineſſe exiſtimatur, ſi non colligantur in feſto nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. 8. Dum iter non ſuſcipiendum eſſe eo die, quo orta eſt tempeſtas, aut quo luna in hoc vel illo ſitu conſpicitur, aut denique vineas plantandas non eſſe creditur anno biſſextili &c. *Totum hoc*, ait S. Auguſtinus L. 10. *de Civit. Dei*. c. 11. *ad dæmones pertinet, ludificatores animarum ſibimet ſubditarum, & voluptuaria ſibi ludibria de hominum erroribus exhibentes.* *Pontas.*

CASUS V. Chryſoſtomus morſus a cane, qui exiſtimabatur eſſe rabidus, petiit a parocho panem benedictum; quia audierat, eum cum devotione interna comeſtum præſervare a rabie. Licitene dari potuit in hunc finem? Num etiam oviculæ ab eodem cane morſæ panis benedictus comedendus præberi poteſt?

℞. Licite a parocho dari, & a Chryſoſtomo comedi potuit panis benedictus in finem memoratum; quia non ſolum conducit ad ſalutem animæ, ſed etiam corporis, ut ex ipſa benedictionis formula conſtat, cujus verba ſunt: *ut omnes ex eo guſtantes, inde corporis & animæ percipiant ſanitatem, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamentum.* Non licet autem benedictum panem dare brutis juxta S. Beuve Tom. 2. Caſ. 12.; quia benedictio Eccleſiæ non ordinatur in hunc uſum. *Pontas.*

Nota. Quando prudenter dubitari poteſt, an non in morbis pecorum interveniat maleficium ex operatione dæmonis, recte dantur etiam animantibus res benedictæ; quia ad hunc effectum per Eccleſiæ preces obtinendum ordinantur, & jubentur ſenſibiliter ad captum populi applicari ab Eccleſia.

CASUS VI. Quintinus nauta videns delphinos in maris ſuperficie ludentes auguratur, gravem brevi exorituram tempeſtatem. Et Euphemius agricola media nocte audiens canem ante januam domus ſuæ ululantem, & corvum crocitantem, prædicit, quempiam ex ſuis domeſticis aut vicinis brevi moriturum. Suntne ejuſmodi divinationes ſuperſtitioſæ?

℞. Præſagium Quintini nullatenus eſt ſuperſtitioſum: fundatur enim in ordine naturæ a Deo conſtituto; & omnes in mari navigantes ab experientia ſciunt, quando delphini ludunt, orituram tempeſtatem. Ejuſmodi divinationum exempla ipſa ſcriptura nobis ſuppeditat Jerem. 8. v. 7. ubi dicitur: *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum; turtur, & hirundo, &*

cico-

ciconia custodierunt tempus adventus sui. Auguria hæc sunt naturalia. Divinatio autem Euphemii certe est superstitiosa, & pertinet inter insanas imaginationes hominum impiorum, ac reliquias gentilismi: quænam enim connexio inter ululatum caninum aut crocitationem corvinam & inter mortem hominis, quæ a solo pendet nutu divino? *Pontas.*

CASUS VII. Placidia devotioni erga B. Virginem specialiter addicta, eo tempore, quo SS. Sacramentum publicæ in ecclesia fidelium adorationi exponitur, plerumque in sacellum ejusdem ecclesiæ se recipit, ac coram imagine B. Virginis, quæ miraculosa dicitur, preces suas fundit. An non hæc devotio quamdam superstitionis speciem præsefert?

℟. Si Placidia B. Virginem colat solum ut advocatam potentissimam, quæ plurimum valet apud Christum filium suum, non potest superstitionis argui; cum ipsius devotio sit orthodoxa. Si vero plus confidentiæ ponat in B. Virgine, ac in ipso Christo dispensatore gratiarum, eamque Christo potentiorem credat, superstitiose utique ac pessime ageret. *Pontas.*

CASUS VIII. Sunt quædam personæ de simplici plebecula, quæ collo appensa gestant amuleta, seu sacculos, in quibus continentur ruta benedicta, initium Evangelii S. Joannis in charta pergamena scriptum, non sine multis ac discoloribus crucibus, particula cerei paschalis, fragmentum Corporalis ad missam jam adhibiti &c.; & hisce rebus specialem inesse virtutem asserunt contra maleficia & veneficia; commendaturque earum usus in pluribus libris desuper editis. An nulla in ejusmodi usu superstitio intervenit?

℟. Communi Theologorum sententia usus ejusmodi amuletorum superstitiosus est ac graviter peccaminosus, nisi excuset ignorantia aut bona fides, quæ in simplici plebe facile intervenit, dum viros cæteroquin pios ac religiosos hujusmodi amuletis patrocinari videt. Libri talia amuleta eorumque usum commendantes, ut summe perniciosi proscribendi ac interdicendi sunt. *Formageau.*

Nota. Corporalia in dæmones, utpote spiritus, naturali virtute non agere, in sana philosophia ac theologia exploratum est. Plures libros operationibus dæmonum nimium tribuentes, & ab iis se præservandi, aut eas abigendi media præscribentes etiam benedicta, v. g. Hieronymi Mengi *flagellum dæmonum. Fustis dæmonum. Compendio dell' Arte Essorcistica, e possibilità delle mirabili & stupende operationi de' demoni* ab Ecclesia proscriptos esse, ex indice librorum prohibitorum constat. Omnes Benedictiones non approbatas a sacra Rituum congregatione, nec contentas in Rituali Romano aut dioecesano esse prohibitas, certum est. Ecclesiam denique fidelibus abunde suppeditare in singulis dioecesibus ac parochiis res benedictas, ut aquam, vinum, salem, ceram, panem, herbas &c. quæ emergente casu ac exigentibus circumstantiis usui esse possint; nec privatos

vatos quoscumque demum efficaciorem rebus benedictionem impertiri posse ac universalem Ecclesiam, pariter indubitatum est. Quid sequitur exinde? Id sequitur, quod monopolium circa res benedictas, ac benedictiones privatorum a communi Ecclesiæ usu ac consuetudine recedentes merito suspectum esse debeat, ne quid amplius dicam; cum vergat non solum in despectum universalis Ecclesiæ, utpote non cuilibet suorum fidelium tam liberaliter providentis, sed & in vilipensionem Episcoporum, parochorum ac ecclesiarum parochialium, dum falsam ac superstitiosam in plebe opinionem fovet, ac si major prærogativa & plus potestatis concessum sit copiis subsidiariis, ac ipsis primariis gregis custodibus a Christo & Ecclesia institutis.

CASUS IX. Deferuntur a nundinatoribus ac inter plebem distribuuntur sine scientia Episcopi variæ precandi formulæ omni approbatione destitutæ, quibus mira sanandi & ab omnibus malis præservandi vis adscribitur. An non inter superstitiosa pertinent?

℟. Non licet absque approbatione ac licentia Episcopi inter plebem spargere novas precandi formulas, sive scriptas sive impressas; cum persæpe concurrere solent deceptiones populi per falsas promissiones gratiarum tam naturalium quam supernaturalium, confictas indulgentias &c. Si quis ejusmodi precatiunculis uteretur cum firma persuasione, se infallibiliter fore sanandum aut præservandum a malo, manifestum superstitionem committeret. *Si diceretur oratio Dominica*, inquit Sayrus L. 4. c. 6. n. 8. *cum hac firma spe, quod prius revelabitur hora mortis, quod scientia divinitus infunderetur, quod inimici nocere non poterunt, esset superstitiosum. Fromageau.*

NOTA. Superstitio non consistit solum in eo, quod orationi determinatis verbis adstrictæ tribuatur infallibilis vis; sed in eo etiam, quod tribuatur ulla vel minima vis: stultum enim, & religioni nostræ probrosum est, credere, Deum vel Sanctos circa preces vim determinatis verbis adscripsisse.

CASUS X. Terentius recusat interesse convivio, ad quod tredecim convivas accumbere videt; quia nimirum timet, ne unus horum convivarum eodem anno moriturus sit.

℟. Si timor Terentii nititur persuasione certa de futura morte alicujus convivarum, peccat graviter peccato superstitionis: superstitiosum enim est, timere quidquam eventurum a causa, quæ ad talem effectum producendum inutilis est ex sua natura, nec etiam a Deo virtutem procurandi hunc effectum obtinuit. Si vero timor Terentii fundatur solum in levi aliqua credulitate, non peccat graviter. C. B.

NOTA. Etiam levis timor vel credulitas pertinet ad genus superstitionis. Sed in hoc genere, sicut in heresi, ad quam reducenda est

super-

superstitio, non datur objective parvitas materiæ, sed tantum subjective ob indeliberationem actus.

SURDUS ET MUTUS.

1. Dantur duplicis generis *surdi*; quidam enim omnino sensu auditus carent, quidam vero audiunt, si illis alta voce loquamur, aut mediante aliquo instrumento auribus applicato. Datur etiam surditas spiritualis, de qua Psal. 35. v. 3. dicitur: *noluit intelligere, ut bene ageret.* Hic de surditate solum corporali sermo erit.

2. Vox *mutus* derivatur a verbo *mutire:* dum enim muti sensa animi sui per locutionem exprimere tentant, plerumque eructant has syllabas *mu-mut.* Elucescet ex dicendis in hoc articulo, quod Ecclesia surdos & mutos non excludat a participatione Sacramentorum ad salutem necessariorum.

CASUS I. Pamphilus, a nativitate surdus & mutus, cum periculose decumberet, parentes illius illico advocant parochum, ut moribundum absolvat. Parochus vero, cum perbene nosset, sine fide neminem salvari, & Pamphilum non potuisse sufficienter instrui de mysteriis fidei, dubitat, an absolvere debeat moribundum, aut omnino sacrum eidem viaticum ministrare.

℟. Verum quidem est, adultum salvari non posse sine vera fide; dici tamen potest, conformiter ad principia D. Thomæ q. 14. de verit. art 11. de fide. ad 1. surdos simul & mutos a nativitate obtinere a Deo donum fidei, si vivant juxta regulas rectæ rationis & luminis naturalis, ac insuper non extinguant in animo, aut suffocent desideria a Deo inspirata ad quærendam instructionem. Hinc si Pamphilus est baptizatus, & edidit indicia exteriora fidei v. g. vivendo more catholico, assistendo cum omni modestia ac reverentia divino officio, parochus absque omni temeritate poterit credere, eum de fide fuisse instructum per operationem divinam, vel per ministerium Angelorum; ac consequenter deneganda ipsi non est absolutio, maxime si prodat aliquod signum pœnitentiæ; immo nec SS. viaticum denegandum erit juxta Authorem *Conferentiarum Petrocoriensium* Tom. 4. Conf. 1. q. 1. & S. Beuve Tom. 2. Cas. 10. 95. & 151. ac Tom. 3. Cas. 17. si exhibeat quædam indicia adorationis ac reverentiæ erga augustissimum hoc mysterium, & ex signis colligi possit, quod discernat inter cibum hunc spirtualem & materialem. Primis Ecclesiæ sæculis ad Eucharistiam admittebantur etiam infantes ex uberibus matrum pendentes; & hodie adhuc viaticum ministratur adultis moribundis, si id petierint prius, quamvis jam amiserint

usum

usum rationis, dummodo absque periculo irreverentiæ fieri possit. *Pontas.*

Nota. Surdus & simul mutus a nativitate non potest absque miraculo sufficienter esse instructus de Sacramento Pœnitentiæ & Eucharistiæ, nisi sub ratione generica signi sacri seu mysterii. Hinc, quia valde dubium est, an ista generica notitia sit sufficiens dispositio ad recipiendum fructum Sacramenti, Eucharistia ipsi nec publice nec privatim, absolutio autem solum privatim, sub conditione, *si capax es*, concedenda est.

CASUS II. Clodius parochus habet in sua parochia juvenem surdum simul & mutum, de cujus salute nullam omnino curam gerit; eo quod illum omnis instructionis ac doctrinæ incapacem existimet. An non peccat parochus?

℟. Absque dubio gravissime peccat parochus: nam homo, etsi surdus & mutus a nativitate, sufficienter instrui potest de essentialibus fidei veritatibus per varia signa, quæ habent relationem ad illas, & per imagines mysteria Religionis exhibentes. Videntur autem præ aliis ad hoc conducere imagines repræsentantes. 1. Creationem hominis. 2. Nativitatem Christi. 3. Adorationem pastorum & magorum. 4. Præcipua miracula Christi. 5. Institutionem Eucharistiæ. 6. Præcipuas circumstantias passionis Christi & crucifixionis. 7. Resurrectionem. 8. Et ascensionem. 9. Missionem Spiritus sancti. 10. Quatuor novissima. Si hæ imagines proponantur seorsim ac successive, & ad singulas exprimantur convenientes affectus v. g. adorationis, reverentiæ, timoris, gaudii, doloris &c. certe impriment aliquam ideam ac notitiam Religionis cooperante Dei gratia, quæ in hujusmodi circumstantiis nunquam deest. Sic sentit & Author *Conferentiarum Andegavensium* mense Jul. 1704. *Pontas.*

SUSPENSIO.

1. *Suspensio* est censura Ecclesiastica, qua ob grave crimen Clericus privatur exercitio Ordinis & Officii, administratione Beneficii, & possessione aut perceptione fructuum Beneficii in toto vel ex parte, ad certum tempus vel pro semper. Triplex igitur datur suspensio, nimirum ab *Ordine*, ab *Officio*, & a *Beneficio*. Prima privat functionibus actualibus *Ordinum* receptorum. Secunda privat exercitio jurisdictionis, & omnibus functionibus ratione Beneficii, vel muneris ecclesiastici obeundis. Tertia privat fructibus, qualescunque sint, & aliis commodis Beneficii. Hæc triplex suspensio potest simul infligi per sententiam Superioris, & tunc vocatur *totalis*; alias

diei-

dicitur *partialis*; utraque tamen est mera pœna; quia pro principali objecto solum habet punitionem criminis.

2. Suspensio *ab Ordine tantum* non se extendit ad Ordines inferiores; hinc sacerdos solum suspensus a celebratione missæ potest licite exercere functiones subdiaconi & diaconi: idque conforme est antiquæ Ecclesiæ consuetudini, quæ in pluribus Conciliis presbyteros in pœnam delictorum suorum alligavit ministerio Ordinum inferiorum. Non ita tamen se res habet circa suspensionem ab exercitio Ordinis inferioris: hæc enim comprehendit etiam suspensionem ab exercitio Ordinis superioris; ita ut Clericus suspensus ab exercitio diaconatus irregularitatem incurreret, si obiret ministerium Ordinis altioris, juxta regulam juris: *Cui non licet quod minus est, nec ei licere debet quod est majus.* Polmanus tamen existimat, presbyterum suspensum tantum a diaconatu posse exercere eas functiones presbyteratus, quæ nullam ad diaconatum relationem habent, ut sunt v. g. concionari, & administrare Sacramenta.

3. Suspensio lata in *personam* inhæret eidem, quamvis in aliam migret diœcesin; & Episcopus alterius diœcesis non potest suspenso permittere in sua diœcesi exercitium Ordinum, a quibus in propria diœcesi fuit suspensus. Hinc sequitur, quod suspensus *a Beneficio* per sententiam judicis in sua diœcesi, eo ipso etiam suspensus sit a Beneficiis, quæ fors habet in alia diœcesi.

4. Suspensus a Beneficio juxta Canones non potest Beneficium resignare aut permutare; quia resignatio aut permutatio necessario supponit jus in Beneficio, quo jure suspensus per censuram privatur.

5. Clericus suspensionem incurrit ipso jure 1. Dum exhibetur falsus titulus simulati Beneficii, vel titulus patrimonii fictus, saltem in diœcesibus, in quibus in sic ordinatos hæc censura lata est. 2. Si recipiantur Ordines sacri ante ætatem requisitam, aut extra tempus a Canonibus præscriptum, aut absque dimissorialibus proprii Episcopi. 3. Si eodem die recipiantur duo sacri Ordines. 4. Si recipiatur Ordo sacer ante ordinem inferiorem. Idem dicendum de iis, qui excommunicati, aut simoniæ rei recipiunt Ordinem. 5. Si quis alium pro se substituat ad examen prævium ante Ordinationem. 6. Si quis se ordinari curavit ab Episcopo, quem scivit esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum denunciatum. 7. Si quis recipiat Ordines ab Episcopo, qui se Episcopatu, & functionibus episcopalibus abdicavit. 8. Si quis recepit Ordinem post contractum matrimonium, quamvis illud non fuerit consummatum. 9. Ipso jure etiam incurrit

su-

fuſpenſionem quivis ſacerdos tam regularis quam ſæcularis, qui Benedictionem nuptialem impertitur perſonis alterius parochiæ ſine licentia parochi, aut Epiſcopi contrahentium.

6. Omnes illi, qui ſuſpenſi ab Ordine aliquam functionem Ordinis exercent, mortaliter peccant, & etiam irregularitatem incurrunt.

7. Suſpenſus a jurisdictione contentioſa non punitur irregularitate; cum eam ſimplex Clericus nondum aliquo Ordine initiatus exercere poſſit. Idem dicendum de iis, qui ſuſpenſi a Beneficio, ejus tamen percipiunt fructus, faciunt locationes aut aliis funguntur officiis Beneficio annexis; tales peccant quidem mortaliter, non tamen incurrunt irregularitatem. Sic etiam irregularitatem non incurrit ſuſpenſus ab officio concionatoris, ſi concionatur; quia hoc officium ſeu miniſterium non eſt eſſentialiter annexum Ordini.

CASUS I. Archambaldus Epiſcopus nominatim ſuſpenſus ab Ordine, vel a jurisdictione declaratus eſt; quia eodem die alicui ſubdiacono ſuæ diœceſis contulit Ordines diaconatus & presbyteratus. An nihilominus functiones epiſcopales exercere poteſt?

R. In jure Ordo & jurisdictio ſunt duo valde diverſa; cumque igitur pœnæ canonicæ ſint materia odioſa, & conſequenter non extendendæ, ſuſpenſus ab Ordine non cenſetur eo ipſo etiam ſuſpenſus a jurisdictione, & vice verſa; niſi jurisdictio ſit neceſſario annexa Ordini, ut in Sacramento pœnitentiæ, quam proin presbyter ſuſpenſus ab Ordine exercere non poteſt. Si ergo Archambaldus ſolum ſit ſuſpenſus ab Ordine, non poteſt celebrare in Pontificalibus, nec conſecrare eccleſias aut altaria; quia hi actus functiones ſunt Ordinis, a quo ſuſpenſus eſt. Poteſt vero exercere actus jurisdictionis epiſcopalis, ut conferre Beneficia, approbare confeſſarios, ferre cenſuras, & ab eis abſolvere in foro externo tantum; quia hi actus ſunt actus jurisdictionis. Si autem eſt ſuſpenſus a jurisdictione tantum, tunc poteſt exercere omnes actus Ordinis. Obſervandum tamen, Epiſcopum nunquam cenſeri ſuſpenſum, niſi expreſſe nominetur. *Pontas.*

CASUS II. Metrodorus parochus ruralis, quemdam amicum commodius ut convivio exciperet, illud in caupona parari curavit. Verum ipſius Epiſcopus omnibus clericis cauponas interdixit ſub pœna ſuſpenſionis ad ſex menſes ipſo facto incurrendæ, & abſolutionem ab ea ſibimetipſi reſervavit. Quæritur igitur 1. An Metrodorus peccaverit mortaliter cum amico cauponam adeundo. 2. Utrum

fit ſuſpenſus non ſolum ab Ordine, ſed etiam a functionibus parochialibus. 3. A quonam ſit abſolvendus.

℞. Metrodorus peccavit mortaliter juxta S. Gregorium Cap. *Si quis.* 2. Lib. 1. Tit. 33. *Si quis venerit contra decretum Epiſcopi, ab eccleſia abjiciatur.* 2. Cum ſuſpenſio lata fuerit ſub terminis generalibus abſque ulla limitatione aut diſtinctione, vere ſuſpenſus eſt ab omnibus functionibus eccleſiaſticis, & ab omnibus juribus ad Beneficium pertinentibus per ſex menſes. 3. Intra hos ſex menſes ſolus Epiſcopus eum abſolvere poteſt a ſuſpenſione. Elapſo autem ſemeſtri redit in omnia jura ſua abſque abſolutione. *Pontas.*

Nota. Si parochus per Epikiam abſque malitia ſibi formaſſet dictamen, ab Epiſcopo hunc caſum extraordinarium probabilius ſub lege generali non fuiſſe comprehenſum, non foret ſuſpenſus, nec teneretur ſe gerere pro ſuſpenſo.

CASUS III. Dominicus parochus inviſens parochum alterius diœceſis cum eo in caupona converſatus eſt; quamvis ſciret, a ſuo Epiſcopo cauponas eſſe prohibitas clericis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. An ſuſpenſionem incurrit?

℞. Non incurrit: ſtatutum enim diœceſanum eſt lex annexa territorio diœceſano, & ſolum ligat eos, qui in eo morantur actu. Hinc Dominicus ſe extra territorium ſuæ diœceſis detinens non incurrit ſuſpenſionem, de qua in hoc caſu agitur. Bonifacius VIII. in Cap. *Ut animarum.* 2. Lib. 1. Tit. 2 in 6. *Statuto Epiſcopi*, inquit, *quo in omnes, qui furtum commiſerint, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi ejus furtum extra ipſius diœceſin committentes minime ligari noſcuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Aliud dicendum de ſententia perſonali; quia ea ſequitur perſonam, in quam lata eſt, quocumque ierit; dummodo ea ſubjecta ſit juriſdictioni Superioris, qui tulit ſententiam. *Pontas.*

CASUS IV. Geraſimus presbyter ex ſua diœceſi diſcedens in alia ſuum fixit domicilium, in qua ſtabilito domicilio in quadam caupona ſuis cum amicis prandium ſumpſit, ignorans, in hac diœceſi ingreſſum cauponæ prohibitum eſſe Clericis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. An coram Deo ob ſuam ignorantiam a ſuſpenſione excuſatur? An celebrando poſtea non incurrit irregularitatem?

℞. Ignorantia tam iuris eccleſiaſtici, quam facti excuſat a quacumque cenſura; dummodo ignorantia non ſit craſſa aut affectata. *Ut animarum periculis obvietur*, ait Bonifacius VIII. l. c. *ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum*

pro-

prolatis ligari nolumus ignorantes ; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. Cum igitur Gerasimus nullam habuerit notitiam de statuto diœcesano, & nec somniaverit de incurrenda censura ex eo, quod ad cauponam diverterit, ibique cibum & potum sumpserit, non incurrit suspensionem aut irregularitatem, dum postea celebravit : ignorantia enim ipsius, utpote advenæ, certe non fuit crassa aut supina. *Pontas.*

CASUS V. Episcopus publico statuto generaliter omnibus constitutis in Ordinibus interdixit hospitia sub pœna suspensionis ipso facto. Incurritne Hieronymus acolythus hospitium ingressus hanc censuram, aut etiam irregularitatem, si postea actum Ordinis exercet?

℟. Regulariter loquendo Hieronymus non incurrit suspensionem, ac proin nec irregularitatem : juxta communem enim loquendi modum Clericus non dicitur constitutus in Ordinibus, nisi post receptum subdiaconatum : in pœnalibus autem, utpote materia odiosa, verba legis non sunt extendenda ultra significationem communem & ordinariam juxta illud Bonifacii VIII. *Odia restringi & favores convenit ampliari.* Quia tamen Episcopus habet jus hac lege comprehendendi etiam Clericos in minoribus solum Ordinibus constitutos, in hoc & simili casu exploranda erit mens legislatoris. *Pontas.*

CASUS VI. Voconius capacitati ac scientiæ suæ diffidens præfixo ordinationis die immiscuit se ordinandis, sicque absque omni examine ordinatus est diaconus. An incurrit suspensionem ab Ordine?

℟. Haud dubium est, Voconium suspensionem incurrisse, juxta Cap. *Innotuit.* 3. Lib. 5. Tit. 30. Loquitur ibi Cœlestinus III. de tribus Clericis, qui furtive Ordines susceperant, & ait : *Respondemus, quod ordinati in susceptis Ordinibus de juris rigore ministrare non debeant.* Dispensare tamen poterit Episcopus. *Pontas.*

CASUS VII. Mummolus ab alterius diœcesis Episcopo subdiaconus ordinatus est, exhibitis confictis Episcopi sui literis dimissoriis. An incurrit suspensionem ab Ordine?

℟. Incurrit suspensionem. Sic statuit Concilium Aurelianense anno 549. Can. 5. & quidem ipso jure & facto, ut colligitur ex Bulla Pii II. *Cum ex sacrorum.* 17. Nov. 1461. edita. Et hæc disciplina etiamnum viget. *Si quis ab alio promoveri petat*, inquit Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 8. de reform. *nullatenus id ei permittatur, nisi ejus probitas & mores Ordinarii sui testimonio commendentur : si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executio-*

 ne,

ne, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Pontas.

CASUS VIII. Cyriacus solum annos viginti tres natus cum dimidio exhibito falso ex libro baptismali testimonio presbyter ordinatus est. An incurrit suspensionem? Et si eam incurrit, crimenque ipsius notorium est, ac in eo statu celebravit, a quonam absolvi poterit?

℟. Certum est, eum incurrisse suspensionem, ac, si in eo statu celebravit, etiam irregularitatem. *Peccat mortaliter*, inquit Navarrus Manual. c. 25. n. 70 *qui ordinatur Ordine sacro extra tempora a jure statuta, vel ante legitimam ætatem, & est ipso jure suspensus, & si Ordine utitur, fit irregularis.* Si crimen Cyriaci sit notorium, ut in casu ponitur, necessario pro dispensatione recurrendum est ad summum Pontificem, eaque impetranda in Dataria. Si vero est occultum, potest dispensare Episcopus juxta Cabassutium L. 5. c. 16. n. 6. *Pontas.*

CASUS IX. Mutius acolythus Ordines recepit ab Episcopo, qui se abdicavit suo episcopatu & omnibus functionibus episcopalibus, cujusque sedem episcopalem jam occupavit alius. An suspensionem incurrit?

℟. Incurrit. Ita Alexander III. Cap. *Requisivit.* 1. Lib. 1. Tit. 13. *Suspenditur ab Ordine suscepto*, inquit Cabassutius, *quisquis Ordinem sacrum susceperit ab Episcopo, qui episcopatui & Ordinis episcopalis usui renunciavit; & hæc suspensio reservatur Papæ. Pontas.*

CASUS X. Humbertus in diœcesi Passaviensi natus, transactis in servitio Episcopi Basileensis octo annis, ab eodem subdiaconatum recipit absque litteris dimissorialibus Episcopi sui, scilicet Passaviensis. Mortuo post trimestre Episcopo Basileensi Humbertus ab illius successore eleemosynarius constitutus, elapso biennio ordinatus est ab eo diaconus & presbyter. An Humbertus, postquam decem annis dictis duobus Episcopis Basileensibus inservierat, potuit ordinari ab iisdem sine dimissorialibus Episcopi Passaviensis, quin suspensionem contraxerit?

℟. Ex eo, quod Humbertus ordinatus fuerit subdiaconus ab Episcopo Basileensi, non incurrit suspensionem; cum jam ultra tres annos inter familiares hujus Episcopi fuerit commoratus: *Episcopus*, inquit Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 9. de refor. *familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus.* Diaconatum autem & presbyteratum non potuit recipere ab Episcopo, cui solum per duos annos inter familiares servierat, quin suspensionem incurrerit. Privilegium a Tridentino Episcopis con-

cessum;

conceſſum, vi cujus familiares ſuos extradiœceſanos ſin triennali ſervitio ſecum commorantes ordinare poſſint absque dimiſſorialibus litteris a proprio Epiſcopo obtentis, non poteſt extendi ultra ſtrictum verborum ſenſum, nec anni in ſervitio anteceſſoris transacti computari poſſunt cum annis ſervitii impenſi Epiſcopo ſucceſſori; quia privilegia, utpote vulnera legum, inter materias odioſas cenſentur, quas intra proprios legis limites reſtringi oportet. Potuiſſet tamen Humbertus diaconus & presbyter ordinari ab Epiſcopo Baſileenſi, ſi in ipſius diœceſi ſtabile domicilium figere decreviſſet; ſuppoſito, quod id factum non fuiſſet in fraudem, ut ſe ſubtraheret jurisdictioni proprii ſui Epiſcopi Paſſavienſis: interveniente enim ejusmodi fraude ipſo jure ſuſpenſionem incurriſſet. *Pontas.*

CASUS XI. Martinus diœceſanus Auguſtanus, ut rigoroſum Epiſcopi ſui examen declinaret, procuravit ſibi tenue Beneficium in alia diœceſi, ea intentione, ut ab Epiſcopo Beneficii ſui presbyter ordinaretur, & ordinatus rediret in diœceſin ſuam Auguſtanam; quod & factum eſt: nam ſuſcepto presbyteratu mox reſignavit Beneficium, antequam ejusdem poſſeſſionem adierat, & in diœceſin ſuam rediit. An non ipſo jure ſuſpenſus eſt?

℟. Eſt ſuſpenſus; quia, etſi ordinatus fuerit ab Epiſcopo Beneficii ſui, non tamen uſus eſt Beneficio, ut ſe conſtanter ſubjiceret Epiſcopo Beneficii, ſed tantum ut ſe ſubtraheret jurisdictioni proprii Epiſcopi. Cum ergo ſic egerit in fraudem, commodum referre non debet juxta regulam Innocentii III. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.* Idem declaravit Congregatio Concilii 7. Oct. 1662. his verbis: *Sacra Congregatio Concilii ſæpius declaravit, tametſi quis poſſit ordinari ab Epiſcopo loci Beneficii; ſi tamen adeptus ſit Beneficium in fraudem, eſſe male promotum, ac ſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverit, irregularitatem contrahere. Pontas.*

CASUS XII. Manilius presbyter diœceſis Andegavenſis tranſit in diœceſin Paſſavienſem, quamvis ab Epiſcopo ſuo ad id licentiam non obtinuerit. Elapſo octiduo ipſe ſibi ejusmodi licentiam conſcripſit; qua exhibita mox facultatem celebrandi impetravit, ac in quadam parochia, quo ſe contulit, ſingulis diebus celebravit. Confeſſarius, cui Manilius rem expoſuit, reſpondit, eum ipſo facto ſuſpenſionem incurriſſe, & quidem ex duplici capite: 1. Quia fictio licentiæ transeundi in aliam diœceſin eſt caſus reſervatus in diœceſi Andegavenſi, cui annexa eſt ſuſpenſio. 2. Quia vi ſtatutorum ſynodalium diœceſis Pariſienſis presbyter extraneus poſt quin-

decim sui adventus dies absque legitima licentia celebrans suspensionem incurrit. An confessarius bene respondit?

℟. Manilius non incurrit ipso facto suspensionem. 1. Non incurrit suspensionem latam ab Episcopo Andegavensi; quia fictio litterarum, cui est annexa suspensio, facta est extra dictam diœcesim: statutum autem generale diœcesanum solum ligat eos, qui actu se detinent in territorio jurisdictionis episcopalis. 2. Nec incurrit suspensionem comprehensam in statutis synodalibus diœcesis Parisiensis; quia Manilius obtinuit licentiam celebrandi in hac diœcesi, licet per fraudem. Licentia celebrandi datur quandoque, si visum fuerit, etiam illis extraneis, qui nullam ab Episcopo suo exhibere possunt facultatem diœcesi sua exeundi; & hinc ea non respicit facultatem exeundi tanquam motivum, sed ad summum ut conditionem, nec licentia celebrandi essentialiter dependet ab obtenta prius a proprio Episcopo licentia transeundi in aliam diœcesin. *In pœnis* juxta regulam juris *benignior est interpretatio facienda*; & juxta Gratianum dist. 1. *de pœnitentia* ad C. 18. pœnæ *proprium casum non excedunt*. Verum si Manilius ipsam licentiam celebrandi confinxisset, absque dubio suspensionem latam in diœcesi Parisiensi incurrisset, & in ea celebrando, ipsam irregularitatem. Pontasius addit, se super hac quæstione consuluisse Superiores, eosque hanc responsionem approbasse. *Pontas.*

CASUS XIII. Faustinus presbyter, cum in celebratione missæ non observaret præscriptas in missali ceremonias, per sententiam Officialis a sacerdotio suspensus est. Hoc non obstante publice obiit ministerium diaconi. An incurrit irregularitatem?

℟. Suspensus ab Ordine superiore v.g. sacerdotio, non eo ipso censetur etiam suspensus ab Ordine inferiore v.g. diaconatus; & hinc Faustinus non incurrit irregularitatem. *Sacerdos suspensus ab officiis sacerdotalibus*, ait Navarrus Man. c. 27. n. 163. *administrando in Ordine inferiori, non peccat, neque est irregularis. Pontas.*

CASUS XIV. Octavianus ecclesiæ collegiatæ Canonicus suspensus declaratus est a Beneficio. An ideo etiam privatur titulo Beneficii?

℟. Certum est, quod non privetur titulo, sed solum jure administrationis tamdiu, quamdiu durat suspensio. Ita Nicolaus III. Cap. *Cupientes.* 16. Lib. 1. Tit. 6. in 6. Ast perderet & titulum Beneficii, si temere contra censuram quidpiam attentasset. *Pontas.*

CASUS XV. Guido parochus ad annum suspensus a Beneficio, sciens, se tamdiu non posse percipere fructus Be-

ne-

neficii, illud vel resignavit, vel permutavit cum quodam Canonicatu, cujus etiam possessionem adiit. Estne hæc resignatio aut permutatio licita & valida?

℟. Juxta leges canonicas nec licite nec valide resignare potuit aut permutare; quia ejusmodi actus foret exercitium juris in Beneficio, quo tamen per suspensionem excidit. Potest tamen, si ex bonis patrimonialibus sustentari non possit, tantum percipere ex Beneficio, quantum absolute necessarium est ad sustentationem ipsius. In Gallia, nisi suspensus per sententiam juridicam privatus fuerit titulo Beneficii, poterit illud resignare, permutare, proventus administrare, eosdem locare aut percipere. *Pontas.*

CASUS XVI. Eparchius parochus a judice ecclesiastico per sententiam suspensus fuit ab officio. An nihilominus percipere potest fructus sui Beneficii, ut antea?

℟. Non convenit inter Authores, utrum suspensus *ab officio* sit simul suspensus *a Beneficio*, nec ne. Sententia tamen negativa videtur probabilior: *vires* enim *sententiæ*, ut ait Ancharanus in Clem. *Cupientes.* de pœnis. *ultra intentionem proferentis non se extendunt*, & juxta regulam juris 195. ff. Lib. 50. Tit. 17. *Expressa nocent, non expressa non nocent.* Potest ergo Eparchius, etsi suspensus ab officio, tamen percipere fructus Beneficii. *Pontas.*

CASUS XVII. Gervasius parochus in diœcesi Augustana ab Episcopo suo suspenditur a Beneficio. An per hoc etiam suspenditur a Canonicatu, quem habet in diœcesi Constantiensi?

℟. Distinguendum est, utrum illa suspensio in Gervasium lata sit *per modum statuti*, vel *per modum sententiæ.* Si lata est per modum statuti, tunc non suspenditur a suo Canonicatu; quia statutum est lex localis, quæ tantum ligat intra territorium Episcopi, nec ullum sortitur effectum extra illud territorium, ut declarat Bonifacius VIII. Cap. *Ut animarum.* fin. Lib. 1. Tit. 2. in 6. Si vero suspensio lata est per modum sententiæ, & quidem generaliter ac limitate, censura directe respicit personam Gervasii, eumque sequitur, quocumque pergat; & sic suspensus est etiam a Canonicatu Constantiensi, & ab omnibus aliis Beneficiis, quæ possidet in aliis diœcesibus: *ubi* enim *lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Aliud dicendum foret, si Gervasius tantum fuisset suspensus a Beneficio parochiali. *Pontas.*

CASUS XVIII. Marculfus vicarius in quadam parochia ob scandalosam conversationem per sententiam judicis declaratus fuit suspensus ab Ordine, ab officio & Beneficio; redit itaque in diœcesin, in qua natus est. An & ibi suspensione si-

ligatus manet, sic ut in ea celebrans irregularitatem incurrat?

℟. Manet ligatus etiam in diœcesi originis suæ, & fiet irregularis, si celebret; & id tamdiu, quamdiu non rehabilitatur & absolvitur ab Episcopo, qui tulit censuram. *Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet Clericus. . . . post evocationem Episcopi sui non obedierit, sed inobediens perseveraverit*, verba sunt Concilii Antiocheni Can. *Si quis*. 24. 7. q. 1. *omnimodo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere decernimus: si vero propter hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, & ipse a communi synodo pœnam merebitur increpationis, tanquam ecclesiastica jura dissolvens. Pontas.*

CASUS XIX. Eleonorus presbyter diœcesis Bambergensis a suo Episcopo per sententiam suspensus ab Ordine & ab Officio, obtinuit parochiam in diœcesi Trevirensi. Estne hæc collatio valida?

℟. Beneficium est jus percipiendi ac possidendi quædam bona sacrata Deo, a Papa vel Episcopo constitutum, & collatum Clerico intuitu officii spiritualis. Hoc jus legitime conferri non potest nisi habili ac idoneo ad præstandum officium, aut ministerium obeundum dicto juri ex natura fundationis & intentione fundatoris annexum. Ad hoc autem requiritur in Beneficiato, maxime curato, præter debitam scientiam etiam integritas morum, & ea vel maxime. Jam cum Eleonorus a suo Episcopo fuerit suspensus & inhabilis declaratus ad ministeria ecclesiastica, qui poterit habilis censeri, & ad eadem assumi in alia diœcesi? Consequenter collatio parochiæ Eleonoro facta est invalida, utpote nec legitima nec canonica. *Pontas.*

Nota. Occurrit hic, etiam studiosos quandoque ob corruptos mores aut capacitatem plusquam stramineam eiici ex uno gymnasio, & mox recipi in alio; aut pœnitentes juste non absolutos ab hoc confessario, mox reperire alium, a quo sine hæsitatione absolvuntur.

CASUS XX. Maclovius parochus declaratur suspensus a Beneficio; durante autem suspensione obtinuit Canonicatum. An hæc collatio est valida?

℟. Si suspensus declaratus fuit ab *omni* Beneficio, tunc inhabilis est ad obtinendum novum Beneficium; quia Beneficium datur propter officium; ad hoc incapax est propter censuram. Verum si solum a parochia sua suspensus fuit, tunc valide illi conferri potuit Canonicatus. *Pontas.*

CASUS XXI. Leporius parochus suspensus declaratus a Beneficio, in conscientia se obligari advertit ad dimittendam

dam parochiam. An eam dimittendo aliquam pensionem sibi reservare poterit, non obstante suspensione?

℟. Suspensio non reddit Beneficiatum incapacem pensionis. Hinc Leporius, si aliunde ob sua præclara merita & præstita servitia pensione dignus est, eaque ad sustentationem suam indiget, potest sibi eam reservare: pensio enim & Beneficium valde diversa sunt. *Pontas.*

CASUS XXII. Philostratus post contractum cum Titia matrimonium ipsa inscia suscepit subdiaconatum & diaconatum. An ideo suspensionem incurrit ab exercitio horum Ordinum? Et, si suspensus est, a quonam absolvendus erit?

℟. Joannes XXII. Extravag. *Antiquæ*. unic. Tit. 6. declarat, eos, qui post contractum matrimonium sacros Ordines recipiunt, ipso jure incurrere suspensionem ab Ordine, Officio & Beneficio, etiamsi matrimonium non fuerit consummatum. Juxta Ducasse hæc suspensio est reservata summo Pontifici. S. Beuve autem existimat, in Gallia taliter suspensum absolvi posse ab Episcopo. *Pontas.*

CASUS XXIII. Bertulfus diaconus aut presbyter relicto suo domicilio migrat in regionem exteram, ibique concubinam suam ducit uxorem. An huic crimini annexa est suspensio?

℟. Juxta Concilium Romanum anno 1059. sub Nicolao II. celebratum Bertulfus suspensionem incurrit ab omnibus Ordinibus, Officiis ac Beneficiis ecclesiasticis. *Pontas.*

CASUS XXIV. Nymphidius presbyter sæcularis adstitit contractui matrimoniali, eique benedixit absque licentia proprii contrahentium parochi, aut Ordinarii. Num suspensionem incurrit?

℟. Certum est, eum suspensionem incurrisse, & ab hac absolvi non posse nisi ab Episcopo proprii contrahentium parochi. Sic statuit Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. matr. c. 1. his verbis: *Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit; ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Pontas.*

CASUS XXV. Parmenianus Religiosus apostata, necdum ab apostasia absolutus, per fraudem id effecit, ut ab Episcopo suo tres Ordines majores reciperet. An incurrit suspensionem? & a quo poterit absolvi?

℟. Sufpenfus eft ipfo jure ab his tribus Ordinibus; & a folo Papa abfolvi poteft. Ita decidit Honorius III. Cap. *Confultationi.* fin. Lib. 5. Tit. 9. his verbis: *Refpondemus, quod monachus aliquem facrum Ordinem in apoftafia recipiens, quantumlibet fuo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque difpenfatione Romani Pontificis miniftrare non poterit in Ordine fic fufcepto.* *Pontas.*

CASUS XXVI. Bafilius diaconus in examine ad presbyteratum rejectus, conciliavit fibi cubicularium Epifcopi promiffis eidem duodecim aureis, fi admiffionem ad presbyteratum procuraret. Cubicularius procuravit admiffionem, & Bafilius folvit duodecim aureos. Num Bafilius fufpenfionem incurrit?

℟. Incurrit fufpenfionem præter alias pœnas latas in fimoniacos; folusque Papa poteft eum abfolvere, nifi crimen fit occultum: tunc enim etiam ab Epifcopo abfolvi poffet. *Declaramus*, ait Paulus II. Extrav. *Cum deteftabile.* 2. L. 2. Tit. 1. *quod omnes illi, qui fimoniace ordinati fuerint, a fuorum fint Ordinum executione fufpenfi.* *Pontas.*

CASUS XXVII. Boleslaus excommunicatione majore ligatus ob gravem percuffionem Clerici fufcepit fubdiaconatum, nondum impetrata abfolutione a cenfura; quamvis fciret, id abfque gravi peccato fieri non poffe. An fufpenfionem incurrit?

℟. Ipfo jure fufpenfionem incurrit, & quidem refervatam Papæ. Ita quoad utrumque ftatuit Innocentius III. Cap. *Cum illorum.* 32. Lib. 5. Tit. 39. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Bartholomæus presbyter accufatur de gravi crimine; & judex fæcularis vel ecclefiafticus dedit mandatum citationis perfonalis vel incarcerationis. Poteritne Bartholomæus profequi functiones fuas clericales ante fui purgationem?

℟. Magnum eft dicrimen inter hæc duo mandata: mandatum enim incarcerationis, cum non decernatur nifi pro gravi crimine, fic infamat Clericum, ut functiones clericales peragere non poffit; etiamfi appellaffet, vel obtinuiffet decretum defenfionis. Sed per folam citationem perfonalem non incurritur hoc interdictum; quia quoad Clericos nullibi reperitur in jure expreffum. Et ex hac differentia inter fententiam citationis & incarcerationis depromitur refponfio ad præfentem cafum. In quibusdam tamen diœcefibus, ut v. g. Parifienfi, exftat peculiare ftatutum, quo Clerico, dum citatur perfonaliter, eo ipfo interdicuntur functiones Ordinis; quo pro in cafu habendus eft pro fufpenfo, & fi hoc interdictum violet, eo ipfo incurrit irregularitatem. *Pontas.*

CASUS

CASUS XXIX. Pomponius parochus a parochianis suis accusatus, quod pro administratione Sacramentorum & sepultura pecunias extorserit, non obstante statuto dioecesano, quo id prohibetur sub poenis in jure latis, ab Officiali condemnatus est ad restitutionem duorum aureorum, interdicta simul ipsi ad mensem celebratione missæ. An hoc interdictum vera suspensio est? Num irregularitatem quoque incurrit, si ante lapsum mensis celebret?

℟. Vera suspensio est; & si Pomponius intra mensem celebret, absque dubio irregularitatem incurrit: Superior enim ecclesiasticus potest functionem extendere vel ad totum complexum functionum clericalium vel solum ad partem, ad tempus perpetuum vel limitatum. *Pontas.*

CASUS XXX. Oliverius diaconus per sententiam Officialis ad tres menses suspensus ab exercitio Ordinum suorum, elapso trimestri [illegible] ocyus denuo suas exercuit functiones, quin a suspensione fuerit absolutus. An irregularitatem incurrit?

℟. Licite potuit Oliverius elapso termino suspensionis Ordinum suorum functiones obire; quin opus fuerit absolutione. *Suspensio*, inquit Van-Espen Jur. eccles. part. 1. Tit. 10. *ad tempus limitata, ultra tempus non durat, sed lapso tempore expirat, etiam sine judicis absolutione; quemadmodum docent communiter Doctores.* In hoc suspensio ab excommunicatione differt; quod excommunicatio non tollatur nisi prævia absolutione a Superiore legitimo obtenta; suspensio vero ad certum tempus lata cesset ipso momento, quo determinatum tempus expirat, etiam sine absolutione. *Pontas.*

CASUS XXXI. Laurentius presbyter Lugdunensis venit Lutetias, ubi ob violatum statutum dioecesanum suspensionem incurrit. Redit denuo Lugdunum. An ab hac censura absolvi potest a suo Episcopo sine consensu Episcopi Parisiensis, in cujus dioecesi censuram contraxit? teneturne recurrere ad Papam, si celebrando in suspensione incurrit irregularitatem?

℟. Potest absolvi ab Episcopo Lugdunensi; quia Episcopus domicilii locum tenet illius, qui legem tulit. *Ratio est*, ut ait Bonacina de Censur. disp. 1. q. 3. punct. 2. *Quia usu id videtur receptum; usus autem & consuetudo conferre solet jurisdictionem; & est legitima legum interpres, quando dubitatur de mente legislatoris.* Idem dicendum quoad irregularitatem, si Laurentius eam incurrit. Aliud tamen foret, si Laurentius per sententiam personaliter fuisset suspensus: tunc enim facultas absolvendi esset penes illum, qui pronuntiavit censuram. *Pontas.*

CASUS

CASUS XXXII. Hieronymus parochus ab Officiali diœcesano suspensus ab Ordine, Officio & Beneficio, appellavit ad Metropolitanum aliquot diebus, antequam jubilæum promulgaretur, contendens, sententiam suspensionis suæ esse injustum. Verum prævidens, sententiam definitivam non fore ferendam ante finem jubilæi, quod tamen lucrari sincere cupiebat, an non possit absolvi *ad cautelam*, ut fieri solet in excommunicatione, & id potissimum ex hac ratione, ut possit celebrare, aliasque functiones parochiales obire pro utilitate spirituali suorum parochianorum, qui alias difficulter lucrari possent jubilæum, cum cooperatorem aut vicarium non haberet.

℟. Potest absolvi *ad cautelam* a suo Metropolitano aut ejus Vicario generali; quod probatur exemplo Honorii III. Cap. *Venerabili* 52. Lib. 5. Tit. 39. Verum Hieronymus Metropolitano probare debet nullitatem sententiæ contra se latæ, & sufficientem præstare cautionem standi sententiæ definitiva, si causa cadat. Observandum hic absolutionem ad cautelam etiam locum habere posse in interdicto, sed solum personali, non autem in generali, quod fertur in integram civitatem aut parochiam. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Aloysius & Hilarius Canonistæ disputant inter se; an Clericus possit suspendi ob culpam alterius, quin ipsus peccaverit. Hilarius tenet affirmativam; & Aloysius negativam, nixus regula juris: *sine culpa non est aliquis puniendus*, & hac ratione; quia etiam excommunicatio valide non potest pronunciari contra innocentem. Cuinam assentiendum?

℟. Assentiendum est Hilario. S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. ad 3 quæstiun. 2. ad 1. ait: *Suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio; quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati. Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum regnum supponitur interdicto pro peccatis Regis; & ideo non est simile de excommunicatione & suspensione.* Allegata regula juris intelligenda est de casu, ubi nulla sufficiens puniendi causa adest: & in hoc sensu Bonifacius VIII. Reg. 23. in 6. ait: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. Pontas.*

Nota. Prohibitum tamen est, integram communitatem religiosam ob delictum paucorum ab audiendis confessionibus suspendere.

CASUS XXXIV. Herculanus parochus de hæresi ac illicito cum suis pœnitentibus commercio accusatus, poteſtne ab Episcopo suspendi a Divinis, antequam inquisitio instituta fuerit in conversationem & vitam ipsius?

℟. Ob

℟. Ob publicum scandalum, sive datum sive acceptum, & ob infamiam, qua saltem ex communi rumore notatur Herculanus, potest ab Episcopo suspendi, usque dum, facta ab Officiali inquisitione in mores ipsius, sententia condemnationis pronuncietur. Si innocentem se judicaverit, innocentiam probare tenetur; si autem reus inventus & judicatus fuerit, dimissa parochia in Seminarium vel aliam communitatem se conferre debebit ad agendam pro arbitrio Episcopi pœnitentiam. *Fromageau.*

CASUS XXXV. Albinus Clericus ab Episcopo suo interdictus ac suspensus, appellavit ad Metropolitanum, a cujus etiam Officiali denuo rehabilitatus est. Episcopus autem contra sententiam Officialis appellavit Romam; & Albinus durante hac appellatione obtinuit Canonicatum. Estne hæc provisio legitima?

℟. Albinus non potuit durante appellatione Episcopi sui provideri Beneficio; & hinc primum a censura absolvendus est, ut ipsi de novo Canonicatus conferri possit. *Fromageau.*

Vide *Censura. Interdictum. Irregularitas. Ordo. Titulus clericalis.*

SUSPICIO.

1. Suspicio est interna mentis dubitatio, quam quis sibi format de probitate aut vivendi ratione alterius, & quæ inclinat ad iniquum ferendum judicium ob aliquam veri speciem. Suspicionem malam, seu legitimo destitutam fundamento, damnat S. Paulus, eamque 1. Tim. 4. v. 4. invidiis, contentionibus ac blasphemiis annumerat.

2. S. Thomas tres distinguit suspicionis species seu gradus. 1. Quando quis ex levibus indiciis dubitare incipit de probitate proximi, quod ex proclivitate humanæ fragilitatis frequentissimum est. 2. Dum quis, licet cum aliqua hæsitatione, credit, alium esse malum, aut malum perpetrasse, idque ex debilibus conjecturis colligit. 3. Dum judex ex mera suspicione aliquem condemnat, quod sine peccato mortali fieri non potest.

3. Observandum, hominem perversum facile suspicari, alium pariter esse perversum; majoremque longe propensionem in nobis esse male suspicandi de iis, quos aversamur quam de illis, quos diligimus.

CASUS

CASUS I. Berenice materfamilias suspicatur, filiam suam, quam excitati animi puellam esse noverat, nimis indifferentem esse ad liberiorem agendi modum cujusdam adolescentis vicini, qui eam sæpius invisere solet. Hinc severe interdicit ipsi, ne unquam sola cum solo se detineat. An peccat mater sic suspicando?

℟. Berenice ne quidem leviter peccat; immo sic agere piæ matris est: suspicio enim tendens ad præcavenda mala non est illicita, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 49. art. 8. C. sed potius laudanda. Frequentissimum est, quod amicitia etiam honesta inter personas juvenes diversi sexus, quantumcumque prudentes esse censeantur, exiguo tempore degeneret in amorem inordinatum, sensualem ac peccaminosum, maxime quando habent libertatem conversandi privatim. Totus mundus plenus est hujusmodi funestis exemplis ac eventibus tragicis. *Pontas.*

CASUS II. Domitius cum adverteret nimiam familiaritatem uxoris cum vicino suo, tam vehementem concepit malæ conversationis suspicionem, ut ab ea separare se cogitet, saltem quoad thorum. Num sic agere potest absque peccato?

℟. Triplex datur suspicio, temeraria scilicet, probabilis & violenta. *Temeraria* est, quæ legitimo caret fundamento; & hæc nunquam non peccaminosa est. *Probabilis* a peccato excusari potest. *Violenta* denique, seu indiciis ac conjecturis violentis innixa, vehementer inclinat in condemnationem personæ, in quam cadit hæc suspicio. His præmissis, si suspicio Domitii solum temeraria aut etiam probabilis est, non potest absque peccato ab uxore se separare, etiam quoad thorum. Verum si suspicio violenta est, & uxorem ad saniorem agendi modum, quo extra omnem suspicionem se constituat, inducere non potest, sine peccato quoad thorum ab ea se separat. *Pro eodem*, ait Glossa, *reputatur fornicatio & fornicationis suspicio. Pontas.*

Nota. Domitius tenetur uxorem monere, & opportunis mediis ad bonam frugem reducere, priusquam correctionis causa ab ea se separet quoad thorum.

CASUS III. Arsacius cum videret juvenem & puellam frequenter satis libere ac nimis familiariter conversantes, existimat, aut saltem vehementem fovet suspicionem, eos vivere luxuriose. An per hanc suspicionem graviter peccat?

℟. Si id non suspicatur temerarie, seu ex levibus motivis, non peccat juxta S. Thomam quodl. 12. art. 34. Suspicio non habet rationem veri judicii, & de se non est peccatum mortale; posset tamen fieri graviter peccaminosa, si non solum ex motivo

tivo insufficiente, sed ex deliberata malitia v. g. ex invidia aut ex odio erga proximum oriatur. Judicium temerarium plene voluntarium est, ejusque injustitia nulla sufficienti ratione excusari potest. Suspicio vero plerumque oritur ex errore intellectus, quo judicamus, rationes suspicandi esse sufficientes ad formandum prudens de aliena probitate dubium. *Pontas.*

Nota. Suspicio non est judicium intellectus, sed dubium cum suspensione judicii. Dubium prudens non est peccatum. Judicium temerarium, quamvis dubiosum, semper est peccatum, grave vel leve pro qualitate præjudicii, cujus periculo exponit proximum.

T.

TACTUS.

Non est hic sermo de *tactu* in genere, qui permultis in casibus potest esse absque ullo peccato, nec de tactibus, qui ex natura sua provocant ad lasciviam, sed solum de tactibus inter sponsos & conjugatos habitis, quorum aliqui mortaliter, alii venialiter peccaminosi, & alii ab omni peccato immunes existunt.

CASUS I. Firminus cum frequenter inviseret sponsam suam, tangit ejus faciem, manus, brachia, ac etiam figit oscula cum aliqua delectatione, quamvis brevi transeunte, & sine ulla intentione peccaminosa. Peccatne mortaliter?

℟. Aliqui Authores volunt, eum peccare mortaliter, si delectatio est magna & longioris durationis; aliqui dicunt, eum non peccare mortaliter. Quin tamen aut hos aut illos absolute condemnemus, dicendum nobis videtur, ejusmodi actiones, si fiant a personis proclivibus ad peccata carnis, quas prava inclinatio ordinarie allicit ad concipienda prava desideria, esse peccata mortalia; quia talis corrupta inclinatio constituit evidens periculum incontinentiæ. Si vero tales personæ perraro ac non nisi ex improviso abripiuntur ad prava desideria, ac insuper habeant curam resistendi, non videtur, eas condemnandas esse peccati mortalis; quia ejusmodi solutiores actiones non sunt peccata mortalia ex sua natura, neque fiunt peccaminosæ, nisi vel ex prava intentione operantium, vel ex periculo incontinentiæ, cui se exponunt. Nihilominus tamen prima opinio sola tuta est in praxi. *Pontas.*

Nota. Ex qualitate tactuum, actuum, & personarum confessarius quidem judicare potest de gravitate vel levitate periculi ad peccata car-

nis

nis vel ad graviores tentationes se tenentis ex parte confitentis; cum tamen ipsi perspecta esse nequeat qualitas periculi ex parte complicis, pœnitens absolute obligandus est ad evitandos tactus non necessarios causa honestatis publicæ.

CASUS II. Frodulphus conjugatus quærit a confessario, an amplexus & oscula, tactus & aspectus impudici, & morosæ delectationes sint peccata mortalia inter conjuges.

℟. Dicendum, quod toties peccet mortaliter, quoties ex iis accidit pollutio extra vas debitum, aut quoties illius periculum proximum sibi aut comparti imminet. Secus vero uterque venialiter duntaxat peccat; ac ne venialiter quidem peccat persona conjugata, quæ sine libidinoso appetitu sistente in sola voluptate talia conjugi ad actum conjugalem eo modo se comparanti in se permittit; cum hujusmodi tactus & oscula quasi dispositiones & præludia licita sint saltem respectu illius, qui citra voluntariam libidinem illa patitur; dummodo mensura debita ac modus conveniens observetur; quia cum licitus est finis, licita sunt & media, & cui licet operis consummatio, licet profecto & ejus inchoatio. Quod autem attinet ad delectationes morosas inter conjuges habitas, certum est illicitas esse, quando ad copulam statim habendam non referuntur: delectatio enim venerea etiam inter conjugatos est illicita, nisi ad copulam tendat. Porro in his discutiendis ac discernendis non mediocri prudentia opus est confessario. *Pontas.*

NOTA. Conjugatis omnes & soli illi tactus licent, qui absque probabili pollutionis præviæ periculo serviunt ad excitandam fortius naturam in ordine ad finem conjugii, procreationem videlicet prolis, melius assequendum.

TENTATIO DEI.

Tentare quandoque in sacra Scriptura id significat ac experimentum capere. In hoc sensu dicitur: *Tentavit Deus Abraham &c.* Hic *tentationem Dei* esse dicitur, dum quis aliquid facit aut dicit absque rationabili causa, ea intentione, ut exprimentum capiat divinæ potentiæ, bonitatis aut alterius attributi divini, quin adhibeat parata ac opportuna media ad finem, quem intendit, assequendum; aut sine justa causa a Deo petit, quod non licet petere, ut si quis v. g. ex mera temeritate voluntarie sese exponeret periculo prolabendi in præcipitium, quod non declinat, licet facillime posset declinare, & Deo relinqueret curam se præservandi a lapsu. Dæmon tentavit Deum, dum Christo suggesserat, ut de pinna templi

se

ſe præcipitet. Iſraëlitæ tentarunt Deum Exod. 17. v. 7. *dicentes: Eſtne Dominus in nobis, an non?* Theologi peccatum tentationis Dei definiunt eſſe, *dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum, ab eo temere exſpectatum.* Diſcutietur in hoc articulo, quale ſit peccatum tentatio Dei, & utrum quandoque non niſi veniale eſſe poſſit.

CASUS I. Scipio Aureliam iturus certo ſcit, in ſylva, per quam transeundum erat, eſſe latrones, qui itinerantes ſpoliant & occidunt; hoc tamen non obſtante pergit per eam absque omni neceſſitate, ſoli ſe committens providentiæ divinæ. Poteſtne absque peccato tentationis Dei pergere in itinere ſuo, cum arma non haberet, ac alias viribus eſſet valde debilis?

℞. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 97. art. 1. C. non eſt tentatio Dei ob aliquam neceſſitatem aut utilitatem ſe committere providentiæ & auxilio divino. Verum in hoc caſu, cum Scipio absque neceſſitate ſuum continuarit iter, & ideo vitam ſuam præſentiſſimo expoſuerit periculo absque cauſa legitima, commiſit peccatum tentationis Dei. *Quando vero*, addit S. Doctor, *hoc agit absque neceſſitate & utilitate, hoc eſt interpretative tentare Deum.* Et l. c. art. 3 C. *Manifeſtum eſt autem, quod tentare aliquem ad irreverentiam ejus pertinet: nullus enim præſumit tentare eum, de cujus excellentia certus eſt. Unde manifeſtum eſt, quod tentare Deum eſt peccatum religioni oppoſitum. Pontas.*

CASUS II. Arnobius parochus in publica exhortatione ad populum, explicans hæc verba: *Non tentabis* &c. docet, omnem tentationem Dei eſſe peccatum mortale. Verane eſt hæc propoſitio?

℞. Regulariter loquendo propoſitio Arnobii vera eſt: tentare enim Deum ex natura ſua peccatum mortale eſt; quia graviſſimam Deo irreverentiam exhibet, qui in commodum phantaſiæ ſuæ ſtabilitarum divinæ providentiæ legum mutationem aut exſpectat aut expetit, ut advertit S. Auguſtinus L. 22. *contra Fauſtum* c. 36. Nihilominus peccatum tentationis Dei ob circumſtantias gravitatem culpæ imminuentes poteſt quandoque ſolum eſſe veniale. *Pontas.*

NOTA. Circumſtantia gravitatem hujus peccati allevians poteſt eſſe v. g. exiſtimatio leviter tantum culpabilis, quod detur in hoc vel illo caſu major neceſſitas, ac re ipſa datur, ut Deus operetur modo extraordinario præter naturæ ordinem; vel dum ex ſiniſtra opinione leviter culpabili de praxi operationum divinarum creditur, Deum facile & absque neceſſitate operari præter ordinem naturæ præſtabilitum.

CASUS III. Diodocus Beneficiatus a longo jam tempore aversionem animi fovens erga alium Clericum, omnes preces suas, & ipsum quoque Officium divinum persolvit absque ulla præparatione. An tentat Deum, cum non faciat, quod potest & debet ad hoc, ut preces exaudiri mereantur?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 97. oart. 3. ad 2 *quasi interpretative tentat Deum: et quamvis hujusmodi interpretativa tentatio videatur ex præsumptione seu indiscretione provenire; tamen hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet, quod homo præsumptuose & sine debita diligentia se habeat in his, quæ ad Deum pertinent. Unde etiam hujusmodi tentatio irreligiositatis species est. Pontas.*

NOTA. Revera non solum ad superstitionem ethnicam, de qua Matth. 6. referendum est multiloquium Clericorum horas canonicas & missam sine attentione ac devotione deproperantium, sed etiam ad tentationem Dei, dum gratiam attentionis & devotionis necessariam se allecuturos sperant sine debita præparatione. Huc spectant, qui animarum curæ præfecti, otio torpentes aut temporalibus nimium difienti, sine labore, sine studio sacras conscendunt cathedras, aut munus docendi assumunt in catechesibus, præcise ut pro recepta consuetudine concionentur & catechizent, non ut sanctificent animas, divinam benedictionem ac illustrationem adfore sperantes desidiæ suæ, sterilique declamationi ac nudæ vociferationi. *Deus non irridetur.* Gal. 6. v. 7.

TESTAMENTUM.

1. In sacra Scriptura *Testamentum* pluribus in locis sumitur pro fœdere vel pacto, ac pro ipsa lege & promissionibus. Hic autem per testamentum intelligitur declaratio voluntatis circa ea, quæ quis de rebus suis fieri vult post mortem suam. Ex tribus potissimum cognoscitur valor aut nullitas testamenti. 1. Ex qualitate testatoris. 2. Ex conditione hæredis. 3. Ex forma exteriore actus testamentarii.

2. Testari non possunt filiifamilias, nisi de bonis castrensibus & quasi - castrensibus; item impuberes, mente capti, furiosi, civiliter mortui, surdi & simul muti. Si tamen quis sit solum mutus aut tantummodo surdus, potest testari, si scribere sciat. Cæcus potest quidem testari, adhibere tamen debet præter septem testes Notarium, aut testem octavum, qui scribat & alta voce legat testamentum in præsentia testatoris & omnium testium.

3. Ut quis legato frui possit, non sufficit, quod illius capax fuerit tempore confecti testamenti; sed requiritur, ut etiam capax sit eo tempore, quo testator obiit; saltem nisi legatum fuerit conditionatum: tunc enim sufficeret, si legati sit capax tempore adimpletæ conditionis.

4. Quod

4. Quod attinet solemnitates ad actum testamentarium requisitas, respiciendum est unice ad leges & consuetudines provinciæ, in qua testamentum conficitur, non attendendo ad locum, ubi testator ordinarium suum habet domicilium, vel ubi bona ipsius sita sunt. Sic vi juris Romani requiritur, ut testamentum sit in præsentia septem testium, & non solum ab iis subscribatur, sed etiam a testatore, aut a teste octavo, si ipse testator scribere non possit; ut adeo opus non sit ministerio Notariorum, ubi eos præterire libuerit. Testamentum secreto confici potest, illudque involucro tegi sigillo testatoris munito, & præsentibus septem testibus ad id rogatis Notario tradi, a quo involucro inscribendum, hunc N. præsentibus testibus N N. ad hoc rogatis hoc die sibi tradidisse hanc chartam clausam, qua testamentum suum contineri asserebat, ac petiisse a se Notario & testibus, ut instrumentum desuper conficeretur, illudque Notarii & testium subscriptione ac sigillo muniretur, testesque una cum testatore ac Notario id executos fuisse, hoc sigillo usos.

5. Notandum hac super re. 1. Omnes testes uno eodemque sigillo uti posse. 2. Si testator scribere nesciat, loco illius subscribendum esse a teste octavo. 3. Patrem prætermissis omnibus hisce formalitatibus propria manu posse scribere testamentum, disponere de bonis suis inter liberos, & cuique suam designare portionem, immo & alia addere legata, si voluerit. Si tamen hoc testamentum postea revocare vellet, opus foret alio testamento publico, in quo præsentibus septem testibus declarandum, quod anterius testamentum revocaverit.

6. Qui nec legere nec scribere scit, testamentum secretum condere non potest, ut communissime docent Authores; quia, si legere nescit, etsi possit scribere nomen suum, facile contingere posset, ut a scriptore testamenti decipiatur; & in hoc sensu intelligenda sunt verba legis: *Si litteras testator nescit.*

7. Quoad testamentum adhuc observandum est. 1. Ut contineat institutionem hæredis. 2. Ut institutus hæres supervivat testatori. 3. Ut hæres acceptet hæreditatem; alias enim testamentum fieret caducum & nullum quoad omnia in eo contenta: si tamen hæres per fraudem repudiaret hæreditatem, animo eam veluti ab intestato absque omni onere legatorum transmittendi ad patrem suum, vel quemcumque alium, quocum de renuntiatione convenit, in hoc casu nulla habetur ratio renunciationis. 4. Ut legata & fideicommissa in testamento contenta, etsi institutio per renunciationem hæredis fiat caduca, firma persistant, ac ab hærede ab intestato persolvi debeant; dummodo testamento affixa sit clausula codicillaris, seu

declaratio teſtatoris, quod etſi teſtamentum non valeat in forma teſtamenti, id tamen valere velit in forma codicilli aut donationis mortis cauſa. Si teſtatori tempus non ſuppetat aut copia condendi teſtamentum ſecundum, quo primum revocetur, poteſt illud revocare delendo nomina omnium hæredum, aut expungendo totum teſtamentum, quod hac ratione redditur nullum.

8. Vi juris Romani codicilli validi ſunt, dummodo teſtator declaret voluntatem ſuam coram quinque teſtibus, quin opus ſit aliis formalitatibus. Per codicillum non poteſt expreſſe dari aut adimi ſucceſſio; poteſt tamen id tacite fieri per fideicommiſſum, ſi ſcilicet rogetur hæres ſive teſtamentarius ſive ab inteſtato, ut hæreditatem cedat alteri perſonæ deſignatæ. Qui teſtari non poteſt, nec codicillum conficere poteſt. Ab eodem teſtatore plures codicilli confici poſſunt, dummodo ſibi invicem non ſint contrarii; quo in caſu poſterioribus inſiſtendum foret. Codicillus ſe referre poteſt ad teſtamentum anterius; & ſicque annullato teſtamento annullatur quoque codicillus. Si vero codicillus ſe non referat ad teſtamentum, ſubſiſtit, etſi annulletur teſtamentum.

9. Teſtamenta millitum multis gaudent privilegiis. Milites in actuali expeditione conſtituti poſſunt teſtari absque omnibus ſolemnitatibus; & ſufficit, ſi ſolum conſtet de voluntate teſtatoris. Milites autem in urbibus præſidiarii aut in hybernis degentes non gaudent hoc privilegio. Damnati ad mortem ob crimen militare poſſunt teſtari, ſicut & filiifamilias milites quoad peculium ſuum caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe. Vi juris Romani miles per ſimplicem codicillum poteſt hæredem inſtituere non ſolum quoad partem bonorum, ſed etiam quoad omnia bona ſua, quamvis nulla mentio ſiat prolium teſtatoris. Teſtamentum militis elapſo poſt dimiſſionem ſuam anno redditur invalidum; & ſi propter crimen aliquod probroſum fuerit dimiſſus, teſtamentum ipſo inſtanti fit nullum. Quilibet Officialis & militiæ præfectus, qui copias ſuas ſequi tenetur, poteſt condere teſtamentum militare.

CASUS I. Harduinus pupillus tredecim annos natus & dimidium, periculoſo morbo decumbens condidit teſtamentum, & legavit Martiali condiſcipulo ſuo 150. Frater defuncti prætendit, teſtamentum eſſe nullum, adeoque ſe non obligari ad ſolvendum legatum.

℞. Teſtamentum Harduini eſt nullum; adeoque etiam legatum: impuberes enim ſunt jure incapaces teſtamentum condendi. Aquiritur autem juxta jus Romanum pubertas in maſculis anno ætatis decimo quarto, & in fœminis anno duodecimo completo. *Pontas.*

CASUS

CASUS II. Diomedes impubes adhuc condidit testamentum, & legavit Lucæ amico suo 500. florenos: moritur autem primum quarto aut quinto anno post adeptam pubertatem, quin condiderit novum testamentum. Hæres Diomedis, prætendens nullitatem testamenti, recusat solvere legatum.

℟. Testamentum hoc revera in sua origine nullum est; hinc Lucæ non debetur legatum. Defectus ætatis in testatore, dum condidit testamentum, non potest reparari tractu temporis, juxta regulam Juris: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*; & aliam: *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. Sic & lex ait: *Si filiusfamilias aut pupillus tabulas testamenti fecerit, signaverit, secundum eas bonorum possessio dari non potest, licet filiusfamilias aut pupillus pubes factus decesserit; quia nullæ sunt tabulæ testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuerit*. *Pontas.*

CASUS III. Leander Filiusfamilias adhuc existens in patria potestate anno ætatis suæ vigesimo condidit testamentum, quo Ferdinando & Julio reliquit 1000. florenos. **Estne validum** hoc testamentum, saltem pro foro interno?

℟. Testamentum hoc absolute nullum est: filii enim familias etiam juxta jus Romanum non possunt testari sine consensu patris sui; nisi habeant bona castrensia, aut quasi-castrensia, vel forensia. *Pontas.*

CASUS IV. Arsenius alias sui juris existens, ingressus est Ordinem Carthusianorum; & pridie ante professionem condidit testamentum in favorem suorum consanguineorum & amicorum. An hoc testamentum est validum?

℟. Religiosi non sunt inhabiles ad testandum, nisi post professionem solemnem. Et hinc testamentum Arsenii est validum. *Pontas.*

CASUS V. Freculfus presbyter præter bona ex Beneficio suo parta nihil possidet. Potestne per testamentum de illis disponere in favorem suorum amicorum & propinquorum?

℟. Non potest de bonis beneficialibus disponere, nisi in favorem pauperum aut ecclesiæ. Sic volunt SS. Canones, sicque docet S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. C. Et hæc responsio probatione non indiget. Potest nihilominus Beneficiatus partem notabilem ejusmodi bonorum ecclesiasticorum legare iis, qui sua ipsi servitia contulerunt, juxta Concilium Toletanum IV. c. 36. Consuetudo quidem generalis est in Gallia, ut Clerici de bonis suis indiscriminatim per testamentum disponant in favorem hæredum suorum, iique illis succedant ab intestato; sed Cabassutius vehementer in hanc corruptelam invehitur. *Non obstat perversa ista consuetudo*, inquit, *quominus qui de proventibus ecclesiasticis in res profanas disponunt, sive in-*

ter vivos sive per ultimas voluntates, peccent mortaliter & æternæ damnationi se obstringant. Similiter van Espen Jur. eccl. Univ. part. 2. tit. 32. c. 7. n. 32. dicit. *Sicuti electio ad Beneficium ecclesiasticum minus digni, omisso digniore, non reprobatur quantum ad forum contentiosum; quamvis eligens in foro conscientiæ incurrat peccatum acceptionis personarum, & violationis justitiæ distributivæ fit reus. Ita testamenta Clericorum de proventibus ecclesiasticis in usus profanos aut favorem consanguineorum non indigentium non reprobantur, sive non declarantur invalida in foro contentioso propter odia litium; sed non eximunt ipsos disponentes ab injustitia, dum proventus ecclesiasticos simili modo dispensant contra intentionem offerentium & naturam ipsorum bonorum. Pontas.*

Nota. Sententiam Pontasii fuse tuetur Amort. in Theol. Eclectica tr. de Just.

CASUS VI. Firminus authoritate judicis declaratus prodigus, & hinc prohibitus administratione bonorum, cum esset mortuus, reliquit inter alias chartas testamentum, quod condidit in favorem quorumdam amicorum suorum. Estne hoc testamentum validum?

℟. Si testamentum condidit primum post interdictam sibi bonorum administrationem, nullum est ac invalidum. Ita expresse habetur in L. *Is cui*, 18 ff. *Qui testam. facere possunt. Is, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest; & si fecerit, ipso jure non valet. Quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit.* Sunt quidem jurisperiti, qui ejusmodi dispositiones testamentarias habent pro invalidis, etiamsi factæ sint ante interdictionem bonorum; sed rationes eorum non sunt adeo ponderosæ, ut a claro textu juris recedendum sit. Dicendum igitur, testamenta ante interdictionem facta esse valida; dummodo moraliter certum sit, iis diem anteriorem per fraudem non esse appositum, & contineant dispositiones rationi & æquitati conformes, maxime dum testator eo tempore, quo testamentum condidit, prodigus non fuerat. *Pontas.*

CASUS VII. Aelius ante biennium incidit in amentiam; gaudet tamen subin lucidis intervallis, & prudenter operatur. In his circumstantiis condidit testamentum. Estne validum?

℟. Testamentum hoc tempore lucidi intervalli cum debitis formalitatibus conditum absque dubio valet. *Furiosi autem*, ait Imperator Instit. Lib. 2. tit. 12. §. 1. *Si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur. Pontas.*

CASUS VIII. Lyſimachus a nativitate mutus, non tamen ſurdus, condidit teſtamentum, & legavit Juvenali 500. florenos. Hæres Lyſimachi, ne teneretur ſolvere legatum, prætendit teſtamenti nullitatem. Num juſte agit?

℟. Prætenſio hæred's juſta eſt, ſi Lyſimachus non noverat ſcribere, dum condidit teſtamentum. Ita habetur L. *Diſcretis.* 10. Cod. Lib. 6. tit. 22 Ratio eſt; quia mutus ſcribere neſciens non poteſt declarare ſenſa animi ſui, niſi per ſigna Si vero ſcribere ſciret, certum eſt, legitimum fore teſtamentum ipſius; dum ſic exacte potuiſſet ſcripto manifeſtare voluntatem ſuam. *Pontas.*

CASUS IX. Vindonius illegitimus condidit teſtamentum, & legavit Blaſio amico ſuo 1000. florenos. Officiales autem fiſci occupabant omnia bona defuncti, & recuſabant ſolvere 1000. florenos. Num juſte?

℟. Si illegitimus absque prole legitima, & ſine omni diſpoſitione de bonis ſuis diſcedat, in omnia ſuccedit fiſcus juxta L *Si ſpurius.* 4. ff. Lib. 38. tit. 8. *Si ſpurius inteſtato deceſſerit, jure conſanguinatis aut adgnationis hæreditas ejus ad nullum pertinet.* Si vero proles legitimas habeat, in eorum favorem de bonis ſuis diſponere poteſt; imo hæ illi ſuccedunt ab inteſtato. Poteſt etiam teſtari in cujuscumque demum favorem. Hinc Officiales fiſci injuſte recuſant Blaſio ſolutionem mille florenorum *Pontas.*

CASUS X. Hilarinus condito teſtamento, in quo continentur multa legata in favorem propinquorum & amicorum ſuorum, commiſit crimen, ob quod damnatus eſt ad perpetuas triremes cum confiſcatione omnium bonorum. An per hoc invalidatur ejus teſtamentum, maxime ſi appellavit a ſententia condemnatoria?

℟. Certum eſt, quod condemnatus ad mortem vel aliam pœnam, quæ mortem civilem infert & confiſcationem bonorum, non ſolum ſit inhabilis ad condendum teſtamentum, ſed & illud, quod fors ante condemnationem condidit, nullum ſit: dicit enim L. *Ejus.* 8. §. 1. ff. Lib. 38. tit. 1. *Si cui aquâ & igni interdictum ſit, ejus nec illud teſtamentum valet, quod ante fecit, nec id quod poſtea fecerit.* Verum ſi interpoſita fuerit appellatio, teſtamentum ſubſiſtit, usque dum ſententia condemnationis per novam ſententiam definitivam confirmata fuerit. Et ſi moriatur Hilarinus ante hanc confirmationem, teſtamentum ſuum ſortitur effectum. L. *Accuſatorum.* 1. §. fin. ff. Lib 48. tit. 16. *Pontas.*

CASUS XI. Joſephus Hiſpanus venit in Galliam, ibique contracto morbo condidit teſtamentum, ac obiit. An hoc teſtamentum eſt validum?

℞. Si Josephus non obtinuit literas naturalisationis, testamentum est invalidum. Patitur tamen hæc lex exceptionem quoad extraneos, qui habent liberos aut alios consanguineos natos in Gallia, aut ibi naturalisatos: hi enim si moriantur, alienigenæ ejusmodi possunt ipsis succedere. Mercatores extranei pergentes ad nundinas Lugdunenses pariter sunt excepti: possunt enim testari; imo hæredes eorum ipsis succedunt ab intestato. Dantur etiam quædam provinciæ, quarum incolas Reges Galliæ jure civitatis donarunt. Denique excipiuntur Legati, qui habent jus testandi, in quacumque provincia se detinuerint. *Pontas.*

Nota. Jus *Albinatus* seu allienigenatus una cum omnibus suis effectibus per concordata Gallos inter & omnia vix non regna, provincias ac civitates Imperiales inita ab aliquot annis jam penitus sublatum est; ita ut quivis jam alienigena in Gallia degens pro libitu testari possit de bonis suis; quod & juri naturali & gentium certe conformius est.

CASUS XII. Gerbertus natus in Hollandia, ibi condidit testamentum. Tribus postea mensibus figit domicilium Massiliæ, ibique per mercaturam acquirit multa bona, & moritur. An frater ipsius, hæres unicus, existens in Hollandia habet jus ad hæreditatem; cum testamentum jam conditum sit, antequam Gerbertus venerit in Galliam?

℞. Frater Gerberti poterit quidem succedere in bona defuncti sita in Hollandia; non vero in ea, quæ sita sunt Massiliæ, vel in alio loco Regni Galliæ, respectu quorum testamentum est absolute nullum. *Pontas.*

Nota. Vide *Notam* ad casum præcedentem. Etiam Hollandi non amplius subjacent juri *Albinatus* in Gallia; daturque jam plena libertas testandi; & ab intestato succedendi.

CASUS XIII. Petilianus ex duobus suis fratribus habet duos nepotes, quorum utrique est nomen Joannes; & in testamento suo Petilianus nominat suum nepotem Joannem legatarium universalem. Cum vero post mortem Petiliani ambo nepotes litigarent inter se, utroque prætendente, designationem testatoris respexisse ad se, tandem convenerunt, ut dividerent hæreditatem. Sed Martinus hæres ab intestato prætendit, totam hæreditatem pertinere ad se. An jure id petit?

℞. Pro generali regula habendum est, quod, si institutio hæredis est adeo æquivoca, ut nulla certa ratione agnosci possit, quem testator hæredem designare voluerit, testamentum sit nullum; quia talis institutio secure ad finem suum

per

pertingere non poteſt, & privat ſors hæreditate illum, qui jure ea potiretur. Hinc æquitas poſtulare videtur, ut Martinus tanquam hæres ab inteſtato in omnia defuncti bona ſuccedat. L. *In tempus* 62. §. 1. ff Lib. 28 Tit. 5. Si vero ex aliis certis indiciis conſtet, quem teſtator deſignaverit, licet in nomine erraverit, defuncti voluntas haud dubie implenda eſt juxta aliam L. *Si in nomine*. 4. Cod. Lib. 6. Tit. 23. *Si in nomine vel prænomine, ſeu cognomine, ſeu agnomine teſtator erraverit, nec tamen de quo ſenſerit incertum ſit; error hujusmodi nihil officit veritati.* Pontas.

Nota. Ex intentione præſumpta teſtatoris videtur æquitati naturali conformius, ſi alteruter duorum nepotum ejusdem nominis capiat hæreditatem. Hinc ſuaderem, ut unus eorum ſortiendo alteri cedat jus, ſub pacto occulto alteri clam reſtituendi dimidium.

CASUS XIV. Bonifacius ſcripſit ac propria manu ſignavit eodem tempore duo exemplaria ſui teſtamenti; unum non clauſum tradidit cuſtodiendum amico, & in eo legatarius univerſalis ſcriptus eſt Martinus; alterum ipſe retinuit, & in eo ſcriptus eſt Medardus. Teſtamentum utrumque cæteroquin omni defectu caret. Quis jam erit hæres, aut legatarius univerſalis? num uterque?

℟. Domatus Tom. 3. pag. 417. cenſet, hæc duo exemplaria habenda eſſe pro uno teſtamento valido; cum iſta variatio fieri potuerit ex motivo rationabili ac legitimo v. g. occultandi unam partem diſpoſitionis ſuæ ultimæ, dum alteram non celabat: & hinc Martinum & Medardum æqualiter eſſe legatarios, hæreditatemque inter eos dividendam. Idem ſentit Bonacina de Contract. diſp. 3. q. 17. punct. 8. §. 5. Expreſſe id ipſum determinatur L. *Tabulas*. 1. §. 6. ff. Lib. 37 Tit. 11. *Sed etſi in duobus codicibus ſimul ſignatis alios atque alios hæredes ſcripſerit, & utrumque exſtet; ex utroque quaſi ex uno competit bonorum poſſeſſio; quia pro unis tabulis habendum eſt, & ſupremum utrumque accipiemus.* Pontas.

CASUS XV. Dominicus in ſuo teſtamento relinquit Danieli uni ex hæredibus ſuis præſumptivis fundos, quorum annui redditus ſunt 1000. floreni, cum mandato, ut Deodato alteri ejusmodi hæredi tradat villam his fundis annexam redituum annuorum 250. florenorum, quam Dominicus legitime ſibi aquiſitam putabat. Villa fuit tradita; ſed, cum poſtmodum fuiſſet evicta ab aliquo Minorenni poſt adeptam ætatis veniam, Deodatus a Daniele petit ſatisdationem pro evictione. An jure id petit?

℟. Si villa Deodato fuit aſſignata tanquam cohæredi, ſic, ut aſſignatio hæc habeat rationem partitionis bonorum hæ-

reditariorum, Daniel tenetur Deodato de evictione juxta Leg. *Hæredes*. 25. §. 21. ff. Lib. 10. Tit. 2. Si vero ex tenore testamenti appareat, villam Deodato tantum assignatam fuisse per modum simplicis legati, Daniel non tenetur de evictione, ut desumitur ex Leg. *Cum pater*. 77. §. 8. ff. Lib. 31. Tit. 1. *Pontas*

CASUS XVI. Marcus duos habet filios, Joannem 25. annorum, & Ægidium adhuc duodecinem. His divisit bona sua. Ægidio assignat certum fundum, cujus usufructuarium constituit Joannem, usque dum Ægidius sui juris fuerit, cum mandato, illi exinde annuatim solvendi 100. florenos, ac insuper, quamprimum Majorennis fuerit, eidem numerandi 2000. florenos. Joannes post tres aut quatuor annos moritur, relicta prole. Quæritur, an usufructus pertineat ad prolem Joannis, quæ videtur succedere in omnia jura parentis, id quod etiam prætendit tutor ejusdem; an vero ad Ægidium.

℞. Secundum jus usufructus præfati fundi ex integro pertinet ad Ægidium. *Leg. liberto*. 21. §. *fin ff. lib*. 33. *tit*. 1. Ratio a lege assignata est; quod usufructus filio seniori solum fuerit concessus tanquam beneficium personale annexum curæ, quam habere teneretur pro sustentatione ac educatione fratris sui junioris. *Pontas*.

CASUS XVII. Firmilianus homo dives, cujus omnia bona consistunt in numerata pecunia, & aliis mobilibus, in testamento suo legatariam universalem instituit Luciam, qua cum per septem aut octo annos habuit turpe commercium, in præjudicium quinque aut sex indigentium propinquorum suorum, alias ab intestato ipsi succedentium. An hi tuta conscientia possunt agere contra valorem testamenti?

℞. Tuta conscientia, & juste impugnant hoc testamentum, utpote prorsus contrarium æquitati naturali, honestati, ac bonis moribus. *Mulier*, inquit L. *Miles*. 41. §. 1. ff. Lib. 29 Tit 1. *in quam turpis suspicio cadere potest, nec ex testamento militis aliquid capere potest*. *Pontas*.

CASUS XVIII. Marius non habet prolem legitimam, sed tantum quosdam propinquos, hæredes suos præsumptivos. Poteftne tuta conscientia in hæredem universalem instituere Appium, prolem adulteram, quam suscepit constante matrimonio, aut incestuosam, susceptam ex puella consanguinea in tertio aut quarto gradu?

℞. Marius nihil potest Appio relinquere, præter necessaria ad honestam sustentationem: proles enim, quæ in jure vocantur *spuriæ*, id est, natæ ex parentibus, inter quos tempore nativitatis earum non potuit subsistere matrimonium, per

per nullum testamentum possunt valide institui pro hæredibus parentum suorum in præjudicium aliorum hæredum legitimorum. *Qui ex damnato sunt coitu*, inquit Authent. *Licet.* Cod. Lib. 5. Tit. 27. *ab omni prorsus beneficio secludantur.* *Pontas.*

CASUS XIX. Anatolius testamentum condidit adhibitis omnibus solemnitatibus a jure requisitis, & legatarium universalem sub quibusdam conditionibus instituit Stephanum. Altero anno scripsit aliud testamentum, & in eo instituit legatarium universalem Antonium cum onere solvendi Petro 300. & Paulo 600. florenos. Antonius, Petrus & Paulus mortui sunt ante Anatolium, qui & ipse post tres menses fatis cessit, quin in secundo testamento quidpiam immutaverit. Num primum testamentum suum iterum effectum sortitur, & Stephanus jure succedit Anatolio?

℟. Cum primum testamentum annulletur per secundum adhibitis debitis solemnitatibus conditum, Stephanus nullum habet jus ad capiendam hæreditatem, sed solum hæredes ab intestato; etsi alterum testamentum effectum suum non fuerit consecutum. §. *Posteriore.* 2. Instit. Lib. 2. Tit. 17. Hæc juris dispositio fundatur sequentibus duobus principiis: *Ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum.* L. *Quod si.* 4. ff. Lib. 34. Tit. 4. Et *novissima enim voluntas servatur* L. *Translatio.* 6. ibidem. *Pontas.*

CASUS XX. Andulfus dives operarius, periculose decumbens condidit testamentum suum coram uno Notario in præsentia unius amici tanquam testis, ac in eo varia fecit legata in favorem propinquorum suorum, ac Noëmi cujusdam amici. Filii Andulphi recusant solvere hæc legata, prætendentes, testamentum esse nullum. Possuntne tuta conscientia recusare hanc solutionem?

℟. Dantur multi Authores, qui putant, testamentum esse validum jure naturali, etsi in confectione ejusdem observatæ non sint una, aut plures formalitates a jure requisitæ. Præferenda tamen est contraria sententia fundata in hac lege: *imperfectum testamentum sine dubio nullum est.* Nihilominus videtur, quod inter præfatas duas opiniones possit iniri via media, dicendo, quod in foro interno conscientiæ quilibet possit relinqui in sua possessione, usquedum de testamento controversia mota fuerit, & judex de testamenti obligatione definitivam sententiam protulerit; quin exinde hæredes naturales impediantur ab impugnando testamento; sic, ut cuilibet relinquatur libertas bona fide, quam habet, defendendi jus suum. Gabassut, l. 6. c. 3. *Pontas.*

CA-

CASUS XXI. Honoratus condidit testamentum admodum favorabile Placido cuidam consanguineo suo. Paulo post mutata voluntate declaravit tribus personis, se nolle prius testamentum haberi pro valido, & actu jam scribere cœpit aliud testamentum, quo tamen nondum absoluto nec subscripto obiit. Num subsequens declaratio confirmata per ea, quæ jam scripsit, reddit prius testamentum invalidum?

℟. Nec declaratio, nec ea, quæ scripsit in secundo testamento, primum reddunt invalidum: non enim sola voluntas testatoris reddit ejusmodi dispositionem validam: oportet etiam adhiberi solemnitates a jure requisitas. Hinc etiam ad invalidandum testamentum sub debita forma conditum requiritur actus consimilis sub eadem solemnitate juxta regulam juris: *Unde non debet per malè vitiari* Bonif. VIII. Reg. 37. de Reg. jur. in 6. *Pontas.*

CASUS XXII. Sixtus civis Parisiensis testamentum suum dictavit Antonio amico suo; ipse tamen illud subscripsit, & paulo post obiit. Possuntne hæredes ab intestato facta in eo legata impugnare, eo quod, ut vult lex Principis, testamentum non sit scriptum propria manu testatoris?

℟. Diversæ circa hunc casum dantur opiniones. Nihilominus, quia juxta consuetudinem Parisiensem testamentum debet esse receptum a duobus Notariis, si non sit scriptum ac signatum propria manu testatoris, testamentum Sixti pro invalido habendum est; & ut tale judicaretur in foro externo. *Pontas.*

CASUS XXIII. Sidonius commorans in pago sex leucis dissito Parisiis, sito tamen intra districtum jurisdictionis Parisiensis, cum nec adesset parochus, nec Notarius, scripsit suum testamentum in præsentia vicarii, & quatuor testium idoneorum. An hæredes tenentur in conscientia illud exequi, cum certi sint de voluntate testatoris?

℟. Si vicarius parochi habet litteras commissionis a Vicario Generali, subscriptas a parocho, & registratas in tabulario judicis sæcularis, repræsentat personam parochi, & habet jus excipiendi testamenta. Si ergo vicarius præfatis literis instructus excepit testamentum Sidonii, valet; alias foret invalidum juxta consuetudinem Parisiensem, & jurisprudentiam Regni; etsi validum esset in aliis quibusdam locis, si etiam in simplici tantum declaratione testatoris illud consisteret. *Pontas.*

CASUS XXIV. Romualdus condidit testamentum suum in præsentia Notarii, & duorum idoneorum testium; quorum tamen unus postea commisit homicidium, & ad mortem aut

tri-

triremes damnatus est; alter vero incidit in amentiam. An testamentum nihilominus manet validum?

℞. Hæc mutatio in testibus testamentum non reddit invalidum: non enim ipsis deerant qualitates requisitæ ad idoneitatem testis, cum actu signarent testamentum; & hoc sufficit. *Conditionem testium*, ait L. *Ad testium.* 22. §. 1. ff. Lib. 28. Tit. 1. *tunc inspicere debemus, cum signarent, non mortis tempore.* Si igitur tunc, cum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possent; nihil nocet si quid postea eis contigerit. *Pontas.*

CASUS XXV. Veranus civis Santmacloviensis cum plurima ex commercio sibi bona peperisset, nec haberet propinquos nisi in gradu admodum longinquo, condidit testamentum suum, ac in eo plenam Henrico intimo amico suo relinquit potestatem nominandi hæredem, quemcunque vellet, cum onere tamen præstandi quædam pia legata. Henricus post mortem Verani testatoris nominat Benedictum consanguineum defuncti in quinto gradu. Estne hoc testamentum legitimum? Num Benedictus jure succedit in bona defuncti?

℞. Viget quidem in quibusdam locis consuetudo sic testandi, ut v. g. in Hispania, & admittitur, ut quis in testamento suo eligat quemquam, qui de bonis testatoris disponat pro suo arbitrio, & hæredem nominet. In Gallia tamen & in Germania ejusmodi testamenta non censentur legitima. *Illa institutio: quos Titius voluerit*, inquit L. *Illa.* 32. ff. Lib. 28. Tit. 5. *ideo vitiosa est, quod alieno arbitrio permissa est: nam satis constanter veteres decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.* *Pontas.*

Nota. Jure naturali hæc denominatio hæredis valet, sed non jure civili Romano, ubi receptum est. Illud in foro interno regulat; isthoc in foro externo.

CASUS XXVI. Simeon, commorans Parisiis, cum urgeretur vicinia mortis, nec præsentes statim haberet testes, scribendum curavit testamentum suum a Notario in eadem domo commorante, illudque instar testium subscripserunt puer tredecim annorum, pueri mater, ac matertera. Estne testamentum validum?

℞. Testes ejusmodi non sufficiunt ad valorem testamenti, nam nec impuberes, nec fœminæ, imo nec Religiosi juxta Edictum Parlamenti Parisiensis de anno 1639. possunt agere idoneos testes in confectione testamenti. *Pontas.*

No-

NOTA. Religiosi, quos jam ratio status, quem profitentur, arcere deberet a munere testis in re testamentaria plerumque ingiis exposita, etiam in non nullis Germaniæ provinciis per peculiares leges Principum a testamentis abesse jubentur.

CASUS XXVII. Chrysanthus per testamentum hæredem instituit Leonem nepotem suum cum obligatione, ut non utatur beneficio inventarii: existimabat enim, hoc sibi dedecori fore. Addit præterea, se legare 1000. florenos Bertrando: cognato suo, casu, quo Leo vellet fieri hæres beneficiarius. Leo post mortem Chrysanthi utitur beneficio inventarii. Teneturne in conscientia legatum solvere Bertrando?

℞. Chrysanthus non potuit obligare Leonem, ut hæreditatem pure ac simpliciter acceptaret; cum id adversetur dispositioni legu mcuilibet hæredi permittentium beneficium inventarii, si ejusdem usum sibi proficuum judicet. Hinc Leo non tenetur ad solutionem 1000. florenorum Bertrando sub præfata conditione legatorum. L. *Nemo*. 55. ff. Lib. 30. Tit. 1. *Pontas*.

NOTA. Jure naturali cuivis licet renunciare favori indulto a legibus. Non ergo repugnat honestati, si testator hæredi non necessario apponat conditionem renunciandi.

CASUS XXVIII. Leidradus nobilis duos habebat filios, quorum natu major cum secutus esset mimos & histriones, aut omnino latronibus se adjunxisset, illo exhæredato pater omnia sua bona transscribit natu minori. An hic tuta conscientia omnia bona retinet, quin partem cedere debeat fratri suo?

℞. Cum in præsenti casu causa exhæredationis sit justa, non est dubium, omnia bona patris juste retineri a filio natu minore. Novella 115. c. 3. §. 4. & 10. Juxta hanc legem dantur adhuc plures aliæ justæ causæ, ex quibus liberi a parentibus possunt exhæredari: 1. Si liberi parentes suos in criminalibus causis accusaverint, quæ non sunt adversus Principem aut Rempublicam. 2. Si filius incestum commiserit cum noverca sua. 3 Si pater aut mater in carcere aut captivitate detineatur, & filius non pro posse eos liberare studuerit. 4. Si filia vitam luxuriosam honesto matrimonio a parentibus oblato prætulerit. 5. Si quis ex parentibus in amentiam delapsus fuerit, & filius aut filia ei obsequium & competentem curam non præbuerit. 6. Si filius vel filia per violentiam, aut aliis malis artibus parentes prohibuerit testamentum condere. 7. Si filius vel filia fidem catholicam deseruerit. Denique in Gallia inter exhæredationis causas habet locum etiam illa: si liberi contrahant matrimonium

nium fine confenfu parentum, tutorum aut curatorum; nifi filius jam compleverit annum ætatis trigefimum, & fi a vigefimum quintum. *Pontas.*

Nota. In Germania quoad trahfeuntes ab una Religione ad alteram in Imperio toleratam eatenus pro lege habetur reciproca confuetudo locorum particularium, tranfeuntes exhæredantium, vel non exhæredantium.

CASUS XXIX. Sylvanus filius legitimus Joannis & Mariæ, cum aquifitis ex commercio magnis divitiis præoccuparetur morte, condidit teftamentum, & exhæredavit patrem fuum; eoquod fuæ matri veneno ftruxerit mortem, vel quod fe de capitali crimine accufaverit, quamvis illud non attingat Principem aut Rempublicam. Potuitne ex his rationibus abfque peccato exhæredare patrem fuum?

℟. Jufte ex his rationibus potuit exhæredare patrem fuum, aut quemvis alium confanguineum. Novell. 115. c. 4. §. 5. Obfervandum tamen, quod exhæredationis caufa in teftamento non tantum allegari, fed & fufficienter probari debeat. *Pontas.*

CASUS XXX. Mucius in teftamento conftituit, ut domus fua vendatur, pretiumque exinde redactum erogetur in eleemofynas, aliasque pias caufas. Executor teftamenti autem videt, eas effe circumftantias temporis, ut domus non poffit vendi, nifi dimidio minoris, ac valeret. Poteftne differre venditionem domus in tempus favorabilius pro majori fublevamine pauperum?

℟. Non poteft abfque peccato per notabile tempus differre hanc venditionem; quia ex hac dilatione fequeretur retardatio remedii, quo forte defunctus maximopere indiget. S. Thomas quodlibet. 6. art. 14. in argum. *Sed contra Pontas.*

CASUS XXXI. Nicolaus depofitarius teftamenti, quod Publius civis Parifienfis condidit, illud aperuit, ac reperit, fe effe nominatum executorem, atque in eo contineri legatum 1500. florenorum pro Paulino. Hoc ergo legatum Nicolaus ex generofitate animi ftatim Paulino folvit; fed hæres Publii recufat folutionis hujus inire rationem, eoquod Paulinus a Parlamento Burdigalenfi ante annum ratione duelli ad mortem fuerit condemnatus, ficque factus fit legati incapax. An jure id hæres recufat, non obftante, quod Nicolaus bona fide egerit?

℟. Jure recufat; quia, dum Nicolaus folvit legatum, nondum obtinuerat poffeffionem bonorum defuncti teftatoris, legatumque folvere non poterat, nifi confecto prius inventario juxta confuetudinem Parifienfem, & debite vocatis ad id hæ-

hæredibus. Ad hæc insinuari prius debuisset hæredibus, quinam scripti sint legatarii. Hæc responsio sequentibus innititur rationibus. 1. Absolute necessarium est, ut legatarii sint de jure habiles ad recipiendum legatum. 2. Potest contingere, quod plus fuerit legatum, quam jure permissum sit. 3. Potest tanta esse legatorum quantitas, ut necessario reductio fieri debeat, ne tota absorbeatur hæreditas. 4. Denique hæres potest habere graves rationes impugnandi valorem testamenti. *Pontas.*

CASUS XXXII. Æmilianus presbyter aut Religiosus ex Ordine quodam reformato a Mævio suo cognato fuit nominatus in executorem sui testamenti. Potestne absque peccato acceptare hoc officium, & tam valide quam licite exequi testamentum?

℟. Si Æmilianus est presbyter sæcularis, potest esse executor testamenti juxta Cap. *Tua nobis*, 17. Lib. 3. Tit. 26. Idem potest, si Æmilianus est ejusmodi Ordinis, cujus constitutiones id non prohibent. Clement. *Religiosis*. unic. Lib. 3. Tit. 6. Requiritur tamen ad id insuper licentia a Superiore. De cætero hac in re ubique servanda est locorum consuetudo. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Maritus & uxor mutuum condiderunt testamentum; sed uxor mortuo marito ejusdem testamentum supprimit.

℟. Mutare quidem aut revocare uxor potest proprium suum testamentum, cum, quamdiu in vivis est, non sit ultima voluntas; nequaquam autem tuta conscientia supprimere potest testamentum defuncti mariti absque injustitia atque infidelitate erga ipsum, qui non alia intentione ultimam voluntatem suam uxori concredidit, nisi ut post mortem executioni mandetur. *De Lamet.*

CASUS XXXIV. Cajus in testamento hæredem instituit matronam quamdam ea conditione, ut ipsa hæreditatem assignet uni ex prolibus testatoris, quam ipsa pro suo arbitrio determinare vellet. Cum jam quædam ex filiabus Caij nuptura esset, rogatur matrona, ut huic hæreditatem assignet, quod & factum est. Comperit autem postea, testatoris filium, licet ipse ob crimen condemnatus hæreditatis esset incapax, reliquisse filiam valde pauperem. Quæritur jam, an non hoc intellecto, quod prius nesciverat, assignationem hæreditatis revocare, & partem nepti testatoris tradere possit.

℟. Assignatio hæreditatis a matrona filiæ nupturæ facta justa est ac legitima, nec amplius revocari potest. Hortari

ta-

tamen potest filiam testatoris, ut saltem partem cedat filiæ fratris sui valde indigenti. *De Lamet.*

CASUS XXXV. Titius in confectione testamenti sui prætermisit aliquam solemnitatem a lege vel consuetudine requisitam.

℟. Testamentum hoc est nullum; rigor tamen iste non semper concernit etiam pia legata, maxime si non sint notabilia. Omne testamentum quoad substantiam suam vitiosum est nullum; & hæredes non tenentur ad solutionem piorum legatorum in eo contentorum, si testator ea assignavit in fundis ad se non pertinentibus Nihilominus respectus ac gratitudo debita defuncto, cujus voluntatem hæres novit, videtur eum obligare ad explenda ejusmodi legata, si non sunt notabilia. *Fromageau.*

CASUS XXXVI. Petrus ante mortem hæredem suum obligat in testamento, ut singulis annis 50. florenos impendat in dotationem cujusdam puellæ orphanæ. Potestne hæres iste hanc summam dare puellæ habenti quidem patrem, ex quo tamen nec minimum subsidii exspectare potest?

℟. Potest hæres dotare ejusmodi puellam: licet enim ea non sit orphana, sumendo hunc terminum rigorose; quia tamen omni assistentia a patre suo privata existit, non minus, ac vera orphana, concludendum est, hanc puellam omni subsidio paterno destitutam recipere posse dotem a testatore assignatam veræ orphanæ. Nihilominus si simul pro dote sollicitaret orphana vere talis, ea præferenda foret, saltem nisi altera majori paupertate premeretur. C. B.

CASUS XXXVII. Sylvius ante mortem notabile legatum assignavit uxori suæ, ea tamen conditione, ut maneat in statu viduitatis. Debeturne ipsi hoc legatum, si ingrediatur Religionem?

℟. Debetur ipsi; quia sic leges volunt, ne quis desiderio possidendi legatum retrahatur ab amplectendo statu perfectiore. Accedit, quod adhuc verum sit, eam perseverare in statu viduitatis, dum Religionem ingreditur. Immo etsi fors ea testatoris intentio aut cogitatio non fuerit, ea tamen potest ac debet præsumi, quotiescumque alia intentio legibus adversatur, ut in præsente casu. C. B.

Vide *Legatum*.

TESTIS.

1 *Testis* dicitur ille, qui testatur de eo, quod aut vidit aut audivit, sicque accusatum vel ab accusatione liberat, vel magis implicat.

2. Testes alii sunt irreprehensibiles, contra quorum testimonium excipi non potest; alii reprehensibiles, quibus scilicet objici potest crimen inducens infamiam, vel alius defectus, ex quo testimonium eorum repudiari potest; sive ejusmodi defectus sit talis ex natura rei, ut est privatio rationis; sive ex dispositione juris, ut si probaretur, testem jam semel in judicio falsum deposuisse, aut pecunia vel alia ratione corruptum fuisse.

3. Causæ criminales auditione, iterata interrogatione, & confrontatione testium instruuntur. Si accusatus ante iteratam interrogationem testem admisit, eum repudiare amplius non potest, id est, quando post confrontationem in sua depositione persistit, nec ei objici potest variatio essentialis in depositione ac confrontatione.

4. Falsum testimonium plectitur morte, si ab eo innocentis vita dependeat; in aliis vero casibus, maxime in causis civilibus pœna infligitur mitior.

5. Consanguinei ad quartum usque gradum non admittuntur ut testes pro suis consanguineis, vel contra eos, in causis civilibus, idque in utroque foro, ecclesiastico & civili; excepto tamen casu, quo de ætate vel propinquitate agitur circa causas matrimoniales, aut Ordines recipiendos.

6. Testis, qui non fuit citatus, & juramentum non deposuit, in judicio nunquam admittendus est, nisi forte sit actu præsens in judicio, & a judice compelleretur ad deponendum testimonium circa aliquod factum; quo in casu testimonium ipsius nequaquam suspectum esse debet.

7. Judex non potest condemnare accusatum ex simplici depositione unius testis: duo autem testes oculati, non suspecti, plenam probationem faciunt.

CASUS I. Florianus assassinio interfecit Rollandum, & hujus notitiam habent ipsius frater, soror, & confessarius, cui id ex confessione Floriani innotuit: hi tres in judicium vocati sunt, ut suum quilibet deponat testimonium. An ad hoc tenentur in conscientia?

℞. Nec frater nec soror ad id tenentur, nisi agatur de casu extraordinario & privilegiato, aut lex localis ita disponat. *Lege Julia publicorum judiciorum cavetur*, ait Canon *Si testes*. 3. §. 4. q. 2. & 3. *ne invito denuncietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrinove natum, eosve, qui priore gradu sint.* Multo minus testimonium ferre licet confessario, qui criminis notitiam solum ex confessione habet. *De illis, quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem,* inquit S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. *nullo modo debet testimonium ferre; quia*

quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister; & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Pontas.

CASUS II. Babylas secreto occidit quemdam pauperem hominem; cumque contra illum jam semiplena habeatur probatio, Tullium Advocatum consuluit de mediis vitam suam tuendi: brevi post Tullius vocatur in judicium ad testificandum contra Babylam. An tenetur agere testem.

℟. Cum non agatur de damno publico, aut de damno personæ privatæ aut evitando aut reparando, Tullius non tenetur agere testem. *Pontas.*

CASUS III. Ermelius accusatus de peculatu Paulum rogavit, ne contra se testem agat, quod & Paulus addito juramento promisit: Paulus vero paulo post citatur a judice ad deponendum testimonium. An non obstante juramento tenetur testem agere?

℟. Juramentum Pauli temerarium, injustum ac illicitum est, nec absque novo peccato illud adimplere potest; cum judex habeat jus exigendi ab eo declarationem veritatis, prout & Paulus non obstante juramento in conscientia eam declarare tenetur. Ita Alexander III Cap. *Intimavit* 18. Lib.2. Tit. 20. Ratio hujus responsionis est 1. Quia obligatio testificandi fundatur in jure publico, cui derogare aut renunciare persona privata non potest, quocumque demum interposito juramento. 2. Quia adversatur bonis moribus inducere quemquam ad celandam veritatem, quam nosse boni publici plurimum interest, ne plura crimina maneant impunita. *Pontas.*

CASUS IV. Augustus communiter pro viro probo habitus commisit crimen occultum, nulli hominum nisi Jacobo vicino suo notum. Paulus juratus Augusti adversarius & judex criminalis inimicum suum perditurus aut saltem infamaturus procedit contra illum per viam inquisitionis, quatuorque vicinos illius vocat in judicium, ut testes agant contra Augustum. Tres eorum declararunt, se nullam habere notitiam de authore criminis, & quidem nec minimam contra Augustum suspicionem. Interrogatus jam Jacobus teneturne coram Deo judici manifestare veritatem rei?

℟. Non tenetur: nemo enim tenetur deponere testimonium contra accusatum, nisi quando judex procedit secundum formam in jure requisitam, id est, nisi præcedat evidentia, vel saltem violenta præsumptio facti, de quo quis interrogatur; aut nisi accusatus jam prius fuerit infamatus de crimine, quorum neutrum in præsenti casu intervenit. Id clare colligitur ex Cap. *Inquisitionis*, 21. §.1. Lib.5. Tit.1.

Excipiendus tamen est casus, quo agitur vel de reparatione gravis damni ab accusato cuiquam illati, vel de periculo inferendi bono publico, aut etiam personæ privatæ; ut explicat D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. C. *Pontas*.

CASUS V. Thomas vocatus est in judicium, ut testetur contra Henricum de crimine quodam, quod hic illi ut amico sub secreto aperuit. An interrogatus tuta conscientia potest reticere veritatem, quam solum sub secreto noverat?

℟. Si crimen Henrici nec vergit in præjudicium totius Status, nec cujusdam privati, aut si vergat, crimen jam actu perpetratum est ab Henrico, & solum agitur de pœna ipsi infligenda, Thomas in conscientia non tenetur prodere, quod tantum scit sub fide secreti naturalis. Idem dicendum, si agitur de crimine primum committendo, ex quo tamen nec reipublicæ nec cuiquam privato notabile damnum timendum foret. Ita docet D. Thomas 2. 2. q 70 art. 1. ad 2. Quod etiam extendi potest ad ea, quæ quis sub fide secreti commisit advocato, procuratori, medico, chirurgo, obstetrici &c. *Pontas*.

CASUS VI. Si vero in posito casu Thomas a judice ad respondendum adigeretur sub comminatione carceris, aut alterius gravis pœnæ, quam declinare non posset nisi manifestando secretum: an tenetur dicere veritatem non obstante obligatione secreti? An non potest uti restrictione mentali?

℟. Absque peccato, immo perjurio Thomas non potest uti ulla æquivocatione aut restrictione mentali: testis enim judicialiter & in forma judicii ordinaria interrogatus deponit juramentum de dicenda veritate; non potest ergo respondere contra mentem & conscientiam suam, nec in alio sensu, quam quo interrogatur. Ita S. Isidorus Can. *Quacunque*. 9. 22. q. 5. Thomas igitur debet adhibere omnia, quæcumque prudentia christiana suggerit, vel declinando jurisdictionem judicis sub aliquo prætextu, vel discedendo e loco, vel dicendo, nil sibi esse quod respondeat. Si hæc omnia nihil proficiant, & videat sibi testimonium recusanti imminere periculum gravis mali, juxta Cabassutium L. 4. c. 5. n. 1. simpliciter dicenda veritas non obstante secreto, ad quod servandum sese obligasse non censetur, nisi sub tacita conditione, si id sine gravi damno proprio fieri possit. *Pontas*.

NOTA. Quando judex, hostis, latro &c. scit, vel saltem scire tenetur, se injuste a quopiam extorquere juramentum, eo ipso etiam scit, vel scire tenetur, interrogatum non obligari ad dicendam sincere veritatem. Itaque sive interrogatus expresse protesteiur, se usu-

usurum æquivocatione vel restrictione mentali, sive protestetur tacite per ipsum evidentiam juris naturalis, non peccabit sic æquivoce aut cum restrictione jurans, utpote id sciente judice, hoste vel latrone. Quando autem judex juste ac legitime defert cuiquam juramentum, nunquam juranti licet uti æquivocatione aut restrictione.

CASUS VII. Henricus testis oculatus est, quod Hieronymus occiderit Guntherum, sicque familiæ occisi grave damnum intulerit. Teneturne Henricus judicialiter in testem vocatus deponere contra Hieronymum, posito etiam, quod ad tuendam propriam vitam servato moderamine inculpatæ tutelæ Guntherum occiderit? An ad idem teneretur, si solus esset testis furti a Joanne commissi titulo justæ compensationis?

℟. Nec contra Hieronymum nec contra Joannem Henricus testimonium deponere in conscientia tenetur; cum neuter pœnam capitis incurrerit, aut mortaliter peccaverit. Ita docet Navarrus Manual. c. 25. n. 46 & Caballutius Lib. 4. c. 5. n. 2. ait: *Non tenetur aliquis testificari, etiam requisitus, citatus, & sub pœna excommunicationis obtestatus, qui scit rem, de qua inquiritur, factam fuisse sine culpa saltem mortali, ut si, qui furti accusatur, rem subripuerit titulo justæ compensationis; aut homicidium, de quo inquiritur, fuisse factum cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Pontas.

CASUS VIII. Henricus & frater ipsius a judice, ut testes agant, vocati, & juramentum deponere jussi dicendæ veritatis in causa homicidii ab Andrea perpetrati, simpliciter testantur, Augustum ab Andrea fuisse occisum, non addendo, quod Augustus fuerit aggressor, & Andreas eum occiderit propriam vitam tuendi necessitate compulsus. An mortaliter peccarunt testes isti? An & perjurium commiserunt reticendo circumstantiam aggressionis? Tenenturne etiam reparare integrum damnum a se illatum?

℟. Rei sunt peccati mortalis & perjurii: intentio enim judicis erat comperiendi veritatem vel in gravamen vel in levamen accusati. Cum ergo veritatem reticuerin, & ex reticentia gravissimum damnum emerserit, illud in conscientia reparare tenentur. *Pontas.*

CASUS IX. Marculfus accusat Lucium, quod Paulum occiderit, & producit duos testes idem asserentes. Ast alii duo testes æque irreprehensibiles testantur, Lucium esse innocentem, & Paulum fuisse occisum a Stephano. An judex ob æqualitatem testimoniorum Lucium tuta conscientia ab accusatione absolvere ac liberum dimittere potest?

℟. Juxta S.Thomam 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. judex pronunciare debet in favorem accusati. *Pontas.*

CASUS X. Felix judicialiter accusavit Siranum de homicidio, & duos in rem hanc testes exhibet, qui circa ipsum homicidium quidem conveniunt, non concordant autem circa notabiles circumstantias: unus enim testium asserit, homicidium fuisse perpetratum die Lunæ, alter ait, id commissum fuisse die Martis. Vel unus affirmat, homicidium contigisse in ipsa domo, alter extra domum in platea. Quid agendum judici?

℟. Judex tuta conscientia non potest condemnare Siranum: depositiones enim testium variantes circa primarias circumstantias non sufficiunt ad condemnationem rei. *Discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2 ad 2. *aufert efficaciam testimonii; quia si discordant in talibus, videntur singulares esse in suis testimoniis, & de diversis factis loqui: puta si unus dicat, hoc factum esse tali tempore vel loco; alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui. Pontas.*

CASUS XI. Laurentius Jacobum & Joannem ut testes producit contra Lucium, quem accusavit, quod occiderit Albertum; ast dicti duo testes discordant in quibusdam circumstantiis non quidem ad substantiam facti pertinentibus, aliquam tamen relationem ad illud habentibus. An judex condemnare potest Lucium ad pœnam capitalem?

℟. Potest ac debet condemnare reum: circumstantiæ enim ipsam rei substantiam non immutant & non solent ordinarie magnam impressionem facere in animis eorum, quorum omnis attentio fertur in ipsam substantiam actionis, de qua testantur. Addit tamen S.Thomas 2. 2 q. 70. art. 2. ad 2. *Quod tamen prudentiæ judicis relinquitur discernendum. Pontas.*

CASUS XII. Si in priori casu Jacobus & Joannes quidem testentur, Albertum occisum esse a Lucio; unus eorum autem dicat, se non amplius recordari diei & loci in quo occisus sit, & alter diem & locum assignet; an judex condemnare poterit accusatum?

℟. Juxta S. Thomam l. c. potest condemnare: non enim in testimonio eorum reperitur contrarietas; nec testimonium unius enervatur per testimonium alterius. *Pontas.*

CASUS XIII. Petrus & Paulus ob multa mendacia, & pravas actiones, de quibus judicialiter jam reprehensi sunt, infames, testes agunt contra Joannem de homicidio accusatum. An judex accusatum ob tale testimonium condemnare potest observato justitiæ rigore?

℟. Jux-

℟. Juxta regulam generalem juris testes debent esse irreprehensibiles; hinc si aliæ probationes contra Joannem non adsint, nisi testimonium horum testium, contra eos excipere potest Joannes, & rationes suas illos repudiandi viva voce, & non scripto, proferre. Judex igitur tuta conscientia non potest Joannem condemnare ad pœnam capitalem. Excipiendus tamen est casus, in quo agitur de crimine læsæ Majestatis. *Pontas.*

NOTA. Quamvis testes infames circa crimen læsæ majestatis *adminiculative* admitti possint, pro commotivo tamen, determinativo intellectus ad ferendum judicium moraliter certum, testimonium eorum admitti nequit.

CASUS XIV. Theologus, & Canonista agitant inter se hanc quæstionem: an detur casus, in quo ad faciendam fidem unicus sufficiat testis; Theologus tenet negativam, Canonista vero affirmativam.

℟. Si agatur de re ad forum contentiosum jam deducta, Theologus bene tenet negativam: judicialiter enim sententia ferri non potest ad unius hominis testimonium; cum ipse Christus dicat Matth. 18. v. 16. *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Si vero agatur de casibus extrajudicialibus, certum est plures dari, in quibus testis unicus fidem facit: v. g. 1. Quando res in nullius vergit præjudicium, ut si sciendum, an quis sit baptizatus, an ecclesia consecrata, an infirmus petierit confessarium, antequam ratione aut usu linguæ privaretur &c. 2. Quando duo litigantes aut dubitantes de re quadam compromittunt in testimonium tertii. 3. Quando agitur de correctione fraterna. *Pontas.*

NOTA. Cum testimonium unius hominis omni exceptione majoris de proprio visu & auditu aliquoties moralem certitudinem pariat, ad prudentiam Legislatorum pertinet, an & ad quales pœnas taliter convicti ordinandi sint?

CASUS XV. Albertus omnibus suis vicinis infensus Vinebaldum tam verbis quam verberibus male excepit; hinc a Vinebaldo apud judicem accusatus est, & duo suorum vicinorum, ad testificandum non vocati, ultro contra ipsum deponunt. An Albertus ob eorum testimonium ad aliquam pœnam condemnari potest?

℟. Depositio horum testium est nulla, & judex ob horum testimonium non potest Albertum ad ullam pœnam condemnare. *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.* Ita Theo-

dosius & Valentinianus Imperatores Leg. *Non dubium.* 5. Cod. Cod. Lib. 1. Tit. 14. *Pontas.*

CASUS XVI. Aristides falsum testimonium deposuit contra Justinum, quod nempe Ludovicum occiderit, & accedentibus etiam aliis violentis præsumptionibus Justinus, qui tamen revera innocens erat, condemnatus est ad mortem. An Aristides in conscientia tenetur revocare suum testimonium, etiamsi prævideat, se pœna talionis afficiendum?

℟. Certe tenetur revocare: nam in æquali periculo potior est innocentis conditio, quam illius, *qui sua malitia immeritum hominem in id periculum adegit*, ut ait Cabassutius L. 4. c. 5. n. 6. *Pontas.*

CASUS XVII. Jodocus vocatus in judicium deposuit falsum testimonium in re, quam certo sciebat nullius esse momenti. An peccavit mortaliter?

℟. Omne perjurium a teste coram judice commissum est peccatum mortale; hinc Jodocus deposito falso testimonio peccavit mortaliter, cum juramentum emiserit dicendæ veritatis. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 4. C. *Pontas.*

CASUS XVIII. Robertus & Antonius citati in judicium ad deponendum testimonium contra Petrum de homicidio accusatum, accincti jam ad iter in exteras regiones suscipiendum, coram Notario declararunt, se oculatos esse testes commissi a Petro homicidii; & hanc suam declarationem scriptam, ac sigillo obsignatam transmiserunt judici. An judex ex his declarationibus condemnare Petrum potest?

℟. Tuta conscientia non potest condemnare Petrum: omnis enim declaratio non facta judicialiter coram judice, qui ipsos testes interrogare debet, nulla est. Leg. *Jurisjurandi*. 9. Cod. Lib. 4. Tit. In ejusmodi igitur casu judex debet se ipsum conferre in locum testium, si fieri possit, vel rem committere alteri juxta leges scilicet, consuetudinem & acceptum usum suæ provinciæ. *Pontas.*

Nota. Pertinet ad declarationem supremi provinciæ Legislatoris, an pro tali casu ejusmodi declarationem velit æquiparari testimonio vocali.

CASUS XIX. Ambrosius debet centum florenos Desiderio; cum autem hic non obtinuisset syngrapham debiti ab Ambrosio, probat debitum per testes, per sponsum scilicet filiæ suæ, per duos propinquos quamvis remotioris lineæ, & per quemdam domesticorum suorum. An ex horum testimonio Ambrosius condemnari potest ad solutionem?

℟. Spon-

℞. Sponfus filiæ utpote affinitate junctus cum creditore non eft teftis idoneus; nec propinqui ad teftimonium admittuntur nifi intra gradus a lege vel confuetudine permiffos. Denique regulariter loquendo etiam teftimonium famuli domeftici rejicitur. Excipiendus tamen eft cafus, quo agitur de crimine læfæ majeftatis vel quovis alio vergente in damnum boni publici. Obfervandum infuper, etiam famulum domefticum in teftem pro domino fuo recipi, 1. Quando agitur de facto domeftico, ubi alii teftes facile haberi non poffunt. 2. Quando factum contigit de nocte in domo, ut adulterium, homicidium, furtum & fimilia. *Pontas.*

Nota. Circa caufas levioris momenti plus a Judice tribuendum præfumptioni individuali pro veracitate perfonali teftis, quam præfumptioni generali ex qualitate domeftici vel fponfi.

CASUS XX. Mogerius incola cujusdam parochiæ contendit cum Lupercio fuo parocho de poffeffione cujusdam filvæ, quam Mogerius actu poffidet. Judex ad dirimendam litem juffit produci teftes, qui de tempore poffeffionis fua deponant teftimonia. Quatuor teftes afferunt, Mogerium filvam jam a triginta annis poffidere; fex alii teftes vero affirmant, eum dictam filvam per annos plusquam quadraginta poffidere. An ob iftam contrarietatem judex non poteft fententiam ferre in favorem Mogerii?

℞. Juxta S. Antoninum 3 Parte Tit. 9. c. 2. §. 2. Judex, fi poterit, debet concordare teftimoniorum contrarietatem, & fi hoc non eft poffibile, debet ferre fententiam juxta teftimonium plurium idem teftantium, nifi ex altera parte obftet fingularis perfonarum qualitas, vel eorum teftimonium videatur evidenter probabilius ob aliquas circumftantias. *Ad multitudinem tantum refpicere non oportet*, inquit Innocentius III. Cap *In noftra.* 32 Lib 2. Tit. 20. *fed ad teftium qualitatem, & ad ipforum depofita, quibus potius lex veritatis affiftit. Pontas.*

CASUS XXI. Hierophilus parochus diœcefeos Tornacenfis folemnizavit matrimonium præfentibus duobus duntaxat teftibus; cum tamen in Gallia vi conftitutionis regiæ de anno 1697. ad valorem matrimonii requiratur præfentia quatuor teftium. Objiciebatur dicto parocho, quod peccarit mortaliter; ipfe autem defendebat, fe ne quidem venialiter peccaffe. Quid fentiendum?

℞. Conftitutio regia vel Principis in regno aut provincia habet rationem veræ legis, cui parochus fe conformare debet. Quamvis igitur matrimonium hoc in præfentia parochi & duorum teftium juxta præfcriptam a Concilio Tridentino

tino formam contractum fit validum, Hierophilus tamen peccavit mortaliter; quia violavit legem a Principe latam, de se justam, promulgatam, ac sine oppositione receptam. *Pontas.*
Vide *Impedimentum Clandestinitatis.* Cas. 25. & 26.

THESAURIS.

1. *Thesaurus* in genere significat quamcumque rem pretiosam, sacram vel profanam; sic thesaurus dicuntur Sacræ Reliquiæ, vel copia auri aut argenti. Dicuntur etiam *Thesaurus Ecclesiæ* merita corporis mystici, cujus caput Christus est, & Sancti membra. Denique thesaurus proprie dicitur, prout & hic sumitur, antiqua depositio auri, argenti, aliarumve rerum pretiosarum in aliquo loco reconditarum, & noviter detectarum, quin sciatur, ad quem pertineant.

2. Non potest dici, si modo Christiano loqui velimus, inventionem thesauri forti, casui, ac cææ fortunæ adscribendam esse: inventio enim ejusmodi est potius referenda ad aliquam superiorem intelligentiam omnia provide disponentem, ac ordinem rerum ac causarum sapienter dirigentem.

CASUS I. Gualterius emphiteuta in fundo pertinente ad Gabrielem parochum loci, sibique ab eodem locato reperit 200. aureos, quorum aliqui primum ante duos vel tres annos cusi fuerant. Quæritur, num hæc summa inventa habenda sit instar thesauri, ita, ut Gualterio, parocho & ecclesiæ, ac fisco Principis sua cuilibet pars debeatur.

℟. Thesaurus proprie dictus non pertinet ad eum, in cujus fundo reperitur; cum non sit verus possessor: *is enim,* dicitur Leg. *Possideri*, 3 §. 3. ff. Lib. 41. Tit. 2. *qui nescit, non possidet thesaurum, quamvis fundum possideat.* Non potest autem dici, inventam summam habere rationem thesauri proprie dicti; ea potius habenda est instar rei pertinentis ad quempiam privatum, qui eam hoc loco vel perdidit vel recondidit animo denuo recipiendi aut recuperandi eam. *Thesaurus*, ait Lex *Nunquam* 31. ibid. *Est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.... Alioquin si quis aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ condiderit sub terra, non est thesaurus.* Ex quo sequitur, verum hujus pecuniæ dominum adhuc habere animum recuperandi rem suam, & Gualterium teneri ad restitutionem, quamprimum detectus fuerit dominus rei. Quod si post diligentem inquisitionem verus dominus non compareat, Gualterius juxta S. Thomam 2. 2. q. 62 art. 5. ad 3. tenetur inventa erogare in pauperes aut applicare ad alias causas pias juxta intentionem veri domini. Si Gualterius ipse foret pauper ac indigens, posset de licentia & cum approbatione confessarii partem inventorum

torum aut etiam totam fummam in proprium fuum, convertere commodum. *Si ipse indigens foret, eam retinere potest*, ait S. Bernardnus Serm. 33. in Dom. 4. Quadrag. art. 1. cap. 1. De cætero notandum, quod juxta leges Romanas ille, qui reperit thefaurum in fundo alterius, partem dimidiam tenetur cedere domino fundi, fi autem reperit in fuo fundo, totum retinere poffit. In Gallia dum quis reperit thefaurum in fundo alieno, una pars tertia fpectat ad inventorem, altera ad dominum fundi, tertia ad dominum territorialem. Si vero reperit in fundo fuo, partem dimidiam fibi retinere poteft, altera relicta domino territoriali: & hæc praxis etiam locum habet pro foro interno. *Pontas.*

Nota. Infignes Theologi docent, tam inventorem rei perditæ quam repertorem thefauri, fi poft factam morali cum diligentia inquifitionem omnis evanefcat fpes detegendi verum dominum, poffe retinere inventa, quin teneatur ea expendere in caufas pias, aut partiri cum alio.

CASUS II. Sigebertus profundam conftruens foffam reperit fummam 5000. florenorum a longiffimo jam tempore ibi detentam. Poteritne tuta confcientia hanc fummam fibi retinere?

℟. Si hic thefaurus a Sigeberto inventus eft in proprio fundo, juxta confuetudinem gallicanam dimidium pertinet ad dominum territorialem; fi in alieno, tertia tantum pars pertinet ad inventorem. Ubi autem non viget ea confuetudo, in primo cafu integer thefaurus pertinet ad inventorem, in fecundo pars dimidia ad dominum fundi. *Pontas.*

Nota. Hæc procedunt pro foro externo. In foro interno inventor poteft omnia retinere folus. Vide dicta ad *Cafum* 1.

CASUS III. Domus ruinofa deftruitur, & invenitur thefaurus. Ad quem pertinet?

℟. Infiftendo præcife juri naturali, totus ifte thefaurus pertinet ad inventorem. Verum leges volunt eum æqualiter dividi inter dominum fundi & inventorem, fi confuetudo non exigat aliud. Si etiam Dominus territorialis ad thefaurum inventum habet jus, dividi debet in tres partes. *Fromageau.*

Nota. Vide dicta ad *Caf.* 1. & 2.

CASUS IV. Intra fornicem cujusdam cellæ vinariæ reperitur thefaurus. Ad quem pertinet?

℟. Jus commune vult thefaurum inventum in duas æquales partes dividi. Nihilominus quoad rem hanc infiftendum eft confuetudini locorum. *Formageau.*

Nota.

NOTA. Si inventio necdum fit publicata & delata ad judicem, vel hæredes, retineri possunt inventa, nisi probabilius, aut morali certitudine noscatur, absconsa intra spatium temporis immemorialis pertinuisse ad personam, cujus supersunt hæredes. Vide *Inventa*.

TITULUS CLERICALIS.

1. Hæc vox *Titulus* varios recipit sensus: sumitur quandoque pro Beneficio ecclesiastico, pro contractu aut alio actu contractui æquivalente, pro inscriptione alicujus operis; quandoque significat dignitatem, gradum, ac conditionem personæ &c. Denique sumitur pro *Titulo Clericali*, seu *Sacerdotali*, sub quo ordinarie intelligitur titulus patrimonii; quo in sensu & nos hic sumimus.

2 Consistit *Titulus* in redditibus cujusdam Beneficii, aut in portione quadam bonorum patrimonialium, aut aliorum bonorum temporalium juste acquisitorum. Beneficium quod habet locum *Tituli*, non potest resignari, nisi in quatuor casibus, ut ex sequentibus patebit.

3. Si *Titulus* consistat in bonis alterius speciei, in Gallia juxta edicta de eo certo & absque fraude constare debet coram judice ordinario per quatuor incolas loci. Bona, in quibus fundatur ejusmodi titulus, non possunt abalienari, nec ullis sunt obnoxia obligationibus, aut hypothecis à tempore, quo quis ad sacros Ordines fuerit promotus usque ad mortem ipsius. Episcopus, qui hac in re contra Edicta egerit, tenetur illum sustentare, quem ad Ordines absque titulo admisit, usquedum ipsi de Beneficio providerit.

CASUS I. Antonius fuit ordinatus in subdiaconum ex titulo fraudulento: amicus enim ipsi contulit titulum; ipse autem amico in scripto promisit, se titulum nunquam exacturum. An propterea incurrit aliquam pœnam canonicam?

℟. Non videtur Antonium sic recipere potuisse subdiaconatum, quin suspensionem incurrisset. Authores vix non omnes hanc tenent sententiam, & inter eos etiam Navarrus Manual. c. 27. n. 158. fundaturque hæc responsio in jure antiquo, & in Concilio Tridentino Sess. 21. de reform. c. 2. *Pontas.*

CASUS II. Anistius recepturus subdiaconatum producit titulum patrimonii, cujus annui redditus sunt 75. floreni; sed hic fundus ne quidem sufficit ad solvenda, patris defuncti debita, quæ ad minimum 2000. florenos conficiunt. An titulus iste illegitimus censendus est?

℟. Si

℟. Si bona ista patrimonialia per modum hypothecæ sunt obligata creditoribus, titulus est fraudulentus & nullus; & Anistius suspensionem incurrit, si beneficio hujus tituli ordinari se faciat. *Pontas.*

CASUS. III. Asterius ordinatus in presbyterum sub titulo patrimonii prætendit, se posse ex sua diœcesi discedere, & in alia diœcesi suscipere munus Vicarii absque licentia sui Episcopi, nec se posse cogi ad deserviendum in propria diœcesi, in qua non habet Beneficium. Justane est hæc prætensio?

℟. Prætensio Asterii non potest defendi; nec potest sine consensu sui Episcopi à sua diœcesi in aliam transire ad obeundas functiones Vicarii. *Cum nullus debeat ordinari*, inquit Concilium Tridentinum Sess. 23. de reform c. 16. *qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, sancta Synodus vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus; qui si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur.* *Pontas.*

NOTA. In Germania Clerici passim ex una diœcesi transeunt in aliam haud requisito consensu Episcopi sui.

CASUS IV. Vitalis Acolytus obtinuit Prioratum per simoniam, in qua tamen nullam habuit partem, nec ullam ejusdem notitiam, nisi post aditam jam possessionem Beneficii. An poterit ordinari sub titulo hujus Benefici, si nullum alium titulum reperiat, non obstante interveniente simonia?

℟. Verum quidem est, Vitalem non incurrisse pœnas canonicas per hanc simoniam; non tamen potest ordinari sub hoc titulo, utpote absolute nullo. Potest autem facta prius pura ac simplici renuntiatione Beneficii sibi procurare novam provisionem, & dein ordinari. *Pontas.*

CASUS V. Balthasarus possidet præstimonium, cujus annui fructus sunt 100. floreni. An servit pro titulo?

℟. Si præstimonium est perpetuum, ita ut possessori auferri non possit, rationem habet tituli, ad quem licite ordinatur Balthasarus. *Pontas.*

CASUS VI. Henicus Episcopus videt, Julianum Clericum tonsuratum, pium & doctum non habere titulum ad recipiendos sacros Ordines. Potestne ipsum nihilominus ordinare, si se obliget ad dandum ipsi in sua diœcesi aliquod officium sufficiens ad hoc, ut possit ipsi servire pro titulo?

℟. Po-

℟. Potest: sic enim statuit Concilium Mechlinense de anno 1570. c. 5. *De Ordinand.* Fagnanus insuper addit, quod, si Episcopus obligationi suæ defuerit, successor eandem adimplere teneatur. *Pontas.*

CASUS VII. Didymus Religiosus professus Ordinis S. Francisci vult ordinari in subdiaconum. Potestne Episcopus ipsum admittere sine titulo?

℟. Solus titulus Religionis sufficit, modo ille, qui petit sacros Ordines, habeat attestationem a suo Superiore, se esse Religiosum professum, & Religiosus talis ipse in præsentia Episcopi contestetur, se sponte professionem emisisse, conformiter ad constitutionem Pii V. de anno 1568. Clerus gallicanus peculiares desuper constitutiones edidit in Conventibus generalibus 1628. 1635. & 1645. vi quarum Episcopus ante admissionem Religiosi ad Ordines, obligare tenetur monasterium, ut ordinatum retineat ac servet, nec unquam dimittat, & si ille ex quocumque demum motivo discedat, ei de congrua sustentatione provideat. Quod si monasterium non habeat subsidia temporalia, spondere tenetur, se Religiosum non ejecturum absque consensu Episcopi. *Pontas.*

CASUS VIII. Benignus ordinatus ad titulum capellaniæ simplicis, cujus redditus 150. floreni, nec habens aliunde sustentationem, eandem resignat in Curia Romana suo nepoti, ut ipsi serviat in titulum; nulla tamen facta mentione in procuratione ad resignandum, quod hoc Beneficium sibimet ipsi servierit in titulum. Potuitne absque peccato sic resignare? An hæc resignatio in foro interno est nulla?

℟. Juxta Concilium Tridentinum Sess. 21. de reform. c. 2. Benignus non solum pessime egit resignando capellaniam; sed etiam resignatio est habenda pro nulla. Patitur tamen Decretum Concilii aliquam limitationem etiam in iis provinciis, in quibus viget ejus observantia: 1. Quando resignatur Beneficium cum reservatione sufficientis pensionis. 2. Quando permutatur Beneficium cum æquali vel meliori. 3. Quando resignans possidet aliud Beneficium sufficiens ad sustentationem. 4. Quando resignans habet sufficientia bona temporalia ad congruam sustentationem. Observandum autem, hoc Decretum Concilii in Gallia non observari, quantum attinet ad nullitatem talis resignationis. *Pontas.*

CASUS IX. Achiles fuit ordinatus sub titulo patrimonii consistentis in redditibus annuis 50. florenorum, quos ipsi pater assignavit in fundo quodam. Pater post septem aut octo annos vendidit hunc fundum Briando, quin ipsi diceret, in eo titulum filii sui esse constitutum. Achilles noluit huic venditioni se opponere, ne patrem offenderet. Num peccavit Achil-

Achilles permittendo alienationem tituli sui? An tuta conscientia potest compellere Briandum ad solvendam annuam pensionem 50. florenorum, immo etiam ad compensationem eorum, quæ a septem vel octo annis necdum soluta fuerunt, salvo ipsi recursu in alia bona patris?

℞. Achilles non peccavit; potestque a Briando exigere annuam solutionem 50. florenorum, & omnium residuorum, inquantum jus consuetudinarium provinciæ non fuerit contrarium. *Pontas.*

CASUS X. Polybius viduus improlis videns Josephum Acolytum valde pauperem aspirare ad sacros Ordines, ipsi confert titulum 75. florenorum redituum annuorum, & Josephus ad subdiaconatum admissus est. Verum contracto postmodum matrimonio ac suscepta prole Polybius revocat donationem. Poteftne eam revocare tuta conscientia?

℞. Verum est, superveniente insperato prole legitima donatorem posse revocare donationem factam, dum prole carebat; sed, cum status clericalis sit privilegiatus, & Ecclesia semper necessarium judicaverit, ut nemo admittatur ad illum statum absque titulo, iste titulus nullo modo alienari potest. Hinc Polybius non potest revocare donationem factam Josepho, nec illi propterea actionem intentare. *Pontas.*

CASUS XI. Ursinus homo plebejus degens in provincia, in qua exiguntur tributa personalia, ordinatus est in presbyterum suo titulo ipsi a patre assignato in quodam fundo nobili ferente annuos reditus 50. florenorum. Exactores tributorum exigunt ab Ursino tributum ex hoc fundo nobili; id ipse recusat, eoquod in hoc fundo habeat constitutum titulum, adeoque habendus sit pro fundo ecclesiastico, saltem quamdiu viveret. An Ursinus tutus est in conscientia, si nil solvat?

℞. Si Ursinus ita est dispositus, ut velit solvere tributum, si exigatur, & certum fuerit, deberi tributum ex hoc fundo, tutus est in conscientia, etsi prima vice solutioni sese opposuerit. *Pontas.*

TONSURA.

1. Corona seu *Tonsura* est symbolum potestatis regiæ spiritualis, quam consequuntur Clerici in ordine ad regimen aliorum fidelium. Primam suam originem tonsura repetit a Nazaræis, fuitque instituta jam a tempore Apostolorum.

2. Per tonsuram quis fit Clericus; & quamvis non habeat rationem Ordinis, sed simplicis duntaxat cæremoniæ ab

Eccle-

Ecclesia institutæ, est tamen dispositio, ac quasi janua ad Ordines. Nullum potest clericale ministerium exerceri, nullumque Beneficium possideri, nisi recepta prius tonsura. Nunquam admittitur Clericus ad petendum Beneficium, aut de eo litigandum, nisi prius in originali produxerit literas testimoniales de recepta tonsura.

3. Juxta jus antiquum annus ætatis septimus sufficiens censebatur, ut quis prima tonsura posset initiari; sed moderno tempore communiter ætas provectior requiritur. Cæterum ut quis possit tonsura clericali initiari, necesse est, ut sciat legere, scribere, ac principales articulos fidei nostræ, & ut sit confirmatus. Concilium Rothomagense de anno 1582. requirit insuper, ut tonsurandus sit ex legitimo thoro natus. Proprius solum Episcopus potest diœcesano suo tonsuram conferre; & si quis eam consecutus fuisset ab alieno Episcopo, tenetur sibi Roma literas procurare, quæ dicuntur *perinde valere*. Iteratio denique tonsuræ non inducit irregularitatem.

CASUS I. Quericus subdiaconus & Canonicus nunquam defert coronam clericalem, ac insuper gerit longiorem comam. An peccat mortaliter?

℟. Sacri Canones obligant omnes in Ordinibus sacris constitutos ad deferendam coronam clericalem, & breviorem comam. Hinc dici potest, transgressores horum Canonum peccare mortaliter, si eorum inobedientia per notabile tempus duret. *Pontas.*

CASUS II. Mævius habens solam tonsuram sine ullo Beneficio quærit, an teneatur recitare divinum Officium, aut illi interdum assistere?

℟. Ecclesia non obligat Clericos solum tonsuratos ad recitationem Breviarii, nec ad alias preces particulares, si nec Beneficium, nec pensionem clericalem habeant; certum tamen est, quod teneantur assistere Officiis ecclesiæ publicis, saltem diebus Dominicis & Festis. *Pontas.*

CASUS III. Theophanes cum afficeretur erga aliquem Prioratum sibi valde commodum, ut illum obtineat, recipit tonsuram absque ullo animo recipiendi Ordines. An commisit peccatum grave?

℟. Quamvis non detur absoluta obligatio suscepta semel tonsura permanendi in statu clericali; peccat tamen graviter suscipiens tonsuram absque animo permanendi in statu clericali. Hinc Theophanes egit contra mentem Ecclesiæ, & tuta conscientia non potest retinere hunc Prioratum. *Pontas.*

CASUS IV. Mathurinus post secundas jam nuptias denuo in statum viduitatis redactus recipit tonsuram, quin declararit

rit irregularitatem ex bigamia contractam, animo tamen petendi dispensationem, antequam Ordines minores & Subdiaconatum recepturus esset. Potuitne sic recipere tonsuram, quin violarit leges Ecclesiæ?

℟. Supposito quod tonsura non sit numeranda inter Ordines, licet gravissimi Authores contrarium defendant, Mathurinus in præsenti casu non egit contra leges Ecclesiæ, etiamsi irregularis fuerit: irregularitas enim tantum importat inhabilitatem ad recipiendos & exercendos Ordines. Nihilominus pessime egit Mathurinus, dum de bigamia non monuit Episcopum, qui certe tonsuram ipsi non contulisset sine prævia dispensatione. *Pontas.*

CASUS V. Softhenes Patronus cujusdam Capellaniæ simplicis in diœcesi Ebroicensi, eandem obtulit Gerardo ex diœcesi Bajocensi oriundo, per decem jam annos commoranti in diœcesi Lexoviensi. A quonam horum trium Episcoporum Gerardus accipere debet tonsuram?

℟. Distinctio trium Episcoporum, scilicet originis, Beneficii, & domicilii solum respicit Ordines, & non tonsuram, de qua jus mentionem non facit. Hinc Gerardus non potest tonsuram accipere nisi ab Episcopo originis, nempe Bajocensi, cum adhuc considerandus sit tanquam simplex laicus, quoad hoc tantum Episcopo originis subjectus. *Pontas.*

CASUS VI. Raymundus natus in diœcesi Trecoriensi, ibique in casu necessitatis sine cæremoniis baptizatus a parocho, postea translatus est in diœcesin Venetiensem, ubi suppletæ fuerunt cæremoniæ Baptismi, ipsique nomen Raymundi inditum. Post duodecim aut quindecim annos acceptis ab Episcopo Venetiensi literis dimissorialibus tonsuram accepit ab Episcopo Rhedonensi. Jam, cum & Ordines suscipere cogitet, quærit, an literas dimissoriales debeat petere ab Episcopo Venetiensi, in cujus diœcesi fuerunt suppletæ cæremoniæ Baptismi, & ipsi nomen inditum; vel an teneatur recurrere ad Episcopum Trecoriensem, in cujus diœcesi natus est.

℟. Dantur duæ diversæ sententiæ quoad Episcopum originis: aliqui putant, illum esse Episcopum originis, in cujus diœcesi quis natus est, etiamsi ibi non sit baptizatus; alii autem Episcopum originis esse censent, in cujus diœcesi quis baptizatus est, licet ibi natus non sit. Episcopus autem, in cujus diœcesi solum suppletæ sunt cæremoniæ Baptismi, & impositum nomen, non potest censeri proprius esse Episcopus; nec ullus Authorum id asserit. Hinc Raymundus non potuit tonsurari ab Episcopo Venetiensi. Nihilominus, cum tonsura non sit Ordo, nolumus asserere, eam ab alieno Episcopo collatam esse absolute nullam. *Pontas.*

CASUS VII. Clericus quidam habet pensionem ex quodam Beneficio; & tamen nec tonsuram defert, nec habitum clericalem.

℟. Tuta conscientia non potest frui hac pensione; & Episcopus habet jus eum per censuras compellendi, ut vivat clericaliter, aut renunciet suæ pensioni *Fromageau.*

CASUS VIII. In quadam diœcesi viget statutum, vi cujus nemo est admittendus ad tonsuram ante annum ætatis decimum quartum. Potestne Episcopus interdum agere contra hoc statutum?

℟. Absque causa legitima non potest illud transgredi. Nec spes, quam habet adolescens novem annorum ad aliquod Beneficium sibi oblatum, est sufficiens ratio, ut Episcopus contra hoc statutum ipsi conferre possit tonsuram. *Fromageau.*

Vide *Beneficium. Clericus.* Ordo Cas. 18. & 19.

TRANSACTIO.

1. *Transactio* juxta Polmanum est *Conventio onerosa, qua res dubia & incerta componitur inter partes.* Transactio nunquam dirimit dissidii articulum, de quo transigentes non cogitarunt, sed illud solum, de quo inter partes expressis verbis conventum est, aut quod ex eo necessario consequitur.

2. Quando lis est cum duobus de eadem re, potest transigi cum alterutro, quin conventiones cum eo initæ possint prodesse alteri, quocum transactum non fuit.

3. Omnis transactio habet vim rei judicatæ, & rationem judicii eo firmioris, quo contrahentes ultronee & majori cum libertate consenserunt. Licitum est, imo consuetum in transactione convenire de pœna in eum, qui exequi noluerit transactionem; eamque pœnam alter a transgrediente potest exigere.

4. Quævis transactio evadit nulla per fraudem, quæ ei dat causam. Jus aquisitum per testamentum semper subsistit, non obstante quavis transactione contraria cum hærede inita, quando hoc jus latebat tempore transactionis, & dein patuit per testamentum hactenus ignoratum. Aliud dicendum foret de transactione generali inita de omnibus prætensionibus ac juribus mutuis partium, & una pars contrahentium postmodum detegeret novum titulum sibi favorabilem.

5. Contrahenti alleganti, se fuisse læsum per transactionem, non datur actio in judicio; quia sic lites in infinitum multiplicarentur.

6. Trans-

6. Transactio inita litis causa, quæ ignorabatur jam esse judicata, est nulla, si lis coram supremo Principe fuerit judicata. Verum si lis tantum judicata est à Judice subalterno, transactio suum sortitur effectum: à tali enim Judice datur appellatio prioris actionis judicialis suspensiva.

CASUS I. Tiburtius & Philibertus super diversis rebus litigantes, ut omnibus processibus simul finem facerent, transactionem generalem ineunt. Tiburtius prætendit, sibi a Philiberto deberi 1200. florenos, & Philibertus sese offert ad solvendos 1000. florenos. Tiburtius acceptat oblatum, & præstita solutione omnibus suis ulterioribus prætensionibus renunciat. Verum post sex menses Philibertus reperit apocham, qua agnoscit, se tantum amplius debuisse 600. florenos. Potestne Philibertus agere ad resolutionem transactionis; eoquod læsus fuerit?

℟. Transactio ista cum fuerit generalis, & fraus non intervenerit, Philibertus non potest agere ad rescissionem illius. Pro compensatione damni respicienda est terminatio litis, quæ fuisset amb gua. *Pontas.*

CASUS II. Frobertus & Natalis integro anno jam litigant de hæreditate inter se dividenda; tandem ambo litis pertæsi transigunt; sed post transactionem audiunt, jam ante biduum latam esse sententiam in favorem Froberti. An hic poterit rescindere transactionem, utpote sibi non ita favorabilem, ac est sententia?

℟. Transactio post rem judicatam insciis partibus inita valet, si sententia non fuit lata a supremo tribunali, a quo appellari non potest. Leg. *Et post rem.* 7. ff. Lib. 2. Tit. 15. Item Leg. *post rem.* 11. ib'd. Et ex hoc principio prætensio Froberti decidenda est. *Pontas.*

CASUS III. Richardus Archidiaconus cujusdam ecclesiæ metropolitanæ, habens annexam suæ Dignitati præbendam obiit; & Mauritius ac Paulinus, unus provisus in Curia Romana, alter ab Ordinario, litigant de successione in Dignitatem ac Beneficium Richardi. Re nondum judicata transigunt, ut Mauritius recipiat Archidiaconatum, & Paulinus præbendam; uterque etiam possessionem cepit non repugnante Capitulo. An hæc transactio est legitima?

℟. Certum est, eam esse nullam ac illegitimam: non enim est in potestate privatorum dismembrare Beneficia semel unita. Imo transactio ista est etiam simoniaca, & nec Mauritius, nec Paulinus possidere potest hæc Beneficia. *Pontas.*

CASUS IV. Nereus & Andreas litigantes de dependentia cujusdam feudi nobilis, tandem amicabiliter transigunt, ita, ut Andreas desistat a suis prætensionibus, Nereus autem teneatur

tur ipsi dare duos equos cursorios. Nereus habet quidem sex hujusmodi equos, quorum duos destinaverat Andreæ; sed il omnes brevi post transactionem perierunt incendio. Teneturne emere alios duos ejusmodi equos, quos tradat Andreæ?

℞. Si Nereus non fuit in mora solvendi eo tempore, quo contigit incendium, ad nihil tenetur Andreæ. Leg *Si mihi.* 92. ff. Lib. 46. Tit. 3. Verum quia non est evidens, Nereum se tantum obligasse ad tradendos duos equos a se actu possessos; sed potius transegisse videtur sub terminis generalibus, & promisisse duos equos cursorios indiscriminatim sumptos, tenetur in conscientia emere duos alios equos, eosque tradere Andreæ.

TRIBUTUM.

1. Per *Tributum* intelligitur *pensio imposita subditis ad Principis dignitatem impendiaque communia sustinenda.* Indubitatum est, juste a Principe subditis imponi tributum: cum enim status unum morale corpus efficiat, cujus membrum quisque privatus constituit, necessarium est, ut quivis pro ratione facultatum suarum ad conservationem totius corporis contribuat, ejusque necessitatibus subveniat, quales sunt bellum pro patria, condigna sustentatio familiæ Principis, legationes necessariæ ac utiles, salarium publicorum Officialium ac ministrorum patriæ, expunctio debitorum status, restauratio & conservatio pontium & viarum publicarum &c.

2. Tributum dividitur in personale & reale. *Personale* est, quod personis imponitur solvendum ex bonis mobilibus ac immobilibus, immo & industrialibus; vocaturque *Tributum capitis* seu *capitatio*. *Reale* est, quod imponitur fundis nulla habita ratione personarum.

3. Dantur & alia tributa, quæ exiguntur ex rebus mobilibus v. g. vino, sale, ligno, aliisque mercibus ac utensibilibus, & vocantur *vectigalia* seu *pensio taxata super rebus in provinciam, civitatemque invectis aut evectis.*

4. Subditi tenentur Principi persolvere tributa: *Reddite ergo*, inquit Christus, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Apostolus: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis. Reddite ergo omnibus* (Principibus) *debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Datur ergo obligatio in conscientia Principi persolvendi tributa; eorumque defraudatio quandoque est peccatum mortale, diciturque in jure Romano *defraudati vectigalis crimen.*

5. Tri-

5. Tributa ita debentur Principi, ut quibuscumque aliis debitis privatis, nisi speciali gaudeant privilegio, præferantur. Sunt, qui a persolutione tributorum ac vectigalium eximuntur v. g. ob dignitatem status, ut personæ ecclesiasticæ, aut ratione ministerii, quo funguntur, ut quidam Nobiles ac primarii Principis ministri aut legati extranei, ac demum ob peculiaria privilegia solis personis adhærentia, licet quandoque ex speciali Principis gratia etiam successoribus communicabilia. Merces quædam etiam ab onere vectigalium immunes existunt, ut v. g. libri. Cæterum hac in re ubique inspiciendæ sunt leges provinciales.

CASUS I. Humbertus & Arnaldus pauperes agricolæ, deputati ad taxationem tributi, Jacobum virum pagi sui præ cæteris ditiorem taxare non audebant juxta proportionem bonorum suorum; ex quo proin major summa, ac oportebat, solvenda incubuit reliquis pagi incolis. Num peccarunt? Et posito quod peccaverint, an in conscientia tenentur reparare damnum Communitati illatum?

℟. Juxta S. Beuve non solum peccarunt contra justitiam; sed &, cum leges justam & æquam taxæ partitionem fieri velint, tenentur, & quidem quivis in solidum, Communitati læsæ restituere tantum, quantum Jacobo remiserunt, si hic non restituat. *Pontas.*

CASUS II. Gerardus ditissimus in sua parochia jam a quindecim annis solus cum consensu Communitatis singulis conparochianis taxat quotam tributi integræ parochiæ impositi: in hac vero taxatione quosdam suorum consanguineorum & amicorum dimidia fere parte sublevat. Petrus & Paulus collectores tributi id tolerantes, an coram Deo injustitiæ rei sunt, licet ejusdem complices non sint, & nec minimum exinde emolumentum capiant?

℟. Cum taxatio quotæ ad solos collectores tributi spectet, & Petrus ac Paulus id a Gerardo fieri permiserint, participes ese reddiderunt omnium injustitiarum a Gerardo commissarum, ac si ipsimet easdem commisissent juxta regulam juris: *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum.* Hinc ad restitutionem quoque tenentur. *Pontas.*

CASUS III. Petrus cum Joanne & Ludovico collector tributi erat. Cum autem id pro anno sequenti taxandum esset, egestate coactus in aliam provinciam abiit, ut ibi lucraretur quotam tributi a se ipso persolvendam, & sustentationem familiæ suæ pro instante hyeme; constituit autem, qui loco sui collectoris partes expleret, virum probum ac justum, amicum suum, illique, ne quidquam contra justitiam ageret, expresse mandavit. Domum postea redux comperit, plures pauperes ni-

nimium esse taxatos, & quosdam divites longe minori, ac par erat taxatione esse affectos. Verum cum amicus ille interea obiisset, rescit jam, an particeps fuerit injustitiæ a Joanne & Ludovico commissæ. Hinc quærit, an teneatur ad aliquam restitutionem.

℟. Petrus ad nullam in hoc casu restitutionem tenetur; quia juxta S. Gregorium *rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Ad hæc eo magis Petrus ab omni culpa excusari debet, quo urgentior erat causa absentiæ suæ. Præsumere denique poterit, amicum, cujus probitatem noverat, juxta æquitatis ac justitiæ leges partes sibi demandatas explevisse. *Pontas.*

CASUS IV. In quodam pago a quindecim jam annis viget consuetudo, ut divites dimidio minus quam pauperes in persolutione tributi taxentur. Dionysius hæres unius ex collectoribus, qui ante decem annos obierat, quærit, an loco patris sui teneatur ad restitutionem.

℟. Cum certum non sit, patrem Dionysii fuisse participem hujus injustitiæ, juxta regulam juris: *In obscuris minimum est sequendum,* Dionysius non potest obligari ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS V. Maximinus advocatus valde dives; cujus omnes loci incolæ variis ex titulis debitores existunt, pro sua quota tributi solvit tantum decem florenos, cum tamen habita ratione bonorum posset ac deberet centum florenos solvere; nec ullus ex communitate ob rationem allegatam ampliorem ipsi taxam imponere audet. Estne Maximinus securus in conscientia? An non tenetur coram Deo ultro majorem contribuere summam, iisque restituere, qui ob tenue nimis ipsius tributum nimium hucusque fuerunt gravati?

℟. In foro interno ad omnia tenetur: nisi enim subsistisset dicta causa, collectores absque dubio taxam centum florenorum ipsi imposuissent, a qua imponenda solum metu absterrebantur. Juxta Sylvestrum de Prierio ii, qui occultant bona sua ad evitandam majorem taxam, quam solvere possent ac deberent, tenentur compensare damnum, quod alii exinde sustinent. Prorsus ergo excusari non potest dives, qui vix solvit decimam partem tributi pro ratione bonorum suorum secundum jus & fas alias præstandi, & cui taxa solum ideo alleviatur, ne pauperibus, supra quos eminet, malum inferat. *Pontas.*

CASUS VI. Sex Officiales judiciales in exigua quadam civitate collectores ac directores tributorum aliarumque exactionum a duobus primum vel tribus annis aliam inierunt rationem exactiones colligendi, ac prius viguerat: antehac enim

enim exactiones tributariæ fiebant juxta numerum pecorum in dicta civitate valde copiosum; jam autem taxationes fiunt ex fundis. Hæc autem mutatio valde gravis accidit pauperibus incolis, qui haud multa possidebant pecora, plures tamen fundos; omnino autem proficua dictis Officialibus, qui plurima alebant pecora, fundos autem numerabant paucos. An hæc mutatio fieri potuit absque injustitia? An non tenentur Officiales isti ad restitutionem?

℟. Si mutatio hæc facta est auctoritate legitima, & studio promovendi bonum communitatis, injuste non egerunt Officiales, nec ad compensationem damni obligari possunt; cum bonum communitatis semper præferendum sit bono privatorum. Si vero incolæ civitatis solum tacite connivendo eorum fidelitati ac æquitati reliquerunt taxationem tributorum, mutatio hæc juste fieri non potuit absque præscitu ac consensu communitatis; juxta regulam juris: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*; prout & id statuerunt plures constitutiones Principum & supremorum tribunalium. Nihilominus, si Officiales etiam sine consilio civium hanc mutationem inierunt, agentes tamen bona fide solum bonum commune promovere intenderunt, non videtur eos obligandos esse ad faciendam læsis restitutionem; etsi per accidens proprium senserint commodum. Verum si mala fide egerunt, solum privato commodo suo intenti, a restitutione excusari non possunt. *Pontas.*

CASUS VII. Alexander magna apud Principem pollens gratia per Ministrum obtinuit diminutionem tributi pro parochia quoad jurisdictionem territorialem sibi subjecta, ita ut in posterum tantum 300. floreni exigerentur, dum hucusque 600. floreni solvebantur. Dein insinuat collectoribus, suam in impetratione hujus gratiæ intentionem fuisse allevandi specialiter tributum suorum emphiteutarum. Itaque collectores cum consensu magnæ partis incolarum emphiteutis Alexandri solum imponunt taxam quindecim florenorum, cum servata proportione facile quinquaginta solvere debuissent. An collectores sic volentes nomine communitatis exhibere gratitudinem Alexandro commiserunt injustitiam, ob quam teneantur ad restitutionem?

℟. Commiserunt injustitiam. Ratio est; quia intentio Principis aut Ministri non erat exhibendi favorem solum emphiteutis Alexandri, sed toti communitati, & maxime pauperibus loci, servata æqualitate justitiæ distributivæ. Et consequenter collectores tenentur ad restitutionem, nisi Alexander aut emphiteutæ ipsius restituant. Nec obstat, quod dicant, se non nisi in grati animi signum ob impetratam a Prin-

cipe gratiam leviorem Alexandri emphitevtis defignaffe taxam, & quidem cum confenfu majoris partis incolarum: non enim fine vitio exhibetur gratitudo, quæ fine violatione legum juftitiæ exhiberi non poteft, maxime fi fimul defit poteftas & authoritas eam exhibendi, ut deerat in cafu pofito, in quo collectores non poterant hanc exhibere benevolentiam fine confenfu unanimi totius communitatis, & maxime pauperum, qui præ aliis patiebantur. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Pontas.*

CASUS VIII. Ruffinus Francifco viro nobili in matrimonium dedit filiam fuam, eique fimulatorie in dotem affignavit fundum annui redditus 1000 florenorum, receptis a Francifco litteris reverfalibus, vi quarum tres tantum tertiæ partes horum redituum fil æ in dotem deberentur, nempe 750 floreni, & reliqua pars 250. florenorum remaneret in dominio Ruffini, qui hac fraude ufus eft, ut fic fe fe eximeret a tributo ex quarta hac fundi parte folvendo. Teneturne incolis loci refarcire damnum? Aut in defectu ipfiusnum Francifcus & Notarius, qui fubfcripferunt litteras reverfales, tenentur reftituere?

℟. Cum Ruffinus maneat dominus quartæ partis fundi in fpeciem dotalis, nempe 250. florenorum, tenetur communitari ad reftitutionem pro rata hujus partis: *Fraus* enim & *dolus* juxta Innocentium III. C. *Officii*. 14. Lib. 3. Tit 26. *alicui patrocinari non debent.* Si Francifcus cum Ruffino collufit, & complex fraudis fuit, tenetur in defectu Ruffini reftituere, ficut & Notarius, fi & ipfe bona fide non egit. *Pontas.*

CASUS IX In quadam conferentia Clericorum agitabatur quæftio: An Principes regio orti fanguine, quorum famuli domeftici actuales ex fpeciali privilegio Regio exempti funt a tributis, poffint abfque injuftitia cuipiam conferre titulum famuli fui domeftici, eumque fic eximere a tributo, licet nec falarium recipiat, nec ullum obeat fervitium. An affirmativa, vel negativa fententia eft tenenda?

℟. Indubitato negativa: peccarent enim contra juftitiam Principes fic agendo, tum contra intentionem fupremi Principis, tum in præjudicium aliorum. Privilegium exemptionis a tributis folum competit famulis Principum actuale fervitium præftantibus, ac falarium recipientibus. Hinc ejusmodi famulus folum titularis non minus ac alii taxationi tributariæ fubjicitur. *Pontas.*

CASUS X. Marcella ex redditibus annuis 175. florenorum haud exacte & fideliter perceptis valde magnam tributi quotam folvere debebat jam a quatuordecim annis. Hinc collectoribus tributi, incolis ac Syndico loci infinuat, fe fe

abi-

abituram in aliam parochiam ad filium suum parochum ibidem; ideoque se non amplius fore taxandam nisi pro hoc anno. Parochus filius spondebat incolis, se pro matre sua soluturum duodecim florenos, ea conditione, ut una cum aliis in eundem finem oblatis applicarentur, & mater in futurum a taxatione tributi eximeretur; id quod incolæ ob amorem ac gratitudinem erga parochum valde zelosum mox acceptarunt. Securine fuerit in conscientia tam parochus quam mater ipsius, & incolæ loci?

℟. Dicendum, parochum nihil contra conscientiam suam egisse: egit enim bona fide & absque fraude. Pariter & parochiani egerunt licite ac laudabiliter. Et, cum Marcella incolis parochiæ, quam prius incoluerat, insinuarit suum discessum, tuta conscientia potuit sese eximere a taxatione. *Pontas.*

CASUS XI. Mauritius mercator negotiatur variis in locis intra & extra provinciam, ac sæpe defraudat vectigalia mercibus imposita, eas invehendo vel evehendo per vias insuetas, vel alio quovis modo decipiendo exactores, nec se peccare existimat; eo quod vectigalia sint immodica, & probati Auctores asserant, legem solvendi vectigalia esse tantum pœnalem, adeoque non obligare in conscientia, nisi post sententiam Judicis. An licite sic agit?

℟. Ut melius agnoscatur justitia vectigalium, notandum ex Cabassutio L. 6. Juris Can. Theor. c. 19. n. 2. quinque requiri conditiones, ut vectigalia sint legitima: 1. Vectigalia non possunt exigi nisi a supremo Domino in statu politico, sive præsit unus, sive plures. 2. Ut vectigal exigi possit, justa legitimaque debet subesse causa, ita ut Princeps rationabiliter id non exigere non possit. 3. Exactio vectigalium major non esse debet, ac necessitas Principis & Status postulat 4. Princeps vectigalia in pravos vel inutiles fines insumere non debet. 5. Vectigalia per longius temporis spatium, ac necessitas petit, exigi non debent. Hoc supposito dicendum, Mauritium absque peccato non potuisse per fraudem declinare vectigalia legitima a Principe imposita. Rationes allatæ nullius sunt roboris; quia non pertinet ad Mauritium aut alias personas privatas judicare de excessu vectigalium, cum non debeant, immo nec possint scire necessitates Status, pro quibus subditis imponuntur tributa. Quod attinet ad id, quod lex vectigalium sit tantum pœnalis, non obligans in conscientia ante sententiam judicis condemnantis, est opinio paucorum, jam pridem profligata a longe majori numero Doctorum; oppositumque omnino confor-

me principiis Evangelii ac S. Pauli, & hinc unice tenendum. *Pontas.*

Nota. Si evidens foret injustitia vectigalium, v. g si manifeste ac palpabiliter repugnarent pactis reciprocis vicinorum Statuum, aut capitulationi juratæ cum Statibus provinciæ initæ, aliud dicendum foret.

CASUS XII. Gilbertus secreto negotiationem salis exercet, quæ tamen sub pœna mortis, aut saltem triremium interdicta est. Peccatne mortaliter? Num & illi peccant, qui ab eo emunt?

℟. Peccat mortaliter; cum se per hoc commercium exponat periculo vitæ, aut saltem perdendæ libertatis. Non minus peccant ementes ab eo salem; quia Gilberto peccandi occasionem præbent. Addi potest, quod ejusmodi mercimonium exercentes frequenter negligant obligationes Christiani catholici, v. g. non audiendo missam diebus fe *Pontas.*

Nota. Etiam in hoc genere attendendæ sunt capitulationes Principum cum singulis provinciis initæ. Vide *cas.* 11.

CASUS XIII. Nobilis quidam jurisdictionem territorialem habens in pago redditus suos valde auget procurando emphitevtis suis minorem, ac præstare tenerentur, tributi taxationem. Num juste?

℟. Committit injustitiam, & tam ipsius emphitevtæ, quam collectores tributi tenentur cum ipso ad restitutionem. A parocho ipsis deneganda absolutio, nisi restituant, & in futurum ab ejusmodi injustitia desistere serio promittant. Nullus Superior dictum parochum cogere potest, ut eos contra propriam suam conscientiam absolvat. *De Lamet.*

TUTOR.

1. Imperator Justinianus definit *Tutelam* his verbis: *Tutela est vis ac Potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data, ac permissa.* Addit: *Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent. Minorennis* dicitur, qui necdum complevit annum ætatis vigesimum quintum, & nondum habilis ad regendum se ipsum, & ad administranda ac conservanda jura & bona sua indiget adminiculo tutoris aut curatoris juxta verba legis: *Tutor non rebus dumtaxat; sed etiam moribus pupilli præponitur.*

2. Tu-

2. Tutela per se ac naturaliter deferenda est consanguineo proximiori, si non obstent defectus eum excludentes ab hoc munere, aut rationes alleget legitimas eximentes eum ab hoc onere; quo in casu alius consanguineus aut affinis designandus est, aut in eorum defectu omnino exterus. In necessitate minorenni constitui possunt plures tutores. Pater est tutor natus suorum liberorum; & licet parentes nominare possint tutorem pro suis liberis minorennibus, potest tamen ex causis legitimis nominari alius.

3. Tutor a patre nominatus non tenetur præstare cautionem, quam tamen in majus emolumentum minorennis offerre potest; quo in casu omnibus aliis in tutela præferendus est.

4. Quilibet tutor confirmari debet a judice domicilii minorennis, & post confirmationem deponere juramentum de fideli administratione bonorum ad minorennem pertinentium. Antequam huic administrationi se immisceat, authoritate judicis conficiendum est inventarium: si tamen ante confectionem inventarii ex improviso ingens negotium superveniret, tutor in bonum minorennis pro ratione exigentiæ illud perficere posset.

5. Confecto inventario tutor diligenter conservare tenetur omnia jura, chartasque usui futuras pro re minorennis sui. Quod attinet fundos aliaque bona immobilia minorennis, ea post publicationem cum consensu consanguineorum elocanda sunt. Si autem non reperiatur locatarius, tutor iis frui potest juxta conditiones ipsum inter & minorennis consanguineos stabilitas: & quia quandoque difficulter rereperitur occasio utiliter disponendi de bonis ejusmodi, ordinarie de consilio & assensu consanguineorum tutori determinatur tempus, intra quod hæc bona in emolumentum minorennis convertenda sunt; vi legum tamen tutor nec per se ipsum nec per personas substitutas ea emere potest.

6. Circa pecunias pupillares nil gravioris momenti propria authoritate moliri licet tutori; hinc nominandus a judice certus numerus consanguineorum, aut iis deficientibus aliarum personarum, ex quarum consilio tutori agendum, ita ut absque prævia cum iis consultatione in favorem sui clientis nec intentare nec prosequi litem possit.

7. Si bona non sufficiunt ad sustentationem minorennis, tutor non tenetur addere ex bonis suis propriis; nec, si rem suam bene gessit, ipsi imputari possunt mali eventus, aut casus fortuiti.

8. Si minor habet plures tutores, qui communiter administrant bona ipsius, quilibet eorum in particulari obligatur mino-

minorenni in folidum; nec poteft vi confuetudinis in variis provinciis receptæ minorennis adepta majorennitate tutori fuo condonare obligationem reddendæ rationis de fua adminiftratione.

9. Bona tutoris a die, quo tutelam fufcepit, minorenni funt oppignorata; prout & omnia bona fecundi mariti, fi mater ad fecundas nuptias tranfiit, quin prius prolibus fuis, quarum tutrix erat, tutorem nominandum curaverit, rationemque reddiderit, aut affecurationem præftiterit de omnibus, quæ iis adhuc deberentur.

10. Quando tutor in eum ftatum redigitur, ut non fit folvendo, minor factus majorennis non poteft pro folutione convenire judicem, qui tutorem nominavit; quia nominando illum folum confirmavit nominationem factam a confanguineis, & a nominato juramentum recepit.

Nota. Jus Romanum hac in re aliud decernit quam Gallicanum. Sic Leg. *Adverfus*. 4. Cod. Lib. 5. Tit. 75. ftatuitur: *Adverfus nominatorem tutoris vel curatoris minus idonei non ante perveniri poteft, quam fi bonis nominati, itemque fidejufforis ejus, nec non collegarum, ad quorum periculum confortium adminiftrationis fpectat, excuffis, non fit indemnitati pupilli, vel adulti fatisfactum.*

11. In obligationes defuncti tutoris fuccedit hæres illius; & fi hæres ifte gerendæ tutelæ capax eft, ad eam obligatur quoad omnia, quæ ad ipfius notitiam pervenerunt, usque dum novus conftituatur tutor; immo fi ultro in tutelam gerendam fefe immifcuit, eadem ipfi incumbit cura, quæ incumbebat defuncto tutori.

12. Tutor hypothecam habet in bonis minorennis, fi hic tutori fuo obligatur; immo hyppotheca hæc eft privilegiata & præferenda aliis hypothecis quoad ea, quæ tutor ex propriis pecuniis expendit ad confervanda vel recuperanda bona minorennis.

13. Tutela finitur adepta majorennitate: hoc tamen non obftante tutor continuare tenetur curam fuam pro rebus minorennis facti majorennis, fi eam deponere non poteft fine detrimento illius. Eadem adhuc ipfi cura incumbit pro hærede minorennis defuncti. Finitur quoque tutela per mortem civilem tutoris ac minorennis; in hoc tamen pofteriore cafu tutor tenetur profequi tutelam in favorem eorum, quibus adminiftrationis tutelaris reddenda ratio eft. Denique tutela finitur per depofitionem judicialem tutoris, quæ fieri poteft ob prævaricationem, malam fidem, aut fupinam ejusdem negligentiam.

14. Fœmina non poteſt eſſe tutrix niſi ſuarum prolium. Avia quoque poteſt eſſe tutrix nepotum ſuorum; tutela poteſt etiam relinqui ſecundo marito. Surdi, cæci, muti, paralytici, aliique gravi infirmitate laborantes ab onere gerendæ tutelæ ſunt exempti. Minorennis nunquam poteſt nominari in tutorem. Vir ſeptuageſimum ætatis annum jam egreſſus poteſt recuſare tutelam, ſi forte ad eam vocaretur; non tamen eam poteſt dimittere, ſi ætatem hanc durante tutela complevit. Si tamen quis jam numerat 68. aut 69. ætatis annos, & quatuor liberos, æquitas videtur expoſcere, ut judex a tutela eum liberet.

15. Qui habent quinque liberos legitimos adhuc viventes, a gerenda tutela eximuntur: inter ejusmodi liberos computantur quoque liberi filiorum & filiarum jam defunctorum, ita tamen, ut plures liberi ejusmodi filii vel filiæ habeantur tantum pro uno; non attenduntur autem in hoc caſu liberi, qui poſt acceptationem tutelæ naſcuntur.

16. Qui jam habet tres tutelas diſtincta adminiſtratione gerendas, non poteſt cogi ad acceptandam quartam; immo ſi unius tutelæ adminiſtratio jam ſatis eſt oneroſa, tutor poteſt recuſare ſecundam.

17. Quando inter patrem minorennis & nominandum tutorem viguit inimicitia, eaque perduravit usque ad mortem patris, tutela illi committenda non eſt: generaliter enim loquendo æquitas naturalis exigit, ut tutor foveat internam affectionem erga minorennem, quod in hisce circumſtantiis ſperandum non eſt. Et hinc prudentia exigit, ut judex non confirmet tutorem, qui videtur male affectus erga minorem, ejusque familiam; cum ſic nec minorennis ullam ſit habiturus confidentiam erga tutorem ejusmodi.

18. Qui per privilegium Principis ſunt exempti a tutela gerenda, poſſunt eam recuſare; ſed eiusmodi privilegium non agit retro, & primum poſt nominationem obtentum non efficit, ut tutor tutelam ſemel ſuſceptam poſſit dimittere.

19. Clerici in majoribus conſtituti non poſſunt cogi ad acceptandam tutelam aut curatelam: licet tamen iis acceptare tutelam in pupillos conſanguineorum ſuorum.

20. Etſi quis in tutorem nominatus appellet a ſua nominatione ad judicem ſuperiorem, tenetur tamen interea proviſionaliter gerere tutelam, ne minorennis neceſſario ullo unquam tempore deſtituatur auxilio.

21. Dum quis ſemel acceptavit tutelam, non poteſt petere dimiſſionem ab ea propter cauſam jam prius exiſtentem, non

non tamen allegatam; si autem post acceptationem tutelæ nova superveniat causa, dimissionem petere potest.

CASUS I. Theotimus tutor Honorati tribus annis nati confecto inventario omnium rerum ad pupillum pertinentium, tapetes triginta ulnis consistentes, vestemque ex panno Anglico confectam inclusit cistæ; inde factum, ut intra annum non minus tapetes quam vestis a vermibus notabiliter corrumperentur. Teneturne pupillo resarcire damnum?

℞. Theotimus absque dilatione debuisset vendere omne id, quod pupillo non fructificare poterat, sed potius lapsu temporis corruptioni erat obnoxium. Hinc tenetur ad reparandum damnum pupillo illatum. *Si tutor cessaverit in distractione earum rerum, quæ tempore depereunt, suum periculum facit*, ait Lex *Tutor*. 7. ff. Lib. 26. Tit. 7. *debuit enim confestim officio suo fungi . . . . non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione. Pontas.*

CASUS II. Hortensius tutor Eugenii quindecim annos nati, annuosque reditus 3000. florenorum possidentis, quotannis pro sustentatione pupilli sui aliisque tutelæ obligationibus impendit 1500. florenos. Eugenius factus majorennis administaratæ tutelæ rationem exposcit, quam & Hortensius deponit, ac deductis expensis in sustentationem Eugenii residuam perceptorum summam ipsi tradit. Eugenius summa non contentus annuum insuper ex ea censum exigit, & propterea tutorem in judicio convenit. Potestne tuta conscientia a tutore censum percipere, si hic singulis annis per decennium suæ tutelæ 1500. florenos reposuit, quin hanc pecuniam in proprium suum lucrum converteret?

℞. 1. Tutor regulariter loquendo tenetur pecunias pupillares provenientes ex venditione mobilium, & debitis activis, ex reluitionibus &c. convertere in fundum ad comparanda v. g. prædia vel alia bona immobilia, sicque augere redditus annuos sui pupilli: ait enim Lex *Tutor*. 7 § 3. ff Lib. 26. Tit. 7. *Si post depositionem pecuniæ comparare præd a tutores neglexerunt, incipient in usuras conveniri.* Dicitur, *regulariter* loquendo; quia si tutor non obstante omni adhibita diligentia utilem occasionem sic fructificandi pupillo suo non repererit, extra culpam est. 2 Hæc obligatio tutoris primum incipit a die perceptæ pecuniæ, sufficiensque ipsi tempus assignatur, ut eam possit convertere in utilitatem pupilli. Sic pariter certum tempus constituitur, quo parsimonialia in fundum collocari debeant. Ex his eruitur, Hortensium egisse contra obligationem suam, dum per decennium tutelæ suæ perceptos singulis annis 1500. florenos asservavit, sufficientemque eos in utilitatem pupilli sui convertendi diligentiam non adhibuit. Hinc juste a judice con-

condemnari potest ad solvendum pupillo annuum censum ex summa reposita; pupillusque tuta conscientia hunc censum recipere potest. *Pontas.*

CASUS III. Aristarchus tutor Ambrosii, cum non reperiret aliud medium 1000. florenos pertinentes ad pupillum suum utiliter elocandi, eos de anno in annum convertit in simplex mutuum, censumque ex iis percepit usurarium in bonum pupilli. Teneturne ad restitutionem mutuatario ex bonis propriis?

℟. Si Aristarchus in casu proposito egit mala fide & sciens, hunc usum pecuniarum pupillarium esse peccaminosum, tenetur ex bonis propriis mutuatario restituere. Si autem egit bona fide, non tenetur ad hanc restitutionem: attendendum tamen est, an non sit factus ditior. *Pontas.*

CASUS IV. Salvina vidua tutrix suorum liberorum in manibus suis habet 3000. florenos ex bonis paternis ad eos pertinentes: hanc summam mutuam dat cuidam nummulario, & quotannis ex ea percipit censum 150. florenorum pro bono prolium suarum; nec male se agere existimat, cum ex consuetudine loci in similibus sic agi soleat. Post quatuor annos transit ad secundas nuptias cum Lamberto mercatore, qui tanquam dominus bonorum communium pergit bona fide eundem censum recipere a nummulario, animo ipsam summam principalem repetendi ab eo, eamque suo applicandi commercio; id tamen assequi non potuit: nec in judicio nummularium compellere voluit, ut litem evitaret. Teneturne Salvina in conscientia restituere nummulario hos census usurarios? Num ad id tenetur Lambertus, aut in defectu eorum ipsi pupilli?

℟. Bona fides tam Salvinam ac Lambertum, quam ipsos pupillos eximit ab obligatione restituendi. *Pontas.*

CASUS V. Cassander tutor Jeremiæ ex culpa *levi* permisit perire vineam pupilli sui. Teneturne in conscientia ad compensationem damni?

℟. Tenetur juxta regulam juris 23. ff. Lib. 50. Tit. 17. quæ ait: *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt; quidam & dolum & culpam. Dolum & culpam tutelæ, negotia gesta; in his quidem & diligentiam.* Et certe tutor tenetur in conscientia eam adhibere diligentiam in administratione rerum pupilli sui, quam prudens ac sollicitus paterfamilias adhibet pro bono propriæ prolis; quod Cassander neglexit. *Pontas.*

Nota. In foro interno non tenetur ad culpam levem, nisi tutelæ se ultro ingesserit: quia non convenit æquitati naturali, ut cuiquam imponatur sine mercede munus tantis curis & periculis obnoxium: culpæ enim leves sunt difficulter evitabiles, admittunt facilem accusationem, difficilem defensionem.

CASUS

CASUS VI. *Avircius* intulit suo pupillo damnum *ex culpa levissima*. Teneturne illud reparare?

℞. Si non expresse convenit cum pupillo de præstanda etiam culpa levissima, non tenetur ad reparationem damni hujus; quia leges tutorem solum obligant ad præstandam culpam levem, nullibi autem ad levissimam. Si dicitur Leg. *Quidquid*. 7. Cod. Lib. 5. Tit. 51. *Quidquid tutoris dolo, vel lata culpa, aut levi, seu curatoris, minores amiserint, vel, cum possent, non aquisierint; hoc in tutelæ seu negotiorum gestorum utile judicium venire, non est incerti juris*. Pontas.

CASUS VII. Symmachus & Faustinus nominati fuerant tutores Cyrilli per testamentum patris defuncti, accedente etiam ad petitionem consanguineorum minorennis confirmatione judicis. Conveniunt autem ambo, ut oblatis ab altero 150. florenis Faustinus solus tutelam in se susciperet. Quo facto Faustinus intra duos annos & sua, & bona pupilli penitus dilapidavit. Cyrillus factus majorennis prætendit, Symmachum in solidum teneri cum Faustino, ad reddendam de administratione rationem, reparandumque integrum damnum. Num justa hæc prætensio?

℞. Si onus tutelæ & administratio bonorum pupilli fuit communis utrique, quin administratio distincta cuilibet fuerit assignata, Symmachus tenetur ad reparandum integrum damnum a Faustino pupillo illatum. Leg. *Si plures*, 38. ff. Lib. 26. Tit. 7. Si autem Faustinus in susceptione tutelæ cautionem præstitisset, Cyrillus non posset convenire Symmachum, nisi convento prius fidejussore. Leg. *In omnibus*. 1. §. 15. ff. Lib. 27. Tit. 3. *Pontas*.

CASUS VIII. Aventinus tutor, ut se liberaret ab onere tutelæ, emit Officium, cui annexum est privilegium exemptionis a munere tutelæ. An poterit hac via se eximere?

℞. Non poterit. Ratio est; quia intentio Principis concedentis hoc privilegium non est eximendi eos, qui jam actu susceperunt tutelam, sed eos solum, quibus necdum onus incumbit; ita ut inviti non possint compelli ad suscipiendam tutelam: id quod apprime conforme est juri Romano, quod Leg. *Tutor*. 28. ff. Lib. 27. Tit. 1. ita statuit: *Tutor petitus ante decretum diem, si aliquod privilegium quærit, recte petitionem institutam excludere non poterit*. *Pontas*.

CASUS IX. Leontius constitutus Alphonsi tutor, cum recusaret tutelam, & judex ejus excusationem non admitteret, provocavit ad judicem superiorem, & post tres menses per sententiam fuit liberatus a tutela. Pendente autem appelatione, cum Leontius non gereret tutellam pupillus passus est damnum 150. florenorum. Teneturne Leontius ad compensandum pupillo damnum? ℞. Te-

℟. Tenetur: ſemper enim cenſetur eſſe tutor Alphonſi, donec per ſententiam a tutela abſolvatur; hæcque reſponſio conſentanea eſt non ſolum æquitati naturali, quæ exigit, ut inceſſanter ſuſcipiatur cura pupilli tam quoad perſonam quam bona ipſius, ſed & juri Romano Leg. *Si is.* 31. ff. Lib 27. Tit. 1. dicenti: *Ipſo jure tutor eſt, & antequam excuſetur.* *Pontas.*

CASUS X. Elpidius filiusfamilias viginti quinque annos jam egreſſus, attamen adhuc conſtitutus ſub poteſtate patria, nominatus fuit in tutorem Florentii, quem ex ſacro fonte ſuſceperat. Cum Elpidius tam ſua quam pupilli bona dilapidaſſet, ac conſequenter Florentio illatum damnum compenſare non poſſet, hic majorennis factus convenit patrem Elpidii. Num jure?

℟. Si pater Elpidii nil aliud præſtitit quam præciſe ſuum conſenſum in nominationem filii in tutorem, quin ſe immiſcuerit ipſi adminiſtrationi, non tenetur damnum compenſare Florentio. *Nec multum*, ait Lex *Lucius.* 21. ff. Lib 26. Tit. 7. *videri in hoc caſu facere patris ſcientiam & conſenſum ad obligandum eum in ſolidum.* Lege autem *Si filiusfamilias.* 7. ff. Lib. 26. Tit. 1. ſic habetur: *Si quidem pater tutelam agnovit, in ſolidum debet teneri.... Agnoviſſe autem videtur, ſive geſſit, ſive gerenti filio conſenſit, ſive omnino attigit tutelam.* *Pontas.*

CASUS XI. Pelagius per teſtamentum fuit nominatus tutor Joannis ab ejus patre ea conditione, ut, quidquid ageret cum conſilio matris, non teneretur de ea re dare rationem. Itaque cum conſenſu matris movit injuſtam litem, quam perdidit. Joannes factus majorennis recuſat ſuo tutori refundere expenſas litis. Num juſte?

℟. Joannes non tenetur ad compenſationem expenſarum ſuo tutori; non enim juſtum eſt, ut pupillus ferat culpam tutoris. Neque Pelagio patrocinatur clauſula teſtamento appoſita; quia intentio teſtatoris tantum ferebatur ad caſum, quo tutor ſequeretur conſilium matris utile. *Pontas.*

Nota. Solum infauſtus litis exitus non probat culpam ex parte tutoris pro foro interno. Hinc judicio virorum prudentum indifferentium deferendum eſt, an Pelagius habendus ſit pro temerario litigante.

CASUS XII. Hannibal in ſuo teſtamento nominavit filio ſuo unigenito Theodorico tutorem Tiburtium proximum conſanguineum, & virum probum. Sed poſt ejus mortem quinque aut ſex conſanguinei conſtituerunt pupillo huic alium tutorem. Num tuta conſcientia?

℟. Interveniente causa legitima possunt constituere alium tutorem, observatis tamen iis, quæ a consuetudine, & jure præscribuntur, v. g. nominatione aut confirmatione judicis. *Pontas.*

CASUS XIII. Cum deliberaretur de assumendo Gratiano in tutorem, multis ejus paupertatem allegantibus, Godefridus scripto certum reddidit, illum esse solvendo, & ob hoc testimonium in tutorem electus est. Si Gratianus dissipet bona pupilli, ac postmodum reperiatur, eum non esse solvendo, an pro compensatione damni poterit a pupillo conveniri Godefridus?

℟. Juxta legem *Cum ostendimus.* 4. §. 3. ff. Lib. 27. Tit. 7. potest conveniri Godefridus; hicque tenetur pupillo reparare damnum. *Eadem causa videtur affirmatorum*, ait hæc lex, *qui scilicet, cum idoneos esse tutores affirmaverint, fidejussorum vicem sustinent. Pontas.*

Nota. Hæc iterum procedunt pro foro externo, in quo disponitur per præsumptiones circa culpam præteritam, & in futurum ad aliorum cautelam.

CASUS XIV. Arnulphus tutor Alexandri, cujus annui redditus ex legato amici sunt 1000. floreni, ex his durante tutela partem applicuit pro sustentatione fratris ac sororis Alexandri nulla alia bona habentium. Alexander factus majorennis improbat hanc administrationem, & petit a tutore compensationem. Num tuta id conscientia petit?

℟. Injuste petit Alexander a tutore compensationem: leges enim volunt, ut tutor ex bonis pupilli alat etiam matrem, sororem, adeoque & fratrem ejus, si aliunde non habeant congruam sustentationem. Sic dicitur Leg. *Tutor* 13. §. 2. Lib. 26. Tit. 7. *Aliud est, si matri forte aut sorori pupilli tutor ea, quæ ad victum necessaria sunt, præstiterit: cum semet ipsa sustinere non possit: nam ratum id habendum est*: Consultius tamen fuerit, si desuper a tutore requiratur mandatum judicis. *Pontas.*

CASUS XV. Titius tutor suo pupillo Andronico ad expunctionem debitorum mutuos dedit 1200. florenos. Postmodum Andronicus factus majorennis mutuos accepit a Mævio 3000. florenos, eique hypothecam constituit in unico fundo suo. Lapsu temporis Mævius obtinet excussionem bonorum Andronici, & Titius prætendit, sibi prius deberi solutionem. Cuinam horum prius solvendum mutuum?

℟. Sicut minorennis habet naturalem hypothecam in bonis sui tutoris, sic etiam tutor habet naturalem ac tacitam hypothecam in bonis pupilli sui: *hoc casu mutuæ sunt actiones,* in-

inquit Imperator Instit, Lib. 3. Tit. 28. §. 2. Hinc Andronicus non potuit Mævio constituere hypothecam in fundo suo in præjudicium Titii, cui prius debetur solutio. *Pontas.*

CASUS XVI. Domicius suo filio unico Vincentio per testamentum constituit tutorem Theophilum addita clausula, ut non teneretur suæ administrationis reddere rationem. Theophilus etiam a Judice fuit confirmatus, & gessit tutelam, usquedum Vincentius majorennitatem attigit. An nihilominus Theophilus poterit cogi a Vincentio ad deponendam rationem?

℟. Obligatio reddendi rationem in tutore est absolute indispensabilis, non obstante deobligatione per testamentum facta. Leg. *Ita* 5. §. 7. ff. Lib. 26. Tit. 7. Hinc Vincentius absque injustitia, etiam judicialiter, cogere potest tutorem ad deponendam rationem. Imo etsi pupillus factus majorennis transegisset cum tutore ratione administrationis, eique absque depositione rationis dedisset apocham bene gestæ tutelæ, totum inutile foret tutori. *Pontas.*

CASUS XVII. Gennadius tutor Amandi cum consensu omnium consanguineorum sui pupilli processum instituit pro adjudicanda pupillo hæreditate 1000. florenorum, quæ injuste ipsi denegabatur. Durante lite moritur Gennadius, & consanguinei per sex menses non constituerunt Amando alium tutorem. Interea pars adversa sibi adjudicari fecit hæreditatem, quin hæredes Gennadii aut consanguinei Amandi pro bono ipsius solliciti fuerint, etsi facile potuissent. Amandus factus majorennis convenit hæredes sui tutoris Gennadii, petitque ab eis compensationem damni. Num jure?

℟. Cum hæredes Gennadii facile potuerint defendere Amandum suo tutore spoliatum, ejusque curam gerere, & negotium fuerit urgens ac gravis momenti, ipsorum obligatio fuisset bono pupilli invigilare, usque dum novus eidem tutor constitueretur; hinc tenentur ipsi compensare damnum. Leg. *Quamvis.* 1. ff. Lib. 27. Tit. 7. Si ageretur de aliis negotiis quibusvis, quorum tractatio, etsi ex mera negligentia, necdum fuit inchoata ab ipso tutore, juxta legem *Cum ostendimus.* 4. §. 1. ibid. hæredes tutoris ad nihil tenerentur pupillo vel minorenni. De cætero quoad rem hanc inspiciendæ sunt leges ac consuetudines peculiares cujuslibet provinciæ, quibus valor constat etiam pro foro interno. *Pontas.*

VANA GLORIA.

1. Humana gloria pertinet inter bona temporalia, ejusque desiderium non est ex sua natura peccaminosum juxta D. Thomam, dummodo ea appetatur ex actione bona ad bonum finem. Sic quandoque necesse est, ut bona opera nostra, quæ peragimus, innotescant proximo ad ejusdem ædificationem & stimulum similia peragendi.

2. Verum si gloria, quam quis appetit, est *vana*, absque ulteriori ordinatione vel ordinabilitate ad majorem Dei gloriam, & in ea vana foveatur complacentia, semper est peccatum, & quidem pro ratione circumstantiarum vel mortale vel veniale.

3. Juxta D. Thomam vana gloria, quæ consistit in inordinato appetitu famæ, laudis & honoris, etsi non semper sit peccatum mortale, numeratur tamen inter peccata capitalia, cum sit mater plurium aliorum peccatorum, quæ juxta S Gregorium M. sunt *inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & novitatum præsumptiones.*

CASUS I. Valerianus nobilis gloriæ ac laudis humanæ valde cupidus monetur a Confessario, quod peccet in hoc: ipse vero reponit, desideria sua nec obesse iis, quæ Deo deberet, nec in ullum vergere præjudicium proximo.

℟. Si gloria, quam appetit, re ipsa vana est, absque peccato esse haud potest. Est autem vana, dum quæritur ex re nihili aut indigna, dum unice quæritur laus & approbatio hominum, & denique dum appetitus gloriæ non refertur in debitum finem, scilicet ad honorem Dei & salutem proximi. Si Valerianus alterutro ex his modis gloriam appetit, a peccato excusari non potest graviori vel leviori, pro ratione nimirum majoris vel minoris deordinationis appetitus. Ita docet S. Thomas. *Pontas.*

CASUS II. Valerianus fatetur, se dictis tribus modis gloriam hominum appetere; sed non nisi venialiter se peccare existimat.

℟. Peccat mortaliter, si gloriæ cupiditas adversetur amori Deo debito, si videlicet glorietur de re graviter illicita aut vergente ad gravem diminutionem honoris & reverentiæ erga Deum; aut si bona opera sua referat & ordinet ad laudem humanam tanquam ad ultimum finem suum; & propterea non dubitet transgredi mandata Dei, modo vanam aucupetur gloriam. Sic quoad præsentem materiam ratiocinatur D. Thomas; qui tamen postea concludit, vanam gloriam solum esse peccatum veniale, quando non extinguit amorem Deo debitum. *Pontas.*

VE-

VENATIO.

1. Etsi videatur *venatio* jure naturali non esse prohibita; Principes tamen sibi semper asseruerunt jus de ea disponendi respectu variarum circumstantiarum, quæ eam comitantur, & sequelarum, quæ exinde oriri possunt. Et hinc plerumque omnibus nobilitate destitutis; feuda, ditionem, aut jurisdictionem non habentibus interdicta est venatio sub certis pœnis.

2. Domini territoriales, ac nobiles habent jus venandi in suis feudis, ac ditionibus, modo uno milliari distent a locis, ubi Princeps venatione oblectari se solet.

3. Primaria ac principalis ratio variarum prohibitionum circa venationem est, ne subditi ruri degentes se totos venationi mancipent; secundaria, ut per privilegium venandi sua nobilibus in patriam merita, ac servitia compensentur. Omnibus tamen indiscriminatim certis anni temporibus venatio interdicitur, ut sic frugibus terræ parcatur.

4. Venatio universim interdicta est Clericis; & si quis horum ratione dominii aut ditionis suæ habeat jus venandi, non potest illud per semetipsum ac personaliter exercere, quin peccet contra canones Ecclesiæ.

CASUS I. Capitulum ecclesiæ Ratisbonensis amplam possidet ditionem cum jure venandi. Maximilianus nobilis, illius ecclesiæ Canonicus quærit, an non liceat sibi venari in hoc districtu.

℟. Non potest ibi venari personaliter, sed solum per laicos, idque tantum cum consensu capituli. *Pontas.*

NOTA. Author Gallus sic loquitur in Gallia, ubi sacri canones adhuc vigent, & populus scandalizaretur, si videret venatorem Canonicum.

CASUS II. Stephanus Clericus commorans apud patrem suum, parochialis territorii dominum, quandoque cum eo ex complacentia pergit ad venationem leporum & perdicum.

℟. Non potest absque peccato hanc patri exhibere complacentiam. *Pontas.*

NOTA. Quilibet, præsertim Clericus, tenetur saltem sub veniali collaborare verbo & exemplo pro reductione honestatis clericalis exemplaris. DIXI *saltem:* contemptus enim habitualis honestatis clericalis invariabilis per Ecclesiam declaratæ peccatum mortale est in iis, qui non excusantur ignorantia invincibili.

CASUS III. Duo agricolæ cujusdam parochiæ sæpe venantur, frustra id ipsis prohibente domino loci.

 ℟. Pec-

℞. Peccant, & quandoque etiam graviter. Verum non obligantur ad restituendam domino loci feram, quam occiderunt: excipiendi tamen sunt illi, qui occidunt cuniculos Dominorum habentium jus leporarii, aut qui capiunt columbas, aut piscantur in stagnis. *Pontas.*

CASUS IV. Vitalianus nobilis in districtu ditionis cujusdam commorans sæpe venatur, non obstante, quod dominus supremam ibi jurisdictionem habens se opponat.

℞. Si Vitalianus habet feudum, licet ipsi venari in toto districtu feudi sui. Si autem non habet feudum, absque injustitia venari non potest. *Pontas.*

CASUS V. Euthymius dominus territorialis in aliqua parochia magnam sæpe diei partem diebus dominicis ac festis impendit venationi, audita tamen prius missa privata.

℞. Violat præceptum sanctificandi dies dominicos & festos, & committit peccatum valde grave, nisi semel saltem per mensem assistat missæ parochiali; quamvis pro certo non ausim docere, peccatum hoc esse mortale, saltem nisi sit conjunctum cum formali contemptu præcepti, aut hæc agendi ratio causet grave scandalum. *Pontas.*

CASUS VI. Fernandus dominus territorialis amplæ cujusdam parochiæ tam immodice deditus est venationi, ut fere omnibus diebus ferialibus per totum annum egrediatur ad venandum.

℞. Omnis excessus in quibuscumque oblectationibus est vitiosus; & Fernandus peccat graviter, si venetur per agros semine conspersos, aut in vineis tempore prohibito.

Nota. Ejusmodi damnificatio, si uno actu aut iteratione actuum inferat damnum respective grave, referenda est ad genus peccatorum mortalium, & obligat ad restitutionem.

CASUS VII. Joannes Abbas regularis cum commotione corporis indigeret, bis aut ter per septimanam venatum it; quin tamen ullum ex eo oriatur scandalum.

℞. Canones interdicunt omnibus Clericis tam sæcularibus quam regularibus venationem cum canibus & avibus. Licet tamen quandoque venari absque canibus & avibus, dum id ad sanitatem necessarium est; dummodo raro fiat, & sine scandalo. Nihilominus melius foret, si sanitati consuleretur per aliam exercitationem corporis. *De Lamet.*

VEN-

VENDITIO.

1. *Venditio* est contractus, quo venditor cedit emptori dominium rei pro stipulata summa pecuniæ: *sine pretio* enim *nulla est venditio*. Completur venditio per solum consensum mutuum contrahentium, etsi pretium nondum sit solutum, nec res vendita emptori tradita. Consensus iste inter præsentes præstatur vel viva voce, vel scripto; inter absentes vero per literas, vel per procurationem: & tunc revocari non amplius potest consensus, nisi & altera pars assentiatur.

2. Omne, quod sub commercium venit, & natura sua pretio pecuniario æstimabile est, potest vendi, modo leges Ecclesiæ aut Principis non obstent. Sic vendi possunt 1. Bona mobilia & immobilia, aliæve res corporeæ. 2. Debita activa, servitutes activæ, omniaque jura incorporea. 3. Res futuræ, ut fructus ex fundo percipiendi, aut animalia ex grege nascitura. 4. Ipsa spes rei incertæ vendi potest, ut pisces ex jactu retium capiendi, vel præda ex venatione obtinenda.

3. Venditio rerum, quæ numerantur, mensurantur, aut ponderantur, si minutatim vendantur, non perficitur, nisi completa numeratione, mensuratione ac ponderatione; suspensaque interea manet venditio.

4. Generaliter loquendo quævis pars aut accessorium rei venditæ censetur vendita cum ipsa re, nisi expresse aliud fuerit stipulatum in contractu. Nihilominus dantur quædam accessoria, quæ non ingrediuntur contractum venditionis, ut apparatus equi sine omni apparatu venalis expositi.

5. Contractus venditionis triplicem complectitur obligationem. Prima est, quam ipsis imponunt contrahentes, consistitque in pactis, conditionibus, clausulis &c. in contractu expressis. Secunda est, quæ connaturaliter ad venditionem consequitur, sive exprimatur, sive non. Tertia est, quam statuit lex, aut consuetudo loci.

6. Prima obligatio venditoris est, ut soluto sibi pretio emptori tradat rem venditam, eamque integram. Quando venditor non tradidit rem venditam loco & tempore constituto, tenetur emptori ad damnum & interesse. Pariter tenetur venditor, qui nondum tradidit rem venditam, sollicite invigilare pro conservatione ejusdem usque ad integram traditionem, imo majorem adhibere curam quam pro bonis suis propriis. Si vero sine impensis rem venditam conservare non posset, eas compensare teneretur emptor. Quando venditori res vendita retinenda, aut repetenda est ob defectum solutionis, & ejusdem pretium interea fuit diminutum, jure ab emptore exi-

exigit indemnitatem. Si uterque contrahens est æqualiter in mora, unus in tradenda re, alter in recipienda, dum offertur a venditore, emptor non habet jus conquerendi. Si vero emptor rem petat, & venditor nolit eam tradere, res perit aut deterioratur venditori. Traditio vere tunc fieri dicitur, dum venditor eo in statu emptorem constituit, ut rem venditam possideat, eaque frui possit. Si venditor eandem rem vendidisset duobus diversis emptoribus, ille præferendus foret, qui prius in rei possessionem venit.

7. Contractus venditionis varias admittit conditiones ac clausulas. Quando completio venditionis pendet ab eventu conditionis appositæ, venditor manet rei dominus usque ad positionem conditionis: sed completa venditione emptor, etsi stipulatum fuerit, venditionem rescissum iri in eventu cujusdam conditionis, est dominus rei & omnium fructuum ejus usque ad eventum illius conditionis; & ex hac ipsa ratione res perit emptori.

8. Mutatio superveniens rei ante perfecte completam venditionem suo damno vel lucro pertinet ad venditorem; quæ autem superveniunt rei post completam venditionem, afficit emptorem, etiamsi res ipsi nondum fuisset tradita.

9 Quando in venditione apposita fuit conditio in favorem unius contrahentium, aut saltem eidem prodesse possit, eventusque hujus conditionis pendeat ab altero contrahente, hic absque injustitia impedire non potest eventum hujus conditionis, ut inde fructum capiat. Contrahentes semper tenentur ad literam exequi contenta in contractu.

10. Minorennes, amentes, interdicti, & quicumque res suas administrare prohibentur, non possunt vendere. Idem dicendum de usufructuario & hærede, cujus res alteri substituitur, nisi conveniat cum emptore, ut requisitus rem restituat illi, ad quem pertinebit.

11. Tutor, curator, aut quivis alius administrator non potest emere rem minorennis, pupilli, aut alterius, cujus bona administrat.

12. Venditio, cui intervenit error, est nulla: non tamen per se est nulla, si error tantum respicit qualitatem rei; id quod judicis est decidere. Multo magis nulla est venditio dolo, vi, aut metu gravi extorta.

13 Judex haud facile declarat venditionem nullam, nisi interveniente læsione ultra dimidium.

14. Venditor in nullo unquam casu, etiamsi intervenisset expressum pactum, liberatur ab obligatione præstandæ cautionis de proprio facto.

15. In

15. In casu evictionis emptor habet jus petendi solutionem impensarum utilium & necessariarum, quas in meliorationem rei fecit, deductis tamen fructibus ex hac melioratione perceptis. Si fructus percepti excederent rationem impensarum, hæ forent extinctæ: verum excessus ejusmodi bona fide perceptus ante evictionem intentatam emptori manet acquisitus.

16. Si emptor rem evinci patiatur, quin se defendat, aut actionem sibi intentatam denunciet venditori; aut si propria auctoritate transigat cum evincente; aut alio modo in præjudicium venditoris agat, sibimet ipsi imputare debet evictionem, venditorque ad nullam tenetur cautionem. Verum si emptor solummodo insinuet venditori actionem evictionis sibi intentatam, liber est ab obligatione se defendendi, onere defensionis in venditorem relabente.

17. Si venditor in re vendita scivit vitium, quod usum rei venditæ aut omnino reddit inutilem, aut saltem ita difficilem, ut emptor non emisset rem, aut non nisi pretio minore, si scivisset vitium, hic potest agere contra venditorem, ut venditio declaretur nulla, aut saltem petere indemnitatem. Idem dicendum, etiamsi tale vitium fuisset incognitum venditori. Si venditor novit vitium, aut saltem nosse debuisset, emptorique exinde damnum fuit illatum, venditor non solum tenetur recipere rem venditam, aut ejusdem pretium diminuere, sed etiam cavere de omnibus damnis imposterum inferendis.

18 Quando locum habet redhibitio, venditor pretium acceptum restituere debet, & emptori compensare omnes impensas in conservationem rei venditæ factas, & resarcire omnia, quæ ex venditione consecuta sunt, imo etiam solvere interesse, si quodpiam exigere possit emptor: hic vero tenetur reddere rem emptam venditori cum omni lucro ex ea percepto.

19. Melioratio aut deterioratio superveniens rei absque culpa emptoris unice respicit venditorem. Si vitium rei ita est evidens, ut illud ignorare non potuerit emptor, aut ipsi a venditore declaratum fuisset, emptor non potest in judicio agere contra venditorem. Verum hæc omnia tantum intelligenda sunt de venditionibus inter privatos, non de venditionibus authoritate judicis factis.

20. Dominus rei quandoque judicialiter potest cogi ad venditionem ejusdem. Sic potest quis cogi ad vendendum fundum in favorem creditorum suorum; vel per viam licitationis, dum fundus dividi nequit inter plures hæredes; vel

quando fundus necessarius est pro bono publico. Sic etiam cogitur quispiam privatus ad vendendum alteri usum partis sui fundi, videlicet cum duo prædia contigua duobus obtigerunt in partem, ita ut alter suo gaudere nequeat, nisi transeundo per alterius fundum, hic tenetur illi hanc servitutem vendere.

CASUS I. Fabius possidet fundum a quodam cognato sibi legatum una cum substitutione in favorem suorum liberorum. Illi in urgente necessitate constituto sese offert amicus quidam ad emendum fundum legatum, non obstante substitutione. Poteftne Fabius fundum vendere tuta conscientia?

℞. Cum Fabius tantum habeat usumfructum fundi sibi legati, utpote substituti suis liberis: non potest illum vendere. Leg. *Sancimus* fin. Cod. Lib. 4. Tit. 51. Si nihilominus Fabius fundum vendidisset, liberi ipsius possent illum repetere; neque tenerentur ad ullam indemnitatem præstandam emptori. *Pontas.*

CASUS II. Eparchius curator Constantini minorennis vendidit villam ad hunc minorennem pertinentem cum ipsius consensu. Conventum fuit, ut pretium villæ non solveretur, antequam Constantinus majorennitatem attigisset, & interea annuus Constantino census præstaretur. Estne valida hæc venditio?

℞. Illi solum, qui sunt sui juris, possunt alienare res suas. Hinc venditio hujus villæ est nulla, nisi observatæ fuerint formalitates a legibus præscriptæ. Nihilominus conditio adjecta de solvendo annuo censu juxta Navarrum L. 5. Consil. 21. n. 2. non est injusta, nec usuraria. *Pontas.*

CASUS III. Sigonius tutor Theogenis ab Herculo in judicium vocatus pro solutione 1000. florenorum illi debitorum, Herculo privata sua authoritate vendidit fundum ad Theogenem pertinentem, ut illum liberaret debito, & litem evitaret. Herculus sex annorum spatio hoc fundo usus, quolibet anno 100. florenorum lucrum fecit, facta deductione expensarum in agrorum culturam & fructuum collectionem adhibitarum. Theogenes factus majorennis revocat fundum, oblata Herculo emptori & creditori suo summa quadringentorum florenorum numeratæ pecuniæ, prætenditque, lucrum sexcentorum florenorum per sex annos aquisitorum principali summæ esse accensendum, fortiter autem se opponente Herculo. Quisnam horum potiori jure gaudet?

℞. Jure repetit fundum Theogenes: nam Sigonis non erat dominus fundi venditi: & hinc ista venditio non nisi pro simplici obligatione consideranda est; fructusque ab Herculo percepti in sortem principalem computari debent. *Si*

quis.

quis, inquit Alexander III. Cap. *Plures* 1. Lib. 5. Tit. 19. *alicujus possessionem data pecunia sub hac specie vel conditione in pignus acceperit, si sortem suam deductis expensis de fructibus jam percepit, absolute possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio libere ad dominum revertatur.* Pontas,

Nota. Videtur ejusmodi venditiones bona fide initas tractari posse instar locationis.

CASUS IV. Nicolaus pauper rusticus habet exiguam domum ducentis circiter florenis æstimatam, & duorum jugerum æqualis valoris pomarium muro circumdatum, & agris Renati divitis viri contiguum. Renatus hos sibi fundos vendi postulat, pro quibus autem Nicolaus sexcentos florenos petit, licet sciat, justum eorundem pretium esse quadringentos florenos. Renatus etiam solvit petitam summam. Potestne Nicolaus tuta conscientia hos fundos vendere pretio una tertia parte justum valorem excedente?

℟. Potest: æquum enim est compensationem damni quærere, quod quis incurrit, dum per alienationem se privat re sua. Quamvis res vendita in se considerata minoris sit pretii, ac venditur; pluris tamen valet considerata necessitate illius, qui per venditionem eam alienat in gratiam emptoris sollicitantis. *Cum aliquis*, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 2. C. *multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat, in tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quæ venditur; sed ad damnum quod vendit ex venditione incurrit, & sic licite poterit aliquid vendi plus, quam valeat habenti.* Observat tamen Sylvius, aliud dicendum fore, si venditor ex venditione nullum prorsus pateretur detrimentum; vel si rerum suarum angustia pressus teneretur fundum vendere. *Pontas.*

CASUS V. Albertus vendit, traditque domum Jacobo, hac clausula in contractu expressa, ut venditio nulla fit, & quasi non facta, si Jacobus intra tres menses pretium non persolvat. Cum Jacobus elapso termino totam in promptu non haberet pecuniam, venditor, quem domum vendidisse aliunde pœnituit, adjectæ clausulæ prætextu usus, domum repetit. Teneturne Jacobus in conscientia Alberto restituere domum?

℟. Tardior executio conditionis contractui appositæ non statim dissolvit venditionem; sed judicis est solutionem pronunciare. Leg. *Cum venditor*, 2. ff. Lib. 18. Tit. 3. Eo usque ejusmodi clausula solum respicienda est tanquam commissatoria, & ut talis consideratur in omnibus tribunalibus:

æqui-

æquitas enim naturalis videtur exposcere, ut emptori indulgeatur rationabilis dilatio, si pretium venditionis præcise solvere non possit tempore convento. Excipiendus tamen casus, quo dilatio vergeret in grave damnum venditoris. *Pontas.*

CASUS VI. Cledonius verbaliter vendidit Cajo adamantem pro summa 500. florenorum, ea conditione, ut Cajus intra octo dies pretium persolvat, & venditio nulla sit, id ni faceret, Cajus dat interim Cledonio in arrham pro securitate promissi quindecim florenos. Verum plures ultra definitum terminum dies abiere, & conditio non fuit impleta. Hinc Cledonius recusavit illi adamantem tradere, pro eo recipere pretium, & arrham restituere. An non ista Cledonii recusatio est contra justitiam, præsertim quoad arrham quindecim florenorum?

℟. Juxta Cabassutium L. 6. c. 9. n.10. in hoc contractu intervenit conventio, quæ in jure vocatur *Pactum legis commissoriæ*; & secundum leges Cledonius potest recusare Cajo tam adamantem, quam oblatum post lapsum termini pretium, immo & arrham, quam juste perdit emptor, sua culpa non implens conditionem in contractu stipulatam. *De lege commissoria interrogatus ita respondit, si per emptorem factum sit, quo minus legi pareretur, & ea lege uti venditor velit, fundos inemptos fore, & id, quod arrhæ vel alio nomine datum esset, apud venditorem remansurum.* Leg. *De lege.* 6. ff. Lib. 18. Tit. 3. *Pontas.*

CASUS VII. Cyrillus emit a Paschali vineam per violentiam ac fraudem dimidio minoris, ac justus ejusdem valor erat. Paschalis occasionem nactus rescindendi contractum, postulat sibi restitui omnes fructus a tempore emptionis perceptos. Poteštne judex condemnare Cyrillum ad restitutionem fructuum?

℟. Æquum non est, ut Cyrillus ex violentia aut fraude sua lucrum ferat. *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.* Leg. *Jure.* 206. ff. Lib. 50. Tit. 17. Hinc Cyrillus absque omni injustitia potest condemnari ad restitutionem fructuum. *Pontas.*

CASUS VIII. Ignatius architectus, domum a Mævio levi pretio empturus, persuadet illi, domum infirmis nixam fundamentis minari ruinam. Mævius necessariis domum reædificandi subsidiis destitutus, condixit Ignatio venditionem pro summa 5000. florenorum; etsi cognita Ignatii mala fide domum omnino non vendidisset, aut non nisi pro 7500. florenis. Estne valida hæc venditio? An non Ignatius in conscien-

fcientia tenetur defiftere a contractu, aut Mævio compenfare damnum?

℞. In hoc venditionis contractu intervenit error antecedens, dans caufam contractui, & confequenter excludens confenfum venditoris juxta legem. *Non idcirco.* 9. Cod. lib. 1. Tit. 18. Et ex hac fola ratione nulla redditur venditio. Præter errorem in hoc contractu concurrit etiam dolus, qui vera contractus caufa extitit. Et ideo Ignatius in confcientia tenetur renunciare contractui aut Mævio compenfare damnum. *Pontas.*

CASUS IX. Quid dicendum, fi error & dolus tantum fuiffent concomitantes: v. g. fi Mævius domum publice venalem expofuiffet, & Ignatius eam minoris empturus illi perfuafiffet, domum multo magis defectuofam effe, ac revera fuerit. Eftne validus contractus ifte? An Ignatius in hoc cafu non teneretur ad aliquam indemnitatem Mævio præftandam?

℞. Cum hic error concomitans, vel ejusmodi dolus non fit vera ac genuina caufa contractus, dicendum eft, nihil obftare, quo minus contractus valeat. Nihilominus teneretur Ignatius in confcientia Mævio folvere fupplementum jufti pretii. *Si vero* (dolus) *incidit in contractum*, ait Author Gloffæ in cap. *Cum dilecti.* 3. de empt. & vend. *quia venditurus eram, fed per dolum tuum minus vendidi, vel per dolum meum plus emifti, tenet quidem contractus; fed agitur ad fupplementum refidui. Pontas.*

CASUS X. Chryfologus mercator fpiritum vini minutatim & cumulatim vendere folitus, habet hujusmodi fpiritum vini fortem & præftantem, cui quintam vel fextam circiter partem aquæ communis immifcet, ita, ut hæc mixtio fenfibiliter illum non debilitet, nec facile poffit animadverti. Poteftne fine obligatione reftituendi fpiritum vini fic alteratum vendere pro fpiritu vini puro?

℞. Quamvis juxta D. Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. C. Chryfologus aquam puram vendendo pro fpiritu vini fraudem committat, peccatique fe reum conftituat, ac ad reftitutionem obligetur; videtur tamen a peccato excufari poffe, fi fpiritum vini fic alteratum vendat infra illud pretium, quo venditur fpiritus vini purus, pretiique diminutio factæ mixtioni fit proportionata. Nihilominus tutius eft juxta S. Antoninum 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 17. §. 4. ejusmodi mixtiones omittere, etiamfi pretium diminuatur. *Pontas.*

CASUS XI. Joachimus mercator lanæ folebat lanam fuam in loco humido affervare, ut majus pondus attrahat, & amplius ex ea lucrum capiat. Peccatne contra juftitiam?

℞. S.

℟. S. Antoninus 2. part. Sum. Theol. Tit. 1. c. 17. §. 5. condemnat ejusmodi praxin tanquam injustam & fraudulentam: venditur enim tali modo res falso pondere, & emptor non amplius reperit idem pondus, sub quo a venditore ipsi tradita est. Idem dicendum de iis, qui vendunt falsa mensura, quos pariter S. Thomas condemnat 2. 2. q. 77. art. 2. C. *Pontas*

CASUS XII. Anthimus mercator asservat in sua taberna multos pannos nigri coloris, quos ob acrem nimis tincturam scit esse defectuosos; quod tamen a nemine potest adverti, nisi quis tali panno utatur. Nihilominus ulnam huius panni eodem vendit pretio, ac illius, qui optime tinctus erat: ait enim, defectum tincturæ ad se non pertinere, & aliunde moris esse, ut merces bonæ commisceantur deterioribus. Peccatne in hoc casu? & num obligatur ad aliquam restitutionem?

℟. Hæc ipsa secundum S. Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. C. tertia species fraudis est, qua non raro utuntur mercatores. Praxis hæc injusta est, talesque mercatores tenentur compensare damnum iis, qui emunt ejusmodi merces defectuosas, si ipsis vendantur eodem pretio, quo merces bonæ. *Tertius defectus* (in venditione) *est ex parte qualitatis*, inquit S. Doctor, *puta si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum; quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione; unde est illicita venditio; & in omnibus talibus non solum aliquis peccat, injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Pontas.*

Nota. Hæc vera sunt, si venditor sciat, defectum mercis, & si defectus sit tantus, ut pretium, quo venditur res defectuosa, etiam summum notabiliter superet. Vide cas. 26. 27. 30.

CASUS XIII. Hipparchus pannorum propola vendidit Sosteni unam cocoinei panni compacturam, cujus duas ultimas ulnas sciebat non esse coloris adeo vivi, nec adeo pulchri, quam priores. Occultavit autem hunc defectum Sosteni, metuens, ne forte a venditione desisteret; sed tamen diminuit illi pretium, defectuosæ tincturæ proportionatum. Num peccavit?

℟. Juxta D. Thomam Quodlib. 2. art. 10. C. nullum Hipparchus commisit peccatum occultando Sosteni defectum panni, dummodo pretium diminuerit. Nihilominus, si in casu proposito pannus ad debitum usum ab emptore applicari non potuit, sicque emptori damnum illatum fuit, mercator non obstante, quod pretium duarum defectuosarum ulnarum diminuerit, illud reparare, aut defectuosas ulnas pro justo pretio recipere tenetur. *Pontas.*

CA-

CASUS XIV. Samuel vendidit Laurentio fundum suum pro pretio decies mille florenorum, exceptis duabus sylvis, quas sibi reservavit. Laurentius ex commissione a Samuele sibi data instrumentum contractus confecerat, in quo duæ sylvæ proprio suo nomine expressæ, ac exceptæ fuerant, persolutisque Samueli 10000. florenis, & contractu ab utraque parte signato possessionem fundi adiit, illumque duorum annorum spatio possedit. Paulo post Samuel, qui exacta satis de fundo suo notitia instructus non erat, comperit, exiguam adhuc superesse sylvam pretio 500. florenorum æstimatam, in contractu tamen non expresse exceptam, cujus neque Laurentius notitiam habuit. Quare Samuel conqueritur, a Laurentio se esse deceptum, prætendens, hanc tertiam silvam ad se pertinere. Laurentius econtra defendit, silvam hanc una cum reliquo fundo venditam fuisse, eoquod in contractu tantum duæ silvæ nominatim exceptæ fuerint: ut tamen ostendat, se bona fide egisse, consentit in resolutionem contractus, si Samuel intra terminum trium mensium restituat decem florenorum millia. Terminus hic exspiravit, quin Samuel persolutam sibi summam restituerit. Poteſtne Laurentius silvam hanc una cum fundo retinere tuta conscientia?

℟. Cum nullus ex parte Laurentii dolus intervenerit, nec memorata silva in contractu nominatim excepta fuerit, Laurentius non tenetur Samueli de supplemento, & Samuel sibi ipsi imputare debet, quod exiguam adeo de fundo suo notitiam habuerit. Quapropter, si hanc ob causam quidquam damni patitur, ipsi soli ferendum est, non emptori, juxta regulam juris 86. in 6. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Accedit, quod possessio semper favorabilis sit bona fide possidenti. *Pontas.*

CASUS XV. Julius possidebat domum, quam minari ruinam existimabat, eoquod multæ scissuræ apparerent, quæ tamen tantum ex parte gypsi se tenebant, quo muri obducti erant. Vendidit hanc domum Luciano pro tribus florenorum millibus. Uno mense post factam venditionem peritus quidam architectus erroris originem detexit, dixitque Julio, domum ad minimum valere septem florenorum millia, seque paratum esse ad solvendum tale pretium, si velit rescindere venditionem cum Luciano initam. Poteſtne Julius tuta conscientia procedere contra Lucianum, & rescissionem contractus ab eo postulare?

℟. Leges in simili casu permittunt rescissionem venditionis. Leg. *Rem majoris.* 2. Cod. Lib. 4. Tit. 44. sic dicitur: *Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus, fundum*

ve-

venumdatum recipias, authoritate judicis intercedente: vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit. Rescissa igitur semel venditione Julius tuta conscientia poterit redire in possessionem suæ domus. *Pontas.*

CASUS XVI. Amandus librarius habet tres tomos libri admodum rari quatuor voluminibus impressi, pro quibus curiosus quidam offert tres dupliones, & quærens quartum volumen, illud tandem reperit apud alium librarium; qui sciens, emptorem tribus tomis jam esse instructum, seque ingens posse lucrum recipere ex quarto tomo, pro eo petit sex florenos, quamvis liber a reliquis separatus plus non valuerit, quam duos florenos cum dimidio. Poteftne in his circumstantiis secundus librarius tanti vendere volumen separatum?

℟. Videtur, quod non: vendit enim hac ratione rem ad se non pertinentem, utilitatem scilicet alterius, absque eo, quod possit obtendere aliquod damnum proprium. Injuste igitur exigit pretium adeo excessivum pro separato hoc volumine. Addit tamen D. Thomas 2. 2. q 77. art. 1. C. *Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare; quod pertinet ad ejus honestatem. Pontas.*

CASUS XVII. Josephus & Claudius habent horologia repetitoria, in omnibus perfecte æqualia, quorum quodlibet 25. duplionibus constitit. Jacobus famulus Claudii perdit horologium domini sui, rogatque Josephum, ut suum sibi vendere velit, in locum perditi substituendum, cum aliud medium non haberet evitandi indignationem domini sui. Verum Josephus hac occasione lucraturus petit pro suo horologio 35. dupliones; quamvis absque ullo incommodo aut damno eo se privare posset. Poteftne tuta conscientia tantum exigere pretium?

℟. Cum justus horologii valor non excedat 25. dupliones, Josephus non potest necessitatem Jacobi in suum lucrum convertere. S.Thomas q. 13 de malo. art. 4. ad 7 ejusmodi venditionem tanquam injustam condemnat. Item Opusc. 73. c. 9. alt S. Doctor: *Res tantum juste valet, quantum sine fraude vendi potest. Pontas.*

CASUS XVIII. Cosmas vendidit Clementi domum pro summa 5000. florenorum. In contractu statuitur, ut Cosmæ jus reservetur dissolvendi contractum casu, quo alius 6000. florenos intra duos menses offerre vellet. Uno abhinc mense fulmen domum penitus consumpsit. Cuinam fert, dum est damnum?

℟. Dam-

℟. Damnum ferendum est Clementi; verus enim erat possessor domus, qua expelli non poterat, nisi quidam tertius stipulato tempore sex florenorum millia obtulerit venditori, quæ oblatio facta non est; hinc in quieta domus possessione erat. Leg. *Quoties*. 2. ff. init.& §.1. Lib 18. Tit. 2. *Pontas*.

CASUS XIX. Isaacus die decimo Aprilis vendidit Petro lanam gregis ovium, ea conditione, ut decimo Julii sequentis traderetur, &, id ni fieret, venditio resoluta sit. Isaacum pœnituit contraxisse; & hinc lanam tradere omittit. An nulla evadit venditio?

℟. Isaacus non debet lucrum reportare ex eo, quod adjectam clausulam in præjudicium Petri exequi omiserit: non enim censetur clausula resolutoria adjecta fuisse in favorem Isaaci. *Quod favore quorumdam constitutum est*, ait Lex *Quod favore*. 6. Cod. Lib. 1. Tit. 14. *quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri.* Alias ille, qui posset quidquam commodi per conditionis executionem obtinere, eo privaretur per malam fidem alterius. *Pontas*.

CASUS XX. Otto vendidit mense Octobri sex modios frumenti Philiberto in necessitate constituto, ea conditione, ut anno sequente eodem mense summum persolvat pretium quo tunc frumentum vendetur. Estne licitus hic venditionis contractus?

℟. Contractus hic est illicitus & reprobatus a sexto Concilio Parisiensi de anno 829. An madvertendum tamen est, quod, si Otto sincere & absolute decrevisset frumentum suum asservare usque ad mensem Junium vel Julium, quo anni tempore ordinarie carius solet vendi frumentum, nec voluisset citius vendere, absque injustitia illud vendere posset Philberto eodem fere pretio, quo tunc constaret; facta tamen aliqua diminutione pretii juxta judicium viri prudentis. Vide *Cas.* 35. *Pontas*.

CASUS XXI. Josias vendidit Ægidio quinquaginta frumenti modios in horreum suum avehendos. Conventum est inter contrahentes, ut Ægidius frumentum intra unius mensis spatium mensuraret, & secum asportaret. Quindecim diebus post initum contractum frumentum notabiliter fuit deterioratum; quo cognito Ægidius recusat factam cum Josia pactionem exequi, nec vult solvere plus, quam partem tertiam stipulati pretii.

℟. Ægidius non tenetur recipere frumentum, nec solvere emptori condictum pretium: in rebus enim, quæ venduntur in numero, pondere, aut mensura, venditio non censetur esse perfecta, nisi postquam res fuerint numeratæ, pon-

deratæ aut menfuratæ. *Sabinus & Caffius tunc perfici emptionem exiftimant*, Leg. *Quod fæpe*. 35. §. 5. ff. Lib. 18. Tit. 1. *Cum adnumerata, admenfa, adpenfave fint; quia venditio quafi fub hac conditione videtur fieri, ut in fingulas metretas, aut in fingulos modios, quos, quasve admenfus eris; aut in fingulas libras, quas adpenderis; aut in fingula corpora, quæ adnumeraveris. Pontas.*

CASUS XXII. Lucius vendidit Sebaftiano duos boves cum expreffa ftipulatione, ut intra octiduum eos traderet emptori, quod tamen Lucius ex mera negligentia integro prope menfe diftulit. Tandem eos tradit, quos tamen emptor adhuc per triduum recipere neglexit. Quarto die unus boum perit. Num jactura Sebaftiano ferenda eft?

℞. Quando folus venditor eft in mora rem venditam condicto tempore tradendi, fibi ipfi imputare debet damnum fuperveniens. Verum quando etiam emptor eft in mora rem, dum adhuc eft integra, recipiendi, damnum ferendum eft illi, qui ultimus in mora fuit. *Sane hoc cafu nocere deberet emptori, fi per emptorem mora fuiffet*, ait Lex *Illud*. 17. ff. Lib. 18. Tit. 6. *Deinde, cum omnia in integro effent; venditor moram adhibuerit, cum poffet fe exfolvere; æquum eft, pofteriorem moram venditori nocere. Pontas.*

CASUS XXIII. Eudemus vendit equum fuum Romano, illumque intra tres dies tradere promittit pro fumma 100. florenorum, fi fervus domefticus pro alio emendo miffus alium equum adduceret. Biduo poft factam venditionem equus morte naturali perit, & duabus poft horis fervus cum alio equo revertitur. Teneturne Romanus folvere centum florenos?

℞. In venditione fub conditione facta, fi res vendita perit ante ftipulatæ conditionis impletionem, jactura recidit in venditorem. Leg. *Plerumque*. 10. §. 5. ff. Lib. 23. Tit. 3. Item Leg. *Hæc venditio*. 7. ff. Lib. 18. Tit. 1. habetur: *Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* Hinc Romanus non tenetur folvere centum florenos. *Pontas.*

CASUS XXIV. Guibertus duos equos Martiali vendidit, & ambo contrahentes in æquali mora funt, hic in receptione, & ille in traditione equorum; cum altero mox poft initum contractum die uterque delitiofum iter inftituiflet, intra quod tempus equi perierunt. Cuinam ferenda jactura? emptori vel venditori? an utrique fimul?

℞. Quando traditio rei venditæ retardatur ex parte & culpa venditoris & emptoris fimul, & interea res perit, emptor non habet jus agendi contra venditorem; cum ipfemet negli-

gen-

gentiæ reus fit. *Non enim poteft videri mora per venditorem emptori facta esse, ipso moram faciente emptore.* Leg. *Si & per.* 51. ff. Lib. 19. Tit. 1. Hinc foli Martiali ferenda eft jactura duorum equorum. *Pontas.*

CASUS XXV. Juvenalis vendidit Ludovico equum fuum, eumque ipfi tradidit ad capiendum experimentum. Conventum eft, ut, fi capto per octiduum experimento equus arrideret Ludovico hic folvat quindecim duplIones. Equus autem poft quinque aut fex dies in equili Ludovici fulmine necatus eft, & juvenalis exigit a Ludovico pretium equi.

℟. Ludovicus non tenetur Juvenali folvere pretium equi: neque enim ad id obligatur ut depofitarius, qui nunquam tenetur de cafu mere fortuito, ut eft interitus per fulmen illatus; neque obligatur ex emptione, quæ necdum completa effe cenfetur. Leg. *Apud*, 20. §. 1. ff. Lib. 19. Tit. 5. *Pontas.*

CASUS XXVI. Nicomedes negotiator equorum vendit Bartholomæo equum duri oris, aut meticulofum pro 20. florenis: equus tamen, fi huic defectui non effet obnoxius, valeret 80. florenos. Peccatne non declarando emptori defectum equi?

℟. Peccaret Nicomedes contra iuftitiam & veritatem, fi equum absque omni defectu effe affeveraret. Verum cum Bartholomæus non petierit informationem de qualitatibus equi, Nicomedes non tenetur ei manifeftare defectum ejusdem. Si tamen equus occulto laboraret defectu, propter quem inutilis redderetur vel nocivus Bartholomæo, Nicomedes teneretur illatum ipfi damnum compenfare, non obftante diminutione pretii. S. Thomas 2. 2. q. 77. art 3. C. *Pontas.*

CASUS XXVII. Camillus vendit Herculi equum monoculum pro pretio 75. florenorum. Hercules putabat, equum utroque valere oculo. Teneturne Camillus ad aliquam reftitutionem, cum defectum non declaraverit Herculi, qui certe equum non emiffet, aut faltem defectu explorato non plus quam 50. florenos folviffet?

℟. Si pretium, quo Camillus equum vendidit, fuit juftum, juxta S. Thomam ad nullam tenetur compenfationem Herculi, qui fibimet ipfi imputare debet, quod in vitia equi ftudiofius inquirere neglexerit. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Darius vendidit Publio equum debiles habentem oculos pro fumma 50. florenorum, quod iuftum ejusdem erat pretium, non obftante defectu. Sed Publius, qui & ipfe vifu vix pollebat, credidit equum nulli obno-

xium esse vitio. Monitus autem postea ab aliis de defectu equi, petit a venditore, ut equo recepto pretium restituat, vel saltem damnum resarciat. Obligaturne ad id Darius in conscientia?

℟. Darius obligatur in conscientia ad equum recipiendum, & reddendos Publio decepto 50. florenos, vel ad conveniendum cum eo de rationabili damni compensatione: licet enim defectus equi fuerit manifestus, ut talis tamen considerari non potest respectu Publii. *Si emptor*, inquit Sylvius in 2. 2. q. 77. art. 3. *nequiverit vitium advertere, utpote cæcus aut visu debilis, vel si venditor interrogatus de defectu, etiam manifesto, eum occultavit, injustus est contractus. Pontas.*

CASUS XXIX. Joannes vendidit Jacobo amicorum intimo equum notabiliter claudum. Hic equum in equili videns contentus, ob habitam erga venditorem confidentiam non explorat illius vitia, licet peritus admodum esset equorum æstimator. Sciebat Joannes, equum a Jacobo tantum emi pro itinere faciendo, & ad eum finem fore inutilem. Tenetnrue in conscientia Jacobum monere de hoc defectu equi?

℟. Satis clare patet ex pluribus legibus, & ex doctrina D. Thomæ, peccare Joannem contra charitatem, si defectum hunc emptori non detegat; & Sylvius l. c. Concl. 4. bene dicit, venditorem teneri in hoc casu monere emptorem de equi vendendi defectu, &, id ni faciat, eum peccare graviter, etiam contra justitiam, si emptor exinde damnum patiatur. *Pontas.*

CASUS XXX. Herculus vendit Claudio equum laborantem vitio nervorum pro 100. florenis loco 150 quibus constaret sine hoc defectu. Claudio quærenti, utrum equus non sit defectuosus, respondet Herculus, se id non assecurare, seque vendere equum talem, qualis est. Non obstante hac responsione contractus perficitur. Claudius autem post octiduum advertens defectum equi, petit ab Herculo, ut suum recipiat equum, aut se indemnem præstet.

℟. Quamvis vitium nervorum non comprehendatur in tribus casibus, qui vocantur *redhibitorii*, & sunt *Asthma, mucus, obstructio*, nihilominus responsio ab Herculo data Claudio non potest illum coram Deo excusare ab obligatione reparandi damnum ex eo illatum Claudio, quod defectum celaverit, qui ex sola equi inspectione cognosci non poterat. *Si vitia rei, quæ vendenda proponitur, sint occulta*, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. ad 1. *nisi per venditorem manifestentur, non sufficienter committitur emptori judicium; secus autem esset, si essent vitia manifesta.* Verum si venditorem ipsum latebat defectus iste, non teneretur ad ullam indemnitatem emptori præstandam. *Pontas.* CA-

CASUS XXXI. Gastonius vendidit Paulo equum, qui intestino laborabat morbo, aut qui difficilis erat anhelitus. Paulus intentat Gastonio actionem, ut ad equum recipiendum, & reddendum persolutum pretium condemnaretur. Sed pendente lite equus periit. Cuinam illorum ferenda est jactura?

℞. Cum defectus equi locum dederit redhibitioni, equus periit venditori. *Facta redhibitione*, ait Lex *facta*. 60. ff. Lib. 21. Tit. 1. *omnia in integrum restituuntur, perinde ac si neque emptio neque venditio intercessit. Pontas.*

CASUS XXXII. Eduardus vendidit Justino sex equos rhedarios pro summa 600. florenorum, quos in numerata accepit pecunia. Unus equorum erat nimium mucosus, vel difficulter anhelans. Justinus agit contra Eduardum, ut ad recipiendos omnes sex equos, & reddendos 600. florenos condemnetur. Eduardus vero solum ad recipiendum equum defectuosum, & reddendum proportionatum ejusdem pretium se teneri existimat. Quid juris?

℞. Quando inter plures res invicem conjunctas, ut sunt equi rhedarii jugales, in una defectus invenitur ad resolvendum venditionis contractum sufficiens, de tota re venditio rescindi potest; cum æqualiter intersit, tam venditoris quam emptoris, ne ejusmodi res sejungantur. *Cum autem jumenta paria veneunt*, habetur Leg. *Ædiles*. 38. §. 14. ff. Lib. 21 Tit. 1. *edicto expressum est, ut, cum alterum in ea causa sit, ut redhiberi debeat, utrumque redhibeatur; in qua re tam emptori quam venditori consulitur, dum jumenta non separantur. Simili modo & si triga venierit, redhibenda erit tota: & si quadriga, redhibeatur.* Hinc Justinus bene agit ad rescindendum ex integro contractum. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Demetrius vendit Sempronio domum pro pretio 14000. florenorum. Emptor solvit in numerata pecunia 4000. florenos, in contractu se obligans ad solvendum Demetrio singulis annis 500. florenos, donec residua summa 10000. florenorum fuerit persoluta, sub ea conditione, ut ad integram summam solvendam compelli non possit, quamdiu annuam summam persolveret, & ut sibi liberum sit integram summam persolvere, quando voluerit, dummodo Demetrium sex mensibus ante monuerit. An non contractus iste vitiosus est?

℞. Hic contractus est legitimus; quia conditiones appositæ tanquam compars constituunt pretium domus. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Nicostratus emit a Rege Senatoriam dignitatem in Parlamento Burdegalensi pro summa 17500. florenorum. Camillus hanc sibi dignitatem comparaturus Nicostrato postridie, cum ejusdem possessionem cepisset, pro ea

ea offert 20000. florenos. Poteftne Nicoftratus tuta confcientia hoc lucrum percipere ex revenditione dignitatis?

℟. Pretium alicujus dignitatis in primum emptorem translatæ, femper minus effe folet, quam ubi tranfit ad fecundum. Hinc Nicoftratus tuta confcientia poteft hoc lucrum percipere revendendo dignitatem. *Pontas.*

CASUS XXXV. Germanus famofus ac dives frumenti negotiator; non ignarus, quinque aut fex alios ejusmodi negotiatores certo nundinarum die multum frumenti in civitatem advecturos, ubi majori conftat pretio, apte difpofuit, ut frumentum fuum tribus horis ante eo deferretur. Poteftne illud vendere pro currente eo die pretio, quin teneatur emptores monere de afportanda paucas intra horas frumenti copia, & confequenter inftante diminutione pretii?

℟. Videtur, poffe Germanum hac occafione ex induftria fua lucrum percipere, vendendo frumentum fuum eo pretio, quo actualiter eadem hora, qua advenit, vendebatur; quin teneatur declarare emptoribus, magnam adhuc copiam fore fubventuram. Ita S. Thomas 2. 2. q 77. art. 3. ad 4. Eandem fententiam amplectitur Cajetanus una cum Sylvio in citatum art. 3. Hic quatuor hanc doctrinam rationibus probat, quarum præcipua hæc eft: Mercator, qui certo novit, quoddam genus mercium ob fuam raritatem brevi afcenfurum ad fummum pretium, non tenetur modo in confcientia eas merces emere ampliori pretio, quam modo currente; quod evidens eft ex exemplo Jofephi in Æpypto: ergo etiam ille, qui prævidet pretium rerum brevi fore iminuendum, non tenetur eas vendere minori, ac actu currit, pretio. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Diogenes menfe Septembri triginta frumenti fchaphas venales habet; fed quia fcapha tunc non pluris conftabat quam 10. florenis, & ipfe non indigeret pecunia, ftatuit illud frumentum affervare usque ad fequentem menfem Junium, ubi carius vendi folet. Antonius urget illum ad trium fcapharum venditionem, & pretium ad feftum S. Joannis fe perfoluturum fpondet. Diogenes vendit illi tres fcaphas pro 40. florenis fub prætextu, quod prorfus appareat, fe idem aut majus pretium tunc fe poffe recipere. An non ufuraria eft hæc venditio?

℟. Ut author antiquus exiftimat, cujus opufculum reperitur inter opera D. Thomæ Opufc. 73. c. 6., omni vitio caret hæc venditio. Ratio eft; quia Diogenes non ideo præcise majori pretio vendit Antonio frumentum fuum, quia differenda folutio; fed quia valde probabile eft, frumentum eo pretio conftiturum illo tempore, quo id vendere propofuerat. Obfervandum tamen cum Cabaffutio L. 6. c. 9. n. 13. quod

quod si Diogeni persuasum sit, frumentum hoc ad festum S. Joannis non alio quam praecise 40. florenorum pretio constiturum, non possit eodem pretio jam nunc vendere Antonio; quia id incertum est, cum quantitas pretii, quo frumentum tunc constiturum est, dependeat ab eventu modicae vel largae messis. Dein justum ac necessarium est, ut pro ratione periculi, quo jam liberatur, & expensarum in asservationem, conservationem ac translationem frumenti faciendarum eo tempore, quo illud vendere statuerat, pretium minuat. Denique juxta eundem Cabassutium, ut Diogenes absque peccato reservare possit frumentum suum alio tempore carius vendendum, opus est, ut hoc frumentum habeat ex proprio fundo aut ex propriis redditibus, & non ex emptione aut coacervatione expresse eo animo facta, ut multo carius tempore majoris penuriae vendi valeat. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium.* Prov. 11. *Pontas.*

Vide cas. seq.

CASUS XXXVII. Balthasar caupo habet in sua cella vinaria decem cados praestantis vini veteris, cujus unus cadus mense Decembri currentis anni constat 40. florenis. Sed cum praevideret, pretium vini sui duplo majus futurum, statuit illud usque ad Pascha asservare, ingens exinde lucrum facturus. Leander etiam caupo petit ab eo vinum, cui respondet Balthasar, velle se illud asservare adhuc sex mensibus, eoquod sibi persuasum habeat, cadum tunc 80. florenis constiturum. Nihilominus tamen vendit Leandro vinum, & pro cado exigit 70. florenos, quos etiam solvit Leander. Potestne Balthasar tuta conscientia tantum lucrum ex vino suo percipere?

℟. Vix non idem dicendum, quod ad casum praecedentem. Balthasar legitime vendere potuit vinum suum pro 70. florenis; imo juste egit; quia illud asservare voluit ad tempus, quo cadum probabilius pro 80. florenis vendere potuisset. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Sulpitius mercator vendit ordinarie merces suas pluris solutionem differenti, quam numeratam persolventi pecuniam; etsi libentius vellet minore pretio vendere mox solventi, quam majore solutionem differenti. Num peccat?

℟. Cum non intendat majus lucrum sic vendendo, non videtur injuste agere Sulpitius, maxime cum dilationi solutionis frequenter periculum damni annexum sit: dummodo non vendat merces ultra summum pretium. Aliud dicendum foret, si praecise ex indulta debitori ad certum tempus solutionis dilatione lucrum quaereret: hic enim lucrandi mo-

dus exprefse a fummis Pontificibus, Conciliis, ac Patribus reprobatur. *Pontas.*

NOTA. Author hoc loco recte inter titulos excufantes ab ufura ad mittit periculum fortis, quod in Tit. *de Ufura* non recte negat.

CASUS XXXIX. Fulbertus exiguum, quem habuit adamantem, qui juxta judicium prudentum non pluris, quam 100. conftabat florenis, & cujus ille pretium ignoravit, pro 200. florenis vendidit Probo, æque imperito ejusmodi rerum æftimatori, qui illum poftea perito gemmario æftimandum dedit, ex eoque intellexerat, adamantem non plus quam 100. valere florenis. Petit itaque a Fulberto folutos ultra juftum pretium 100. florenos. Teneturne Fulbertus eos reddere?

℟. Bona fides non excufat Fulbertum ab obligatione indemnem præftandi Probum; licet eum a peccato excufet juxta Legem *Si quis.* 36. ff Lib. 45 Tit. 1. ubi dicitur: *Si quis per dolum obligatus eft, competit ei exceptio. Idem eft, etfi nullus dolus intercesfit ftipulantis.* Juxta S Thomam 2. 2 q.100. art. 6. ad 3. Fulbertus, fi lucrum ex adamante perceptum durante bona fide confumpfiffet, quin factus fuerit ditior, ad nullam omnino teneretur reftitutionem. *Pontas.*

NOTA. Hæc non confentiunt cum dictis ad *caf.* 30. Contractus bonæ fidei, præfertim circa res carentes fixo pretio, fic exigenti tranquillitate publica, videntur involvere condonationem erroris reciproci intra moderatos limites dupli.

CASUS XL. Lucilius vendit Sempronio tabulam, cujus pretium ignorat uterque. Julianus venditionis hujus mediator contra confcientiam & veritatem affirmat, illam effe tabulam originalem celebris Titiani. Lucilius & Sempronius Juliani affirmatione freti perficiunt venditionem pro pretio 2000, florenorum. Verum Sempronius poftea in certam devenit notitiam, tabulam illam tantum effe copiam, 30. duplionibus vix conftantem. Jam quæritur, an hic contractus fit validus (num Sempronius poffit exigere compenfationem damni, & a quo?

℟. Contractus eft validus; quia Lucilius & Sempronius vere confenferunt. Nihilominus poteft Sempronius jufte agere contra Lucilium venditorem, & deficiente illo contra Julianum. Verum Lucilius, cui foluta eft fumma 2000. florenorum, primus tenetur ad reftitutionem; Julianus tantum in defectu ipfius. *In contractibus bonæ fidei, fi dolus dat caufam contractui, non per contrahentes, fed per intermediam*

per-

personam, tenet contractus, sed datur actio contra mediatorem. Author Glossæ in cap. *Dilecti.* 3. De empt. & vend. *Pontas.*

CASUS XLI. Martialis vendidit Rollando domum, & hortum teneris frugiferis arboribus consitum pro summa 4500. florenorum. Rollandus durante per quinque annos possessione utiliter melioravit domum majoribus quam sesqui mille florenorum sumptibus. Joannes, qui hæc bona vendidit Martiali, cum nondum percepisset solutionem, sententiam evictionis contra Rollandum obtinuit, & in possessionem rediit. Quare Rollandus postulavit debitam sibi compensationem de melioratione domus; cui Joannes respondit, se ad id non obligari, eumque remisit ad Martialem. Verum hic bonis ut plurimum exhaustus, & ære etiam alieno gravatus prætendit, Joannem teneri ad præstandam Rollando indemnitatem. An prætensio Rollandi indemnitatem exigentis justa est? Et a quonam exigenda est indemnitas?

℟. Certum est, Rollandum pro præstanda sibi indemnitate recurrere posse ad Martialem venditorem suum; quia omnis venditor naturaliter obligatur præstare emptori assecurationem de re vendita. *Sive tota res evincatur, sive pars, habet regressum emptor in venditorem*, ait Lex *Sive*, 1. ff. Lib. 21. Tit. 2. Nihilominus Joannes, cui fundus adjudicatus est, primus obligatur ad compensandas Rollando meliorationes. Hac in re ut plurimum observandum est, quod in æstimatione expensarum in meliorationem fundi ab emptore factarum expensæ istæ conferendæ sint cum fructibus ex fundo meliorato provenientibus, haud dubie auctis: si emolumentum fructuum perceptorum adæquat summam principalem in meliorationem impensam una cum legitimo interesse, emptori post evictionem nulla debetur compensatio meliorationum; quia sic nullum passus est damnum. Si fructus percepti excedunt expensas in meliorationem factas, lucrum est emptoris, utpote bonæ fidei possessoris. Si fructus ante pronunciatam evictionem percepti sunt minores summa in meliorationem impensa, defectus emptori compensandus est; cum æquum non sit, ut adhibita industria ipsi detrimento sit. Hæc omnia legibus conformia sunt. *Pontas.*

NOTA. Meliorationum mere voluptuarium, ac de cætero inutilium nulla debetur compensatio.

CASUS XLII. Leofridus a Basilio emit hortum, ejusque possessionem adiit. Post aliquot menses Alexander obtinuit sententiam evictionis contra Leofridum, qui absque facta Basilio venditori excitatæ turbationis denunciatione convenit

cum Alexandro de una parte indemnifationis pro quibusdam meliorationibus, & postea recurrit ad Basilium, ab eoque residuum damnum sibi resarciri postulat. Teneturne ad id Basilius?

℞. Juxta legem *Si fundo.* 53 § 1. ff. Lib. 21. Tit. 2. Et Leg. *Si dictum* 56. §. 1. ibidem. Basilius non tenetur ad aliquid præstandum Leofrido, qui tanto minus excusabilis est; quia, si denuntiasset Basilio venditori suo turbationem ab Alexandro excitatam, nec tenebatur se defendere, nec a sententia appellare; cum venditori incumberet naturalis assecuratio de omni litis eventu. Leg. *Herennius* 63. §. 1. ibid. *Pontas.*

CASUS XLIII. Cæcilius vendidit Cajo pure & simpliciter obligationem 100. florenorum, quia ipsi tenebatur Mævius, pro 75. florenis. Cajus exigit a Mævio debitum, quem omnino solvendo non esse reperit. Teneturne Cæcilius Cajo restituere 75 florenos?

℞. Si Cœcilius bona fide egit, & nec scripto nec viva voce se obligavit ad aliquam assecurationem, non tenetur in conscientia Cajo restituere perceptos 75. florenos. Quando venditur aliquod jus, venditor non tenetur assecurare nisi realitatem & veritatem juris. Leg. *Si hæreditas.* 1. ff. Lib. 18. Tit. 4. *Pontas.*

Nota. Si Cæcilius scivit notoriam insolubilitatem Mævii, tenetur ex justitia ad restitutionem 75. florenorum.

CASUS XLIV. Germanus constitutum habet censum 500. florenorum in Curia Parisiensi pro 12500. florenis. Rex 31. Augusti decreto sui Concilii præcepit fieri reluitionem omnium ejusmodi contractuum juxta proportionem summæ principalis. Germanus 1 Septembris iturus ad Notarium pro signanda reluitionis quittantia, & recipiendo chirographo, animo summam 12500. florenorum impendendi pro emptione domus, de cujus pretio cum venditore jam convenerat, offendit Imbertum amicum suum. Hic se offert Germano, in continenti se soluturum 12500. florenos, si ipsi cedere vellet suum contractum; imo offert, se daturum quinque pro centum: cogitabat enim Imbertus, se hunc contractum census posse convertere in *Actiones* sic dictas Societatis Indicæ, in qua non recipiebantur nisi similes contractus, aut obligationes status. Germanus, postquam inutiliter tentaverat obtinere octo pro centum, tandem acceptat, quod obtulit Imbertus. Estne hoc lucrum licitum?

℞. Non videtur hoc lucrum approbari posse: omnes enim Canonistæ & Theologi conveniunt in hoc, quod leges latæ a Principe nullum Superiorem recognoscente pro bono Status

&

& Reipublicæ, postquam authentice ac forma debita promulgatæ fuerunt, obligent in conscientia, non minus quam leges Ecclesiæ; & quod ad Principem solum privative pertineat, dare valorem contractibus & constitutioni census, eorum effectus approbare, modum præscribere pro interesse, & determinare omnes conditiones essentiales. Jam vero inter principales conditiones reluitionis seu solutionis quoad hos contractus est, ut nil solvatur ultra summam principalem, nec quicquam ultra eam summam possit exigi vel recipi. Itaque excessus ultra summam principalem, quocumque demum nomine veniat, illicitus est, & injustus. Consequenter Germanus in conscientia tenetur Imberto restituere, quod ultra sortem contractus ab eo acceperat. Id ipsum docet S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. *Pontas.*

Nota. Ipse Princeps tacite mutare videtur taxam talium contractuum, quando devolvuntur ad eas circumstantias, in quibus juxta æstimationem prudentum crescit vel decrescit eorum valor in publico commercio. Adeoque responsio Authoris solum habet locum, quando Princeps talia commercia non tolerat etiam in foro externo, aut saltem ob intrinsecam eorum malitiam vergentem in grave damnum Reipublicæ aut status, & in corruptelam morum tolerare non potest.

CASUS XLV. Adrianus pecuniæ penuria laborans vendit bona fide Marculpho sex jugera fundi per contractum census pro summa 500. florenorum, sub his conditionibus: 1. ut possit Adrianus, si voluerit, redimere fundum seu contractum intra spatium quinque annorum, redditis Marculpho 500. florenis. 2. Ut Marculphus non teneretur deducere de sorte principali fructus ex fundo obtinendos, aut censum ultra sortem percipiendum. Estne justa prima conditio? An non altera sapit usuram?

R. Contractus venditionis reservato jure redimendi initus licitus est, ut probari potest ex Scriptura Levit. 25. & ex legibus civilibus, quæ ejusmodi conventiones permittunt; dummodo res vendita fiat propria emptori, pretiumque persolutum fit proportionatum justo valori rei, ac tempus pro reluitione stipulatum utrique contrahentium sit opportunum: & talis est contractus, de quo agitur; ac consequenter prima conditio non vitiat contractum. Quod attinet alteram conditionem, ea pariter vitio caret: per emptionem enim fundi aut contractus verum emptori aquiritur dominium, & consequenter etiam fructus provenientes. *Si vendidi*, ait S. Raymundus L. 2. Tit. 7. de Usur. §. 6. *tali conditione adjecta, ut quandocumque solvatur pretium a me, vel hærede meo, rehabeam prædium ego, vel hæres meus, quandocumque a septennio usque ad novennium vel simile; numquid est usurarius contractus?*

tractus? Ad quod respondet: *Ad hoc dico, quod non est mutuum, & emptor facit fructus suos sine periculo usuræ licet venditor juxta venditionis formam postea recuperet prædium... nisi in fraudem usurarum facta sit talis venditio.* Si tamen emptor invito venditore posset resilire ab emptione, non amplius foret contractus venditionis, sed verum mutuum, ex quo bae ratione interesse perciperetur. *Pontas.*

CASUS XLVI. Theodatus vendidit Pamelio pratum 25. jugerum pro summa 1000. florenorum, quamvis multo pluris constaret, sub ea conditione, ut intra tres annos illud possit redimere, redditis Pamelio 1100. florenis. An contractus iste non est vitiosus?

℞. Contractus hic est usurarius; quia justus valor rei multum excedit persolutum venditori pretium, & venditor insuper se obligavit ad plus reddendum emptori, quam ab illo acceperat. S. Raymundus ibid. *Pontas.*

NOTA. Deberet in casu exprimi excessus pretii ultra summam 1000. florenorum, ut æstimari possit justitia annui census ex tali venditione fructuum ex parte venditoris redimibili.

CASUS XLVII. Burcardus vendidit Christophoro decem jugera vineæ, reservata sibi facultate redimendi. Christophorus destruxit vineam, & fundum in pratum convertit, qua commutatione redditus dimidio ampliores, quam prius, percepit. Interea obiit Christophorus; & filius ejus hæres unicus ad magnam pecuniæ penuriam redactus, hunc fundum venalem exposuit, eodemque tempore declaravit Burcardo, quod, si vellet fundo recepto persolutum a patre suo pretium reddere, paratus foret cedere fundum, rogavitque eum, ut, si redimere nollet, saltem desistere vellet a clausula de jure redimendi facta. Burcardo in hoc ultimum consentiente hæres Christophori vendidit fundum pretio triplo majori, quam pater ipsius emerat. An non tenetur hæres Burcardo ad aliquam indemnitatem?

℞. Liberum cuilibet est renuntiare juri suo. Hinc filius Christophori ad nullam Burcardo tenetur indemnitatem. Melioratio fundi est effectus industriæ Christophori, quem repræsentat filius: hicque ex industria patris commodum ferre debet. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Eleazarus vendidit Marcellino jugerum prati pro 150. florenis, reservato sibi jure elapsis quinque annis redimendi pratum. Pridie elapsi termini Eleazarus declaravit in debita forma Marcellino, se velle redimere pratum, simulque obtulit solutos sibi 150 florenos. Verum Marcellinus volens adhuc fœnum colligere, variis prætextibus usus

est

est ad eludendam Eleazari declarationem, donec tandem collecto fœno pratum ipsi obtulerit. Sed Eleazarus prætendit, fœnum ad se pertinere. Num justa est hæc prætensio?

℟. Justa esse videtur Eleazari prætensio: obtulit enim se ad redimendum fundum, antequam a Marcellino fœnum collectum fuit. *Pontas.*

CASUS XLIX. Victor Machæropoeus videt in platea duos viros, qui inter se graviter exarsisse videbantur; & duos gladios empturi accurrebant. Potestne, etsi in ingenti pecuniæ inopia constitutus; ipsis gladios vendere, si persuasum sibi habeat, eos gladiis ad confligendum usuros?

℟. Nunquam licet cooperari ad peccatum; hinc absque peccato non potest Victor ipsis gladios vendere in his circumstantiis. Verum si Victor ex levi fundamento dubitaret tantum de abusu gladiorum, eos posset vendere; dummodo suum prius deposuerit dubium.

NOTA. Circumstantiæ casus non præbent ansam dubio solum levi, sed gravi cum periculo abusus certo, cui non licet cooperari absque necessitate vel graviorum malorum pari periculo.

CASUS L. Incolæ in parochia S. Romani ædificari curarunt ecclesiam, & domum parochialem in fundo noviter a se empto; cumque hæc ecclesia careret cœmeterio, voluerunt emere spatium fundi ad Paulum pertinentis pro construendo cœmeterio. Paulus, cum fundum suum vendere recusaret, compellitur a judice ad venditionem, & quidem pretio a viris peritis determinato faciendam. Potuitne judex in conscientia ferre & exequi talem sententiam?

℟. Quando res pertinens ad particularem quempiam necessaria est ad usum publicum, & hic recusat vendere, authoritate Magistratus juste ad id compelli potest. Ob hanc ipsam rationem tempore penuriæ ii, qui frumento abundant magis, quam ad eorum sustentationem opus est, possunt compelli ad vendendum superfluum pro pretio rationabili; prout statuitur *Lege Julia.* 2. ff. Lib. 48. Tit. 12. ubi dicitur: *Lege Julia de annona pœna statuitur adversus eum, qui contra annonam fecerit, societatem coierit, quo annona carior fiat. Pontas.*

CASUS LI. Atticus Abbas vendidit Alano sex jugera Sylvæ altæ ac proceræ dependentis ab Abbatia, animo pretium applicandi ad construendum aliquod ædificium in loco suæ residentiæ, quod necessarium esse arbitrabatur. Potuitne propria authoritate hanc venditionem facere?

℟. Leges tam antiquiores quam recentiores interdicunt Prælatis alienationem ejusmodi bonorum; quo nil sapientius

sta.

ſtatui potuiſſet: niſi enim leges obſiſterent, Abbas non nihil liberior ac immoderatior facile omnes ejusmodi ſylvas, aliaque bona immobilia ad abbatiam pertinentia diſperderet, parum ſollicitus, unde indigentiæ ſuæ futuris temporibus conſulant ſucceſſores. *Pontas.*

CASUS LII. Nobilis quispiam ſub prætextu dilatæ ſolutionis pluris vendit frumentum ſuum, quam vendi ſolet in foro frumentario. An juſte?

℞. Non poteſt ſic vendere; teneturque reſtituere exceſſum pretii. Ejus commiſſarii ac villici non poſſunt operam ſuam conferre ad commercium adeo injuſtum; negandaque eſt ipſis abſolutio, niſi promittant, ſe deinceps partem non habituros in ejusmodi commercio. *De Lamet.*

Nota. Si cum dilatione ſolutionis injunctum foret periculum ſortis, licite exigeretur auctarium pretii. Vide ſupra *Caſum* 38.

CASUS LIII. Quæritur 1. Num lucrum ceſſans ſejunctum a damno emergente ſit titulus legitimus percipiendi aliquid ultra mutuum. 2. Suppoſito, quod legitimus ſit hic titulus, num habitualis diſpoſitio ex pecunia ſua juſtis modis lucrandi eximit ab obligatione reſtituendi, poſtquam innotuit, injuſtum eſſe ultra mutuum quidpiam accipere? 3. Suppoſito, lucrum ceſſans legitimum eſſe titulum, eſtne etiam tunc legitimus, quando mercator mulos emit, eosque pluris vendit, juſto tamen pretio; eoquod præſtandæ ſolutionis dilationem per ſex menſes aut annum concedat; & ſi non recepta elapſo termino dilationis ſolutione intereſſe accipiat? 4. An mercator, qui ante tempus lanam emit, & minoris ſolvit, ac tempore traditionis valeat, tenetur reſtituere, quod juſto deeſt pretio? 5. An ille, qui locatum ſibi gregem morbidum videns eum vendit, ut redactam exinde pecuniam in lucrum convertat, ignorans, lucrum directe ex mutuo proveniens eſſe injuſtum, teneatur ad reſtitutionem?

℞. *Ad* 1. Qui non patitur aliud damnum, quam quod præciſe ſperatum lucrum non ferat, non poteſt ex hac ratione ultra mutuum quidpiam accipere. *Ad* 2 Ceſſatio lucri non eſt titulus legitimus ultra ſummam capitalem quidpiam exigendi, niſi annexum ſit damnum probabile aut proximum. *Ad* 3. Memoratus mercator poteſt indemnitatem recipere pro lucro, quod in caſu propoſito facere impeditur, deductis expenſis, laboribus & periculis, ſi vere habeat animum negotiandi, & induſtriam ſuam adhibuerit elapſo termino ſolutionem percipiendi. *Ad* 4. Mercator, qui ante tempus lanam bona fide emit minoris, ac valet eo tempore, dum lana ipſi traditur, tenetur reſtituere, quod juſto pretio deeſt, niſi incertum dubiumque fuerit, num lana tem-

tempore traditionis pluris minorisve vendenda fit. *Ad* 5. Ille, qui commissum sibi gregem vendidit, ignorans, ejusmodi negotiationem injustam esse, tenetur restituere etiam id, quo non est factus ditior, si ignorántia ipsius crassa fuit, & vincibilis. *De Lamet.*

Nota. *Circa* 1. Periculum sortis præbet justum auctarii titulum. Vide supra Casum 38. *Ad* 2. Ad titulum lucri cessantis in eo, cui & animus & occasio lucri alterius justi in promptu est, non requiritur, ut concurrat periculum sortis. *Ad* 5. A restitutione non excusat ignorantia etiam invincibilis, nisi concurrat præsumptio condonationis.

CASUS LIV. Poteſtne mercator pluris vendere mercem ex eo, quod ipsi differatur solutio?

℞. Mercator committit usuram, si præcise ex eo pluris vendat mercem; quia emptor petit ab eo dilationem solutionis. *Fromageau.*

Nota. Non peccat, si pluris vendit ob lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum sortis.

CASUS LV. Sempronius venditurus agrum suum contiguum agro Proculi, simulat, se eum venditurum cuidam personæ potenti, omnibus suis vicinis infensæ Qua de causa Proculus ipsemet, pacis amans, hunc agrum emit, & quidem summo pretio.

℞. Contractus hic est validus; quia simulatio & fraus non afficiunt ipsam rem venditam: sicut enim frequenter accidit, ut mercatores varias technas, imo & mendacia adhibeant ad carius vendendas merces, & tamen ejusmodi contractus venditionis sint validi; ita etiam, etsi Sempronius male egerit simulatione utendo, ut tacite majus extorqueret pretium, contractus tamen cum Proculo initus est validus. C B.

Nota. Licet contractus iste subsistat quoad substantiam, cum tamen quantitas pretii fundetur in fraude ac dolo, quoad hoc injustus est: & hinc pretium diminui ac reduci debet ad arbitrium viri prudentis.

CASUS LVI. Mercator quidam cum conquestus fuisset, se plurima habere debita activa, quin vix ulla spes appareat obtinendæ solutionis, Titius sese offert ad emenda omnia debita, dummodo levi ea pretio vendere velit mercator. Licitene?

℞. Potest ea emere, supposito quod solvat pretium, quo valent juxta æstimationem ordinariam. Ratio est; quia justum pretium rei non debet desumi ex eo, quod res valet ven-

venditori, nec ex industria & habilitate emptoris, sed ex eo, quod communiter in talibus circumstantiis judicatur valere res. Jam supposito, quod mercator non habeat magnam spem obtinendi summam sibi debitam, certum est, hanc summam minoris æstimari; & consequenter Titium licite eam emere posse leviori pretio. Excipitur tamen casus, quo Titius esset unus ex præcipuis debitoribus, & studiose distulisset, solvere debitum, ut illud dein possit emere minori pretio. Et hæc opinio communis Doctorum est. C. B.

CASUS LVII. Seius mutuos dat Livio 100. florenos ad decem annos. Ambo conveniunt, ut, si unus eorum intra terminum præfixum moriatur, mutuatarius sit solutus debito; si vero ambo vitam protrahant ultra præfixum terminum, mutuatarius quidpiam solvat ultra fortem.

℞. Contractus iste est licitus, si id, quod mutuatario est solvendum ultra fortem, taliter est determinatum, ut uterque in æquali periculo perdendi, & æquali spe lucrandi sit constitutus. Ratio est; quia ambo sunt incerti de eventu. Jam, si periculum perdendi, & spes lucrandi ex utraque parte æqualis est, contractus iste habet omnes qualitates eum licitum reddentes. C. B.

CASUS LVIII. Emptores cum solvere recusarent pro merce, quod petiit mercator, hic mentitur, & falsum jurat affirmando, sibimet ipsi hanc vel illam mercem pluris constitisse: unde evenit, ut emptores augeant pretium ab initio oblatum. Jam quæritur 1. Utrum mercator tuta conscientia possit recipere hoc augmentum pretii? 2. Utrum fraudem & technas adhibens ad inducendos emptores, ut solvant summum pretium, quod tamen supponitur esse justum, teneatur ad restitutionem emptoribus?

℞. *Ad* 1. Si hoc augmentum excedat limites justi pretii, mercator non potest tuta conscientia illud retinere; quia inter datum & acceptum non amplius reperitur æqualitas, quam exigit justitia commutativa. Si vero hoc augmentum non excedat limites justi pretii, illud retinere potest; &, licet peccet mentiendo & pejerando, non peccat tamen hoc pretium recipiendo: ex una parte enim ejusmodi technæ in mercatoribus jam sunt cognitæ, ita, ut emptores sibimet ipsis imputare debeant, si induci se sinant; ex altera parte receptum est æquale dato. *Ad* 2. Mercator talis tenetur emptoribus ad restitutionem; sive quia emptor hac ratione inductus ad solvendum summum pretium non censetur consensisse in hunc contractum; sive quia hoc modo agendi læditur jus emptorum, quod habent, emendi infimo pretio apud alios mercatores. C. B.

NOTA.

Nota. Tales nundinarii plerumque utuntur æquivocatione: vere enim contrahunt cum mercatore ſummo pretio in merces ſingulas, ſed mercator illis condonat quintam, quartam aut omnino tertiam ſolutionis partem; & ideo dicendo verum peritis notorium non tenentur ad reſtitutionem. Peccant tamen graviter jurando æquivoce ſine coactione notorie injuſta.

CASUS LIX. Titius locavit domum Cajo, & durante tempore locationis eam vendit Petro, quin ulla in contractu mentio facta fuerit redditunm extraordinariorum domui annexorum. Ad quem pertinent iſti redditus?

℞. Dividendi ſunt redditus iſti ad menſuram & proportionem temporis, quo ambo, venditor ſcilicet & emptor domum poſſederunt. C. B.

Vide *Caupo. Commercium. Contractus. Emptio. Officiales. Uſura.*

VERBERATIO.

Sermo hic eſt de punitione, qua infantes a parentibus, uxores a maritis, & domeſtici ab heris ſuis ex merito quandoque efficiuntur. Videre erit, licet non nunquam verberibus utendum, dum verba ac comminationes nil efficiunt, periculoſum tamen eſſe, regulariter loquendo, hunc in modum caſtigare ſubditos; quia perraro id fit cum debita charitate ac juſta moderatione, ac conſequenter ſine peccato, etiſi ejuſmodi punitio inchoetur ex optimo motivo.

CASUS I. Quintinus habet domeſticos inobedientes ac vitæ diſſolutæ, quos ſeveriſſimæ ac iteratæ increpationes ad frugem non reducunt.

℞. Abſque ullo peccato poteſt eos verberibus caſtigare; dummodo id non fiat in æſtu iræ, aut ex motivo odii. Nihilominus tamen nollim id ipſi conſulere. *Pontas.*

CASUS II. Ladislaus ſervans inviolatam tori fidem uxori ſuæ comperit, adulterinum eam fovere commercium. Hinc cum ſeriæ commonitiones nil effecerint, tentavit eam emendare verberibus.

℞. Si eam ſic caſtigat cum moderatione, & abſque omni impetu iracundiæ, quod tamen in praxi admodum difficile eſt, non peccat. Prudentis tamen certo non eſt, hoc uxoriæ emendationis medium marito ſuggerere. Parlamentum Divionenſe 6. Martii 1597. edidit Edictum, vi cujus maritus quidam ad mulctam 200 florenorum fuit condemnatus, eoquod verberibus affeciſſet conjugem ſuam, injuncta ſimul inhibitione relapſus. Edictum hoc fundabatur in privilegio a Du-

cibus Burgundiæ olim concesso uxoribus, vi cujus a verberibus maritorum immunes esse debebant. *Pontas.*

VESTITUS LAICALIS.

Agitur hic præcipue de usu vestium alterius sexus, qui plerumque peccaminosus est; licet quandoque ex rationabili causa possit esse licitus.

CASUS I. Senatores, nobiles, aliique dignitate eminentiores deferunt vestes longe pretiosiores ac alii cives.

℟. Non peccant, nisi excedant congruentiam status, aut ex mera ostentatione externam eminentiam affectent, & contra legem provincialem pannis ac ornamentis extraneis utantur. *Ne dignitatis authoritas veniat in contemptum,* ait S. Thomas, *& ad reverentiam authoritatis inducendam licitum est, ut secundum modum propriæ personæ pretiosis utatur; sed peccatum est, si proprium modum excedat. Pontas.*

CASUS II. Gilberta Argentorato profectura Parisios capiendæ hæreditatis causa, ne in manus militum in Alsatia commorantium incitat, induit se veste virili rustica, & sic vestita iter peragit.

℟. Non peccavit: licet enim sit de genere prohibitorum assumere vestes alterius sexus, potest tamen juxta S. Thomam id quandoque fieri absque peccato, causa scilicet necessitatis; ut si mulieres sub veste propria sexus incurrerent periculum violandæ castitatis, aut si quis non haberet aliam vestem ad tegendum corpus, aut denique dum quis alio modo salvare non potest vitam vel libertatem propriam vel proximi. *Pontas.*

CASUS III. Non nemo officinam promercalium vestium possidet, ex qua non sine copioso quæstu populo, nobilibus, Principibus & Aulæ suppeditat vestes ad lusus Bacchantium idoneas pro theatro aliisque solemnitatibus profanis. Poteftne continuare hoc negotium?

℟. Licet ejusmodi vestes ludicræ occasionem proximam præbeant offendendi Deum, venditio tamen harum vestium peccaminosa non foret, si intra convenientes honestæ eutrapeliæ limites contineretur. Qui ex ejusmodi negotiatione quamvis illicita lucrum fecit, non tenetur ad restitutionem. *Fromageau.*

CASUS IV. Matrona quædam ad venationem se confert virili veste induta. Num licite?

℟. Licite sic incedit, si virum comitem, eique sic placendi intentionem habeat; oportet tamen, ut vestis muliebris saltem partem retineat, ex qua semper sexus dignosci possit.

In-

Interea si fors periculum incurreret excessiva hac exercitatione se se lædendi, & ad procreandas proles ineptam reddendi, a venatione prorsus abstinendum foret, rogandusque maritus, ut aliam ipsi indulgeat relaxationem minus defatigantem, sexuique magis convenientem. *De Lamet.*

CASUS V. Licetne viro induere vestes muliebres, & mulieri vestes viriles, & sic occultare sexum?

R. Ejusmodi mutatio vestium ex natura sua mala non est; immo casu necessitatis licet sic sexum dissimulare. Nihilominus ex suo genere involuit quamdam indecentiam & deordinationem; & licet hæc deordinatio non semper constituat peccatum mortale, semper tamen annexum habet periculum, dum fit solum animo capiendi exinde voluptatem ac delectationem. Peccat quis mortaliter, si aliena veste sexum suum occultet ex intentione prava, aut se periculo exponat peccandi contra pudicitiam, aut proximo sic peccandi occasionem præbeat. Ordinarie ejusmodi simulatio sexus alterius ope vestium nunquam permittenda est. *Fromageau.*

Vide *Habitus Clericalis. Larvatus. Ornatus muliebris. Vestitus muliebris.*

VESTITUS MULIEBRIS.

1. Plane non nisi gemitus coram Deo edere licet consideranti vanos Nobilium mundi, maxime mulierum, ornatus, & novos identidem se se vestiendi modos. Id præprimis dolendum, quod nulla propemodum honestatis, pudoris ac verecundiæ ratio habeatur, dum jam passim in nudatis mulierum ac puellarum pectoribus incentiva libidinis tum propriæ quam alienæ legere & videre est. Et hæc quidem nulla ratione, nullaque consuetudine cohonestari possunt, etiam universali; neque ut castæ fœminæ habendæ sunt, quæ sic vestitæ, aut verius non vestitæ, in publico comparent ac quorumvis indiscriminatim se se oculis exponunt.

2. Sunt & alia circa vestes mulierum, quæ non ita inhonestatem, ut prodigalitatem, vanitatem & sæculi stultitiam spirant. Et hæc si homo privatus reformare aggrederetur, temeritatis argueretur, ob conatum licet pium, certe tamen frustraneum: fœminæ enim etiam modestiores conformare se debent usui communiter recepto, nisi nota singularitatis insigniri ac mundanorum effœminatorum exsibilationi exponere se se velint; licet & id non nisi successive, per gradus, & quam tardissime fieri deceat.

CASUS I. Agapia uxor cujusdam Magnatis pectore incedit nudato juxta receptam aliarum illustrium fœminarum consuetudinem. An a peccato excusari potest, si aliam intentionem non habeat, quam ut placeat marito, & aliarum suæ conditionis fæminarum morem sequatur?

℟. Consuetudo ordinarius prætextus est; quo libertini se, suamque vitæ licentiam excusare solent. Quidquid prohibitum est jure naturali aut divino, consuetudine contraria licitum fieri nunquam potest; licet consuetudo justis ex caussis derogare possit juri positivo humano novam obligationem imponenti. His præsuppositis patet, Agapiam & quamcumque fœminam denudato sinu in publico comparentem non posse cohonestare nuditatem suam, aut a peccato excusare prætextu consuetudinis, aut cujusvis demum rationis. *Si de usu patriæ est*, ait S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. Tit. 4. c. 5. §. 3. *ut mulieres deferant vestes versus collum scissas & apertas usquo ad ostentationem pectoris & mamillarum... valde turpis & impudicus est talis usus; & ideo non servandus.* Clemens Alexandrinus Pædag. L. 2. c. 2. eodem modo loquitur: *Nullo modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur; hi quidem, ut ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant. Pontas.*

NOTA. Hæc consuetudo vel potius corruptela saltem aptissima est ex apprehensione personarum cujusvis conditionis ac status ad excitandas impuras cogitationes, obscœnas imaginationes, delectationes morosas & prava desideria: per oculos enim maxime intrat mors in animam.

CASUS II. Leocadiæ nobili fœminæ ad sacram Synaxin pectore valde denudato, ac genis fucatis accedenti parochus publice denegavit sacram Communionem; ast ea ob publicam prostitutionem & scandalum querelam movit parocho. Estne parochus vere coram Deo reus scandali?

℟. Sola Leocadia rea est scandali & prostitutionis suæ, non parochus, qui juste egit ad ædificationem populi, & juxta exigentiam muneris sui. *Mulieres*, inquit S. Carolus Act. Mediol. part. 4. instruct. de Sacram. Euch. *non accedant fuco aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut ne præter faciem quidquam cernatur.*

NOTA. Videtur tamen, quod parochus prius debuisset monere ejusmodi fœminam, ne accedat in hoc habitu ab humilitate Jesu Christi, & a reverentia Sacramento debita alienissimo. Quod ipsum

l. c.

l. c. Innuit S. Carolus, dum ait: *Hæc parochus præmonebit & curabit, ut summa reverentia fideles accedant & sumant.*

Vide *Missa.* Cas. 46. *Ornatus mulieribus.*

VETERANUS.

Veteranus, seu emeritus in Gallia dicitur Minister Forensis, qui per spatium temporis a Constitutionibus præfixum, quod est annorum viginti, munus suum obiit, & qui per literas ex Cancellaria obtentas retinet gradum honoris, jura honoraria, & privilegia, quibus antea gaudebat, dum actu suum exercebat officium. Judex veteranus, seu emeritus jus habet assistendi judiciis, ibique suum dandi suffragium ad lites decidendas. Verum ibi præsidere non potest.

CASUS. Aristobulus exactis novemdecim annis in officio judicis censet, se prorsus esse ineptum ad hoc officium; jamque ipsi consilium datum est a confessario, ut illo se abdicet. Nihilominus libenter illud per unum adhuc annum retineret, ut postmodum impetret literas ac privilegia Veterani. An tuta conscientia suum retinet officium?

℟. Si Aristobulus vere sibi persuasum habet, se esse incapacem ad hoc officium, tuta conscientia non potest illud retinere adhuc per annum: nemini enim licet adminstrare officium, aut prosequi munus cujuscumque demum generis, cujus obligationibus satisfacere nequit; id quod vel maxime dicendum de officio judicis, ex cujus sæpe arbitrio pendent bona, honor, & vita privatorum. Dein privilegia veterani ex intentione Principis solum debentur iis, qui per viginti annos digne ac utiliter officium judicis obiere, bonumque Reipublicæ promoverunt. *Pontas.*

VIATICUM.

Vide *Communio sacra. Eucharistia.*

VICARIUS.

1. *Vicarius* communiter dicitur ille, qui exercet functiones pastorales aut ecclesiasticas loco alterius, cui naturali quadam officii vel obligationis ratione eædem incumbunt. Talis est vicarius generalis Episcopi, vicarius parochi &c. quorum prior, vicarius scilicet Episcopi nomine Prælati sui per totam diœcesin exercet functiones jurisdictionem voluntariam concernentes; sicut Officialis, qui in jure etiam dicitur

tur vicarius Episcopi, exercet jurisdictionem contentiosam; postremo autem in absentia aut defectu parochi exercet functiones parochiales.

2. Duplex distinguitur genus vicariorum: alii enim sunt *temporales*, qui ad certum dumtaxat tempus instituuntur, quamdiu scilicet eos retinere placuerit illi, cujus vices obeunt, & cujus nomine potestatem sibi concessam exercent, alii sunt *perpetui*, quorum vicaria potestas fundatur in titulo canonico irrevocabili.

3. Vicarii perpetui suam originem trahunt a Concilio Lateranensi quarto, a quo loco vicariorum amovibilium instituti fuerunt per titulum canonicum in omnibus Beneficiis annexam habentibus curam animarum, neque iis exceptis, quæ cuique Communitati incorporata erant.

4. Quod attinet ad vicarios amovibiles, ad Episcopum pertinet judicare, an quosdam necesse sit in parochiis instituere; & horum nominatio pertinet ad vicarios perpetuos.

CASUS I. Claudianus Episcopus Oleronensis, propter quædam negotia suæ diœcesis Parisiis commorans, cum comperisset, Vicarium suum generalem obiisse, statim scribit ad Georgium Doctorem Parisiensem, eumque constituit Vicarium generalem cum potestate etiam Beneficia conferendi toto eo tempore, quo ipse se detenturus esset Parisiis; additque, se brevi missurum literas commissorias vicariatus. Duobus aut tribus post diebus vacat quædam parochia per mortem parochi. Gerbertus patronus ad eam præsentat Bertinum, & Georgius tanquam Vicarius, & vi potestatis ab Episcopo sibi factæ acceptat præsentationem. Estne saltem valide de hoc Beneficio provisus Bertinus, maxime in foro interno, juxta hanc regulam: *verbo fit gratia?*

℟. Vicarius generalis non potest institui absque literis vicariatus commissoriis debita forma confectis, signatis ab Episcopo & duobus testibus, ac in publicum tabularium ecclesiasticum relatis. Hinc, cum Georgius tantum per literas privatas Episcopi, & viva voce fuerit institutus, revera non erat Vicarius generalis: & consequenter provisio & collatio parochiæ facta Bertino nec est canonica, nec valida, etiam in foro interno. Quod hic dicitur de institutione Vicarii generalis, etiam de ejusdem revocatione intelligendum est, quæ pariter in scripto fieri, significari personæ, & tabulario ecclesiastico ingeri debet. De cætero quam primum Vicarius generalis habet notitiam suæ revocationis, etiam quoad forum internum non amplius ipsi permissum est, ut quocumque demum modo se se immisceat negotiis gubernationem diœ-

diœcesis concernentibus; etsi acta revocationis ipsi in forma ordinaria significata necdum fuerint.

NOTA. De jure communi valida est institutio hujus parochi; quia a Vicario generali non proprio nomine facta est, sed nomine & authoritate Episcopi. Memoratæ formalitates ac solemnitates extra Galliam vix ullibi in usu sunt.

CASUS II. Rathardus Archiepiscopus Armacanus propter persecutionem ex Hybernia se se recipere compellebatur; navis autem, cui se commiserat, a piratis Africanis capta & abducta, ipse vero in servitutem abstractus est. An per hoc exspirat potestas constituti ab eo Vicarii generalis?

℞. Potestas Vicarii generalis solum exspirat per revocationem, vel per mortem naturalem aut civilem Episcopi. Cum autem Episcopus Armacanus per captivitatem mortem civilem non incurrerit, potestas Vicarii generalis non exspirat: quamvis enim servitus proprie dicta morti civili æquiparetur, id tamen juxta Fagnanum dici non potest de captivitate, in quam Christiani injuste ac violenter a paganis, Turcis, infidelibus aut hæreticis abripiuntur; cum id in nullo Canone reperiatur expressum. *Pontas.*

CASUS III. Bernardinus Vicarius generalis abeunte suo Episcopo in provinciam exteram ac in itinere mortuo, per integrum mensem non accepit de ejus morte nuntium; & interea plura contulit Beneficia, literas concessit dimissorias, aliasque functiones officii sui exercuit. An omnia hæc ejus acta intra hunc mensem valent?

℞. Verum quidem est, potestatem Vicarii generalis exspirare per mortem Episcopi; nihilominus tamen omnia Bernardini acta, etiam collationes Beneficiorum, & concessiones literarum dimissoriarum, si specialiter hæc ipsi potestas fuit commissa ab Episcopo, sunt habenda pro validis: quamdiu enim mors Episcopi fuit incognita, tamdiu Bernardinus publice habebatur pro Vicario generali; & Ecclesia in ejusmodi eventibus censetur supplere, quod tantum est de jure humano, ad conservandam tranquillitatem conscientiarum, evitandas lites, ac removenda scandala, quæ alias oriri possent. *Pontas.*

CASUS IV. Aristophanes Vicarius generalis Spirensis admisit permutationes Beneficiorum, & resignationes parochiarum, quin specialem ab Episcopo potestatem habuerit conferendi Beneficia. Potuitne sic agere?

℞. Eadem requiritur potestas ad recipiendam resignationem, & admittendam permutationem, quæ requiritur ad conferenda Beneficia: ejusdem namque potestatis est exuere, cujus est investire. Hinc Aristophanes non potuit in casu pro-

posito admittere permutationes, nec recipere resignationes. *Pontas.*

CASUS V. Archilochus Vicarius generalis vi specialis potestatis conferendi Beneficia ab Episcopo sibi factæ contulit parochiam vacantem Gabrieli; & Episcopus hujus collationis ignarus eandem contulit alteri. Cujusnam collatio est legitima?

℟. *Propter conferentis ampliorem prærogativam*, ut ait Bonifacius VIII. Cap. *Si a Sede*. 31. Lib 3 Tit. 4 in 6. prævalet collatio facta ab Episcopo. Rebuffus addit aliam rationem: dum scilicet Episcopus ipse contulit Beneficium, censetur saltem pro hac vice revocasse potestatem Vicarii generalis, eadem ferme ratione, qua procuratori ad pertractandum negotium nominato censetur revocatum esse mandatum, dum Principalis ipse causam agere incipit *Pontas.*

CASUS VI. Archippus Vicarius generalis Archiepiscopi Capuani ob negotia domestica invito Archiepiscopo profectus est Neapolim. Ibi que exercuit quosdam actus jurisdictionis voluntariæ Archiepiscopus brevi post ejus abitum servata debita forma revocavit potestatem illius. Valentne actus exerciti ab Archippo, antequam facta revocatio ipsi innotuit?

℟. Potior ac sanior pars Canonistarum censet, hos actus jurisdictionis voluntariæ esse validos. Cabassutius L. 1. c. 13. n. 15 ait: *Quamdiu aliquis, quantumvis perversus, sustinetur in officio: valent ejus acta, ut communiter docent juris interpretes. Pontas*

CASUS VII. Nemesius Vicarius generalis obortis sibi cum Episcopo controversiis, ab eo viva voce fuit privatus suo officio, sed clam aliis. Nemesius hoc non obstante approbavit quosdam confessarios, aliosque actus suæ jurisdictionis exercuit. Num valent omnia ista?

℟. Revocatio hæc, cum palam ac publice non innotuerit, non extinquit jurisdictionem Nemesii, ab omnibus adhuc habiti pro Vicario generali. Hinc omnia, quæ post revocationem hanc secretam ac verbalem tantum egit, sunt habenda pro valide ac canonice actis. *Pontas.*

CASUS VIII. Pantaleon Vicarius generalis nominatus ab Adolpho, qui ad Sedem Episcopalem promotus a Rege regioque diplomate jam instructus erat, plures confessarios approbavit, aliosque actus jurisdictionis voluntariæ exercuit; licet Adolphus Sedis episcopalis possessionem nondum ceperit, nec Pontificias Roma Bullas acceperit. Valentne hæc acta a Pantaleone?

℟. Nomi-

℟. Nominatus ad Episcopatum, & solo diplomate regio instructus non potest Vicarium generalem constituere pro spirituali regimine dioeceseos, cum ipsemet taliter nominatus in Episcopum non possit ullam jurisdictionem in spiritualibus exercere juxta Concordata gallicana, priusquam Bullas Pontificias obtinuerit. Hinc institutio Pantaleonis in Vicarium generalem nulla est, ejusque acta invalida; cum solius Vicarius generalis ac Officialis Capituli jurisdictionem spiritualem, tam voluntariam quam contentiosam exerceant Sede vacante. Certum tamen est, quod Episcopus, quamprimum Bullas Pontificias obtinuerit, pleno jure potestatem episcopalem exercere, ac unum aut plures Vicarios generales constituere possit, etiam antequam possessionem adiit. *Pontas.*

Nota. Hæc denuo peculiaria sunt regno Galliæ. In Germania plerumque, dum eligitur Episcopus, comparet in loco Nuncius Apostolicus, qui ut legatus Pontificius mox post electionem confirmat electum.

CASUS IX. Pomponius parochus obiit; Leonardus vicarius ejusdem hoc non obstante functiones parochiales obit, ut ante mortem parochi. Habetne hanc potestatem?

℟. Leonardus non potuit post mortem Pomponii amplius assistere matrimoniis, cum Concilium Tridentinum id solum permittat in præsentia proprii parochi, qui utpote mortuus non potest amplius delegare hanc potestatem. Potest tamen Leonardus confessiones excipere, ut prius; quia approbatio ab Episcopo obtenta semper subsistit. *Pontas.*

Nota. Præter approbationem etiam opus est jurisdictione, quæ per mortem parochi delegantis exspirat. In Germania post mortem parochi mox Decanus Capituli, ad quod pertinet parochia, authoritate Episcopi committit potestatem exercendi omnes functiones parochiales vel capellano defuncti parochi, vel alteri sacerdoti approbato ab Episcopo, donec novus instituatur parochus.

CASUS X. Leonardus vicarius in quodam pago dependente ab aliqua parochia uno milliari dissita cum fuisset infirmatus, functiones parochiales sibi incumbentes committit alteri sacerdoti, idque inconsulto parocho loci. Potuitne id fieri valide?

℟. *Delegatus* quidem *delegare non potest*, ut habet tritum illud juris; nihilominus tamen in casu præsente juxta D. Thomam quodlib. 12. art. 31. præsumendum est, parochum Vicario suo Leonardo tacitum dedisse consensum, ut possit per alium obire functiones sibi commissas, quas personaliter obire non posset. Hinc Leonardus licite & valide potuit alteri presbytero committere functiones, quas ipse exercere ob infir-

infirmitatem non potuit. Omnes autem prorfus functiones eidem committere non potuit fine confenfu & approbatione parochi. *Pontas.*

CASUS XI. Epifcopus quidam Vicario fuo generali delegavit poteftatem in quibusdam cafibus difpenfandi fuper certis matrimonii gradibus. Potuitne Epifcopus hanc poteftatem delegare?

℟. Potuit; & fi Epifcopus poft duos fuorum prædeceffsorum eft in poffeffione difpenfandi hac in re, poteft id continuare; licet melius & confultius faceret, fi Romam mitteret ad explorandam mentem Pontificis. *Fromageau.*

CASUS XII. Vicarius quidam generalis jam per quadraginta annos adminiftravit diœcefin ampliffimam, eamque actu adminiftrat Sede vacante. Quam primum autem novus electus fuerit Epifcopus, fuo fe abdicare officio cogitat. Num tuta confcientia fuum dimittit officium?

℟. Communiter loquendo poteft illud dimittere, propofitis Epifcopo motivis fuis, & petita dimiffione. Si tamen adhuc idoneus fit ad gerendum cum fructu officium iftud, novusque Epifcopus eum dimittere nolit, divinam in hoc voluntatem adoret, humiliterque fe fubmittat, ac idoneum virum ab Epifcopo fibi adjungi poftulet, quem fibi fucceflorem efformet. *Fromageau.*

CASUS XIII. Poteftne Epifcopus presbyterum omni deftitutum officio cogere, ut tanquam vicarius derelictam parochiam adminiftret?

℟. In rigore loquendo poteft Epifcopus talem cogere, etiam fub pœna fufpenfionis. Si tamen presbyter talis graves rationes haberet id recufandi, easque Epifcopus audire aut acceptare nolit, ab Epifcopi mandato appellare debet. *Fromageau.*

Vide *Collatio Beneficii. Dimifforiæ. Excommunicatio.*

VIDIMATIO.

1. Per *Vidimationem* feu *Vifa* intelliguntur litteræ, in quibus Ordinarius teftatur, vifas a fe fuiffe provifiones ad Beneficium Roma obtentas, provifumque in examine doctrinæ ac morum *idoneum fuiffe repertum* ad poffidendum Beneficium eique inferviendum; & hæc claufula neceffario dictis litteris inferenda eft, ita ut vidimatio ad provifiones Romanas *in forma dignum* conceffa abufiva cenfeatur, fi in ea non denotetur, provifum fuiffe examinatum, & idoneum judicatum.

2. Abs-

2. Absque prævia vidimatione Beneficiarius non potest possessionem sumere Beneficii; quin se intrusionis reum faciat, & Beneficium ipsius pro vacante habeatur.

3. Quando Episcopi aut Vicarii generales vidimationem proviso dare renuunt, tenentur ad scripto declarare, expressa simul causa recusationis.

4. Possessio Beneficii solum civilis a judice sæculari obtenta nullum prorsus tribuit jus exercendi functiones spirituales; donec & Episcopus concesserit vidimationem, aut eo recusante Superior immediatus.

5. Provisus Beneficio, si ipsi ab Episcopo, Metropolitano ac Primate vidimatio denegata fuerit, non poterit amplius agere contra istam triplicem denegationem, nec unquam sententia judicis sæcularis habebit rationem aut effectus vidimationis episcopalis.

6. Etiam provisi *in forma gratiosa*, etsi misso prius Romam testimonio Episcopi de vita, moribus ac doctrina provisiones obtinuerint, nec a Papa se denuo sistere Episcopo jussi fuerint pro examine, tenentur se præsentare Episcopo, in cujus diœcesi Beneficium situm est, observatis insuper omnibus aliis formalitatibus ordinariis, maxime si Beneficium sit curatum.

7. Beneficio provisus potest illud resignare etiam *possessione non accepta*, nec obtenta vidimatione; & propterea exorta lite de titulo Beneficii nunquam attenditur ad diem datæ vidimationis, sed solum ad diem obtentæ provisionis.

CASUS I. Aichardus acolythus jussu Episcopi, qui eum ad statum clericalem minime vocatum judicabat, ex episcopali seminario, ubi per octo menses se retinuit, ejectus est. Verum elapsis tribus mensibus obtinuit in Curia Romana parochiam suo a patruo sibi resignatam; quapropter ab Episcopo provisionis vidimationem petiit, quam tamen Episcopus dare recusavit, eum ob morum perversionem ad recipiendos sacros Ordines indignum reputans. Hinc Aichardus Metropolitanum adiit, & ab eo vidimationem impetravit; sicque parochiæ possessionem adiit. An Episcopus juste vidimationem denegavit? Num Metropolitanus vidimationem absque peccato indulgere potuit? An Aichardus salva conscientia retinere potest parochiam?

℟. Episcopus juste potuit, immo debuit denegare vidimationem ejecto ex seminario Aichardo. Metropolitanus tuta conscientia non potuit statim Aichardo concedere vidimationem merito denegatam ab Episcopo; debuisset potius eum remittere suum ad Episcopum ad probandam illi suam innocentiam, & ni intra definitum tempus sufficientes inno-

innocentiæ probationes attulerit, absque vidimatione eum dimittere. Aichardus denique parochiam, cujus possessionem contra canones adiit, tuta conscientia retinere non potest. Responsio hæc fundatur in quadam declaratione Congregationis Cardinalium Concilii interpretum, quæ videri potest in Bullario magno Tom. 2. pag. 111. *Pontas.*

CASUS II. Cordulphus presbyter obtento in Curia Romana Beneficio curato resignato petiit ab Episcopo suo vidimationem provisionis, quam tamen non impetravit; eo quod ab Episcopo examinatus ad septem quæstiones in materia Sacramentorum ineptissime responderit; quod motivum etiam in instrumento recusationis allegatum fuit. Verum Cordulphus convertit se ad Metropolitanum, a quo examinatus satis idoneus inventus est, sicque vidimationem obtinuit, vi cujus & Beneficii possessionem sumpsit. An Metropolitanus tuta conscientia Cordulpho vidimationem concedere potuit?

℟. Metropolitanus non habet jus de novo examinandi jam examinatum & rejectum a suo Suffraganeo; nisi ipsi certo constet, eum ab Episcopo injuste fuisse rejectum, aut in tentamine quæstiones fuisse propositas circa objecta curam pastoralem aut Clericum vel sacerdotem non attingentia. Totum igitur, quod Metropolitanus hoc in casu agere potuisset ac debuisset, consistit in hoc, ut Cordulphum ut male appellantem a sententia sui Episcopi ad eundem sine vidimatione remitteret. *Pontas.*

CASUS III. Cleoricus Episcopus justam habens rationem dubitandi de probitate morum Alphonsi, qui in Curia Romana de parochia sibi resignata provisus *in forma dignum* vidimationem petierat, eum per octo menses ablegat ad seminarium episcopale. An Alphonsus, qui re ipsa est innocens, & solum per calumniam inimicorum apud Episcopum diffamatus, tenetur obedire, & se exponere periculo amittendi parochiam, posito quod resignans intra sex menses in actuali adhuc possessione parochia moriatur, antequam ipse ejusdem possessionem cepisset? Num poterit recurrere ad Metropolitanum?

℟. Alphonsus, etsi innocens, tenetur obedire suo Episcopo, cui jus est tentandi probitatem morum ipsius in seminario; quod medium ordinarium ac legitimum est, quod in ejusmodi circumstantiis adhibere potest Episcopus. Metus propterea amittendi parochiam inanis est: non enim necessario requiritur, ut publicatio resignationis fiat per aditionem possessionis Beneficii; sed sufficit, si probari possit, aditio-

tionem possessionis legitime impeditam, & vidimationem provisionis fuisse petitam. *Pontas.*

CASUS IV. Reinerius presbyter diœcesis Burdigalensis parochia provisus in Curia Romana petitam a suo Archiepiscopo vidimationem impetrare non potuit, idque, ut ipse quidem ajebat, ob injuste & absque omni causa aversum Archiepiscopi a se animum. Verum Reinerius a supremo tribunali sæculari facultatem obtinuit ad primum provinciæ Episcopum recurrendi, a cujus Vicario generali vidimationem consecutus parochiæ possessionem adiit. Validane est hæc vidimatio, & aditio possessionis canonica?

℞. Vidimatio hæc nullius est valoris, nec aditio possessionis canonica: nam si Episcopus diœcesanus deneget vidimationem, recurrendum est via juris ad Superiorem ejus, qui in præsenti casu est Primas vel Papa. Tribunalium sæcularium prorsus non est hac in re quidpiam decernere, prohibere aut permittere. *Pontas.*

CASUS V. Carolus provisionem Decanatus ecclesiæ metropolitanæ Turonensis a patruo suo resignati in Curia Romana obtinuit, & impetrata a Capitulo vidimatione ejusdem possessionem cepit. Suntne hæc vidimatio & possessionis aditio canonicæ?

℞. Capitulum arrogavit sibi in hoc casu jus privative ad Archiepiscopum pertinens. Hinc & vidimatio & possessionis aditio sunt nullæ ac invalidæ. *Pontas.*

Vide *Examen.*

VISITATOR.

Tridentina Synodus Episcopis mandat, ut singulis annis totam suam diœcesin, aut saltem majorem ejus partem visitent; & si legitimo aliquo impedimento obstante ipsimet visitare non possint, per Vicarium generalem vel alium visitatorem privatum eam visitari procurent. Eadem sacra Synodus Episcopos monet, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint in visitatione, ac a nemine quidquam exigant exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis, & locorum circumstantia erunt ministranda. Idem Concilium docet Episcopos modum, quo suas visitationes utiles reddere possint.

CASUS I. 1. Poteſtne Episcopus, Cathedralem suam visitans, Archidiaconos privare suis proventibus, qui a mensa capitulari separati sunt, quemadmodum alii Canonici privantur.

tur distributionibus, si sunt absentes? 2. An Episcopus tempore visitationis possit decreto sancire, ut tam Canonici, quam etiam Archidiaconi, si ultra tempus a Concilio Tridentino concessum absentes esse velint, ab ipso facultatem longioris absentiæ petant? 3. An Vicarius Episcopi, si inter Canonicos sit postremus, corrigere possit errantes in choro Canonicos? 4. Poteftne Episcopus Scholastico præcipere, ut conciones habeat, aut illas per alium fieri procuret? Num etiam Scholasticus appellare poterit contra tale mandatum prætendendo abusum, aut usum contrarium? 5. Poteftne Episcopus præcipere Capellanis, ut suas exhibeant provisiones, præsertim illi, qui alio quoque in eadem ecclesia gaudent Beneficio? 6. Poteftne Episcopus in visitatione Canonicos, qui ipsius Officiales sunt, comites sibi adjungere? 7. Poteftne Episcopus tempore visitationis præcipere omnibus suæ Cathedralis Beneficiariis, etiam iis, qui simplici tonsura initiati sunt, ut se sistant in habitu? 8. Poteftne Episcopus qua Visitator inquirere in psalmodiam, & educationem puerorum choro inservientium? 9. Poteftne Episcopus præcipere Capitulo, ut Cantores & Musicos, quos recipere cogitant, sibi prius præsentent, &c.

℟. 1. Non potest Episcopus Archidiaconos privare suis proventibus, cum eorum proventus separati sint a mensa capitulari. 2. Non potest obligare Canonicos, ut ab ipso petant licentiam longioris, quam Concilium Tridentinum permittit, absentiæ. 3. Potest Scholastico præcipere, ut singulis Dominicis concionem habeat, Scholasticus vero non potest obtendere præscriptionem. 4. Potest etiam exigere a Capellanis, ut exhibeant suos titulos, & qui duobus Beneficiis *sub eodem tecto* gaudent, obtentam dispensationem. 5. Potest tempore visitationis omnibus suæ ecclesiæ Beneficiariis præcipere, ut se præsentes sistant, non tamen potest ferre censuras in absentes. 6. Potest inquirere in educationem puerorum choro inservientium, potest etiam mandare, ne Cantor recipiatur, nisi suum *Exeat* exhibere possit. Episcopo nihil innovandum in usu ecclesiæ suæ, vi cujus SS. Sacramentum non asservatur in altari summo. Episcopus potest præcipere, ut in ecclesia cathedrali loco vicarii amovibilis instituatur perpetuus, qui parochiæ ecclesiæ annexæ deserviat. *De Lamet.*

CASUS II. Canonissæ Remiremontii gaudent veris Beneficiis. An propterea tenentur se submittere constitutionibus a visitatoribus Apostolicis ad corrigendas deordinationes factis?

℟. Te-

7. Tenentur se submittere. Hæ Canonissæ poterunt recurrere ad Summum Pontificem, pro conservando habitu sæculari extra ecclesiam : luxu tamen vestium quam longissime relegato semper & ubique pro decentia status sui modestiæ studeant. *De Lamet.*

Vide *Archipresbyter.*

UNIO BENEFICIORUM.

1. *Unio Beneficiorum* est conjunctio unius Beneficii cum alio facta authoritate Papæ vel Episcopi, ita ut ex duobus Beneficiis fiat unicum. Duas jus Canonicum admittit species unionis ; unam solum *ad tempus*, nimirum usque ad obitum Beneficiarii, in cujus gratiam facta est, & alteram *perpetuam* : & unio hæc posterior sola in non nullis provinciis recipitur ; eo quod ad *commune* Ecclesiæ bonum sola conferre dignoscatur.

2. Triplici modo fieri potest unio. 1. Quando duo Beneficia coalescunt in unum. 2. Quando una ecclesia subjicitur alteri, eidemque accessorie unitur. 3. Quando duarum ecclesiarum unitarum quælibet retinet sua bona privata, sua jura, sua privilegia, suas obligationes ac prærogativas, ut si v. g. ambæ ecclesiæ unitæ sunt parochiales, & in hoc ipso statu perseverant, quo fuerunt ante unionem, ita ut quælibet habeat suam fabricam, peculiares suos redditus, distinctos curatores, & unus idemque parochus in hisce ecclesiis alternative singulis Dominicis divina celebret officia.

3. Unio parochiarum, præbendarum, & aliorum simplicium Beneficiorum de jure pertinet ad Diœcesanum, ut ex ipsa declaratione Concilii Tridentini Sess. 21. c. 5. de reform. patet, quod in vanum Episcopos hac in re considerat ut delegatos Papæ ; quia hoc jus independenter a Papa eorum dignitati annexum est, ut expressis terminis fatetur Cœlestinus III. Cap. *Sicut unire.* 8. Lib. 5. Tit. 31.

4. Omnem Beneficiorum unionem præcedere debet inquisitio, quæ dicitur *de commodo & incommodo*; vocandique sunt ad eam Patroni & omnes, quorum quoquo modo interesse potest ; eorum tamen in numero non computantur ipsi Titulares ; quia per unionem non privantur suis Beneficiis quamvis unitis, quamdiu vixerint : unio enim primum consequitur effectum suum post eorum obitum.

5. Papa solus potest unire Episcopatus, aliaque Beneficia consistorialia ; solus quoque potest unire unum religiosum Ordinem cum alio, aut disjungere ; cum consensu tamen Principis sæcularis.

6. Se-

6. Sede vacante Capitulum gaudet jure uniendi; quia unio est actus jurisdictionis ordinariæ, quæ mortuo Episcopo devolvitur ad Capitulum.

7. Episcopus non potest unire Beneficia a sua jurisdictione exempta, nisi cum consilio & assensu Abbatum; nec Abbates possunt facere unionem, nisi ipsis suppetat priv legium aut consuetudo legitime præscripta. Episcopus denique non potest unire Beneficia simplicia mensæ episcopali aut Capituli, ne quidem cum consensu Capituli.

8. Commenda Melitensis potest uniri cum alia, non tamen cum Beneficio; nec etiam Beneficium liberum potest uniri cum alio, quod est patronatus laici.

CASUS I. Laurentius Decanus ecclesiæ cathedralis de Balbastro nepos Episcopi obtinuit ab eo unionem cujusdam Prioratus annuorum proventuum 400. florenorum ad suum decanatum, cujus annui redditus 2000. florenos efficiunt, ea conditione, ut Episcopus deinceps liber foret ab obligatione quotannis solvendi Decano pensionem 250. florenorum. Fieritne potuit salva conscientia ab Episcopo hæc unio sub dicta conditione?

℟. Episcopi quidem *est ecclesiarum suæ diœcesis unio & subjectio earumdem*, ait Cœlestinus III. l. c. cum quo concordat etiam Concilium Tridentinum; sed juxta doctrinam Apostoli Episcopus non potest uti sua potestate nisi ad ædificationem & pro bono Ecclesiæ. Et cum unionem hanc nec necessitas urgeret, nec utilitas Ecclesiæ suaderet, sed solum interesse proprium Episcopi, ea sine peccato fieri non potuit, utpote legibus Ecclesiæ contraria. *Pontas.*

CASUS II. Romanus Episcopus univit suo seminario recens erecto Prioratum simplicem regularem absque authoritate Papæ. Estne hæc unio canonica? An ea ab Episcopo fieri potuit tuta conscientia?

℟. Est canonica, & licite fieri potuit: Concilium enim Tridentinum Sess. 23. de reform. c. 18. permittit Episcopis unionem Beneficiorum simplicium sive sæcularium sive regularium cum suis seminariis. Immo Episcopi alias jam sunt in possessione faciendi ejusmodi uniones: *Consuetudo approbata optima est legum interpres.* Cap. *Cum dilectus.* 8. Lib. 1. Tit. 4. *Pontas.*

CASUS III. Episcopus Prioratum simplicem, in quem præter collationem varia jura vi instrumenti antiqui sibi afferebat Abbatia quædam regularis, univit seminario ea conditione, ut pro juribus, quæ cedebantur seminario, ab eodem singulis annis Abbatiæ penderentur tres scaphæ frumen-

menti. Triginta post annis repertum est, illud Abbatiæ instrumentum esse suppositium. Quid juris?

℞. Transactio Episcopum inter & Abbatiam est simoniaca; eo quod Abbatia jus spirituale cesserit pro re temporali, scilicet frumento, & quidem vi tituli falsi; hinc etiam unio est vitiosa & nulla, nec sanatur per possessionem triginta annorum, cum labes simoniæ lapsu temporis etiam immemorial s purgari non possit, & ipsa possessio fundetur in titulo suppositio. Ex quo sequitur, omnia quoque instrumenta desuper confecta una cum unione esse nulla juxta regulam juris 39. in 6. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. Pontas.*

CASUS IV. Riguerus Beneficiatus ab Episcopo sollicitatus pro assensu in unionem Beneficii sui cum seminario diœcesano consensit ea conditione, ut durante vita frueretur proventibus Beneficii. Episcopus acceptavit conditionem, & annuentibus quoque patrono ac collatore inferiore facta est unio. An hæc unio non est vitiosa vel ex parte Rigueri vel ex parte Episcopi?

℞. Hæc unio est ex omni parte canonica: cum enim Episcopis competat jus uniendi Beneficia in suis diœcesibus, etiam permissa esse debent media perficiendi unionem juxta regulam juris 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Addi potest lex *Cur.* 2. ff. Lib. 2. Tit. 1. *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest. Pontas.*

CASUS V. Cum quædam Capella patronatus ecclesiastici vacaret, eam Episcopus univit Capitulo cujusdam ecclesiæ collegiatæ, non requisito consensu Patroni. Estne unio legitima?

℞. Cum consensus patroni & collatoris Beneficii uniendi absolute sit necessarius, unio hæc non est legitima? *Pontas.*

CASUS VI. Cum Canonici cujusdam ecclesiæ collegiatæ valde tenues possiderent redditus, ita ut quilibet eorum triginta tantum annuatim reciperet Imperiales, Episcopus dictæ ecclesiæ univit capellam 200. florenorum redituum, cujus Patronus laicus est, & suum nepotem ad eam nominavit, subjectum dignum & capax. Unio hæc facta est observatis requisitis formalitatibus. Jam quæritur, an Episcopus possit nominato ad capellam denegare provisionem?

℞. Episcopus tenetur concedere provisionem dicto nominato ad capellam: nam non potuit unire Beneficium Episcopus sine consensu Patroni laici. *Pontas*

CASUS VII. Theotimus titularis Capellæ S. Euphemiæ denegavit consensum ad unionem, quam Episcopus facere co-

gitabat ad fuum feminarium ; Epifcopus nihilominus perfecit unionem. An hæc unio eft canonica ? An Epifcopus abs-que injuftitia unionem facere potuit ?

℟. Si titularis gaudet redditibus Beneficii durante fua vita, Epifcopus legitime poteft illud unire juxta ClementemV. Cap *Si una*. 2. Clement. Lib. 3. Tit. 4. ubi ait : *Si una ecclefia alteri ecclefiæ, feu dignitati alicui vel præbendæ per Epifcopum fuo confentiente Capitulo uniatur . . . . ex eò quod Rector ipfius ad hoc vocatus non exftiterit, nequaquam id poterit impugnari. Pontas*

CASUS VIII. Canonici ecclefiæ cujusdam collegiatæ, cum quilibet eorum 75. florenos tantum annuos redditus haberet, rogarunt Epifcopum, ut tres canonicatus vacantes fupprimeret, & redditus eorum uniret præbendis fuis. Epifcopus perfecit unionem ; Joannes vero unus Canonicorum quærit, an tuta confcientia frui poffit redditibus vi unionis auctis ?

℟. Tutiffime hac acceffione redituum fruitur ; juxta Concilium enim Tridentinum Seff. 24. c. 15 Epifcopus poteft exigentibus id circumftantiis fupprimere quosdam canonicatus, eosque præbendis egentium unire. Requiritur autem in præfenti cafu, ut poftulatio Canonicorum facta Epifcopo veritate nitatur. *Pontas*,

NOTA. Circa ejusmodi fuppreffiones Canonicatuum, fi non neceffarium, faltem confultius foret Epifcopo fe convertere ad Sedem Apoftolicam ob varietatem circumftantiarum menti Patrum Concilii Tridentini fors non obverfantium, vel ob fpem alterius remedii facilioris ad fublevamen indigentiæ Canonicorum fuggerendi.

CASUS IX. Capitulum cujusdam ecclefiæ collegiatæ, cum ejus Canonici non haberent, fufficientes redditus ad fuftentandam decentiam ac dignitatem ftatus fui, univit uni canonicatui parochiam, ad quam jus præfentandi habebat, ea conditione, ut quarta pars reddituum parochialium cederet Cepitulo in fingulos dividenda. An hæc unio eft licita ac valida ?

℟. Hæc unio nec eft licita nec valida. Ratio eft 1. Quia Beneficia curata funt incompatibilia cum canonicatibus, nifi fors cum difpenfatione in eadem ecclefia : *In unionibus vero quibuslibet*, ait Tridentinum Seff. 24. c. 13. de reform. *ecclefiæ parochiales præbendis ecclefiæ cathedralis vel collegiatæ non uniantur.* 2. Quia unio Beneficiorum valide fieri non poteft nifi authoritate Epifcopi, non vero Capituli, quantumvis exempti. Quod vero hæc unio fit fimoniaca, ex eo patet ; quia facta eft ex motivo commodi temporalis, nem-

nempe intuitu quartæ partis redditnum parochialium; in materia autem beneficiali omnis conventio a summo Pontifice non approbata illicita ac simoniaca est. Hinc Canonici omnes incurrerunt censuras in simoniacos latas; nec eos excusare potest ignorantia, utpote in re iure divino & canonico prohibita: *Ignorantia facti, non juris excusat.* Reg. juris 13. in 6. *Pontas.*

CASUS X. Optatus Archidiaconus ecclesiæ Navarrensis in districtu archidiaconatus sui ducentas circiter singulis annis parochias visitare tenetur; ex quo sæpe accidit, ut ex correctione immorigerorum Clericorum lites oriantur, quæ propriis ipsi sumptibus sustinendæ sunt. Cum autem redditibus frueretur omnino tenuibus, & ad ea omnia præstanda haud sufficientibus, petit unionem tertiæ partis proventuum cujusdam parochiæ pinguissimæ, & quidem consentiente parocho. An fieri potest hujusmodi unio?

℞. Archidiaconus tuta conscientia unionem istam petere non potest, nec Episcopus concedere: nam 1. Redditus ecclesiastici nunquam uniri possunt Beneficio, nisi id exigat necessitas aut utilitas Ecclesiæ, qualis tamen non datur respectu archidiaconatus. 2. Posito quod detur necessitas augendi redditus annuos Archidiaconi, id fieri deberet per unionem simplicis Beneficii. 3. Potior daretur ratio uniendi partem redditnum pinguis parochiæ cum alia tenui parochia quam cum archidiaconatu; & tamen id nunquam fit. 4. Beneficium curatum nunquam censetur habere superfluos redditus: quæ enim congruæ sustentationi parochi supersunt, bona sunt pauperibus debita. 5 Denique ad proventus annuos stabiles archidiaconatui affixos accedunt etiam Archidiacono alii redditus ex visitationibus & parochiis vacantibus, ut S. Beuve advertit Tom. 1. cas. 182. *Pontas.*

NOTA. Pontasius hic non attendit, sæculo adhuc decimo redditus omnium parochiarum, præsertim decimas, immediate pertinuisse ad jus & dispensationem Episcopi, qui parochis solum assignavit congruam. Nec Episcopi reperiuntur unquam renunciasse juri suo succurrendi parocho pauperi ex parochia redundante per reservationes pensionis perpetuæ.

CASUS XI. Hercules Dux possidet castrum in parochia, cujus jus patronatus & dominium temporale spectat ad Nobilem quemdam; nunquam autem adit ecclesiam parochialem, ne Patrono & domino loci territoriali primum cedere locum teneatur. Petit igitur ab Episcopo, ut ad abscindendam omnem litem castrum adjungat vicinæ parochiæ suo sub domi-

nio constitutæ; maxime cum & parochus in hanc sejunctionem consentiat. Potestne castrum adjungi alteri parochiæ?

℟. Potest quidem Episcopus facere ejusmodi dismembrationem ex causa legitima. In præsenti autem casu, cum non subsit legitima causa, ea nec ab Hercule tuta conscientia peti, nec ab Episcopo concedi potest: parochus quoque male egit suum dando consensum. *Pontas.*

CASUS XII. Adeodatus Abbas regularis plenam habet jurisdictionem quoad spiritualia in plures ecclesias parochiales, & unam collegiatam ex sex Canonicis ac totidem Capellanis constantem. Cum vero Canonici ob omnino tenues redditus subsistere non possint, Abbas cogitat eorum redditibus unire tres Capellanias vacantes. An id propria authoritate facere potest?

℟. Unio Beneficiorum est juris pure episcopalis, cujus inferior Prælatus, qualiscunque demum sit, capax non est. Hinc Adeodatus non potest unire dictas tres Capellanias Canonicatibus, de quibus in præsenti casu agitur. *Pontas.*

CASUS XIII. Quidam Abbas, & dominus simul parochiæ, ecclesiæ dirutæ redditus sibi vindicavit, & ejus curam demandavit parocho vicino.

℟. Non potest id facere sine permissione Episcopi, & si titulus parochiæ non potest conservari, nec ecclesia reædificari, debet uniri parochiæ viciniori, & commodiori. *De Lamet.*

CASUS XIV. Potestne Beneficium uniri Collegio alterius diœcesis?

℟. Potest uniri; dummodo serventur formalitates requisitæ. Verum ad confirmandam stipulationem, qua Collegium promittit annuam pensionem fixam loco redditüum Beneficii, requiritur authoritas Papæ. *Fromageau.*

CASUS XV. Potestne uniri parochia Collegio?

℟. Talis unio repugnat Concilio Tridentino; si tamen daretur gravis causa uniendi, cavendum omnino foret ab omni conventione simoniaca. *Fromageau.*

CASUS XVI. An Episcopus unire potest Beneficium Collegio?

℟. Potest unire, si id evidens Ecclesiæ utilitas exigat; interim tamen ille, qui cedit Beneficio simplici uniendo seminario, aut alteri communitati, potest sibi ad dies vitæ reservare omnes fructus Beneficii. *Fromageau.*

CASUS XVII. Quidam officialis a Papa obtinuit commissionem uniendi Prioratum simplicem monasterio Benedictinorum Anglicorum. An vi hujus commissionis nova Prioratui onera potest imponere, quibus antea non subjacebat?

℟. Non

℟. Non potest; sed tenetur agere juxta tenorem Bullæ Pontificiæ, in qua data ipsi potestas denotatur una cum oneribus Prioratui portandis. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Unita est quædam parochia archidiaconatui absque necessitate, & informatione juridica. Estne valida hæc unio?

℟. Repugnat legibus Ecclesiæ; & consequenter est nulla & abusiva. Nec macula hæc abstergitur possessione etiam quadraginta annorum *De Lamet.*

CASUS XIX Quidam Abbas ab immemoriali tempore gaudet jurisdictione episcopali in sua Abbatia, & in magno districtu ab ea dependente, an propterea jus habet uniendi tenues parochias, quæ sunt in urbe, ubi ipsius Abbatia sita est?

℟. Potest unire, si dictarum parochiarum redditus sint omnino tenues, & numerus parochianorum valde exiguus, ac etiam ecclesiæ ita invicem vicinæ, ut Divina, quæ fiunt in una, impediantur ab altera, & etiam sonitus campanarum se invicem confundant. Hæc unio tamen modo convenienti fieri debet. *De Lamet.*

CASUS XX. Crispus parochus suum Beneficium resignavit Episcopo, uniendum mensæ episcopali. Motivum præcipuum hujus unionis erat, quod ædes parochiales Episcopo in visitatione diœcesis peraccommodæ acciderent. Episcopus vicissim spondet, se Crispo collaturum aliud Beneficium haud minorum redituum, ac insuper per duos annos pensionis instar persoluturum 100. florenos. Quid de hac unione sentiendum?

℟. Hæc unio est simoniaca ac nulla, nec ullius unquam temporis lapsu hæc labes purgari potest. Redditus ex parochia percepti ab eo tempore, quo vitium unionis agnitum est, restitui debent, parochiaque devolutioni subjicienda. *Fromageau.*

CASUS XXI. Castelus Prior curatus multum sollicitatur, ut Beneficium suum uniri permittat cum Confraternitate doctrinæ Christianæ, quæ ipsi relictura esset omnes ejusdem proventus ad dies vitæ.

℟. Castelus non potest consentire in hanc unionem, utpote haud futuram de necessitate aut utilitate Ecclesiæ. Et si Episcopus ipso & parochianis invitis vellet tentare hanc unionem, teneretur se opponere una cum parochianis suis, qui hac in re omnino audiri deberent. Si his omnibus non obstantibus perficeretur unio, Beneficium considerandum foret ut vacans. *Fromageau.*

Vide *Beneficium*, *Episcopus*, *Jurisdictio*.

VOTUM.

1. *Votum* est promissio deliberata facta Deo de meliori bono. Requiritur ergo ad validum votum vera intentio se obligandi ad executionem factæ promissionis, & est de essentia voti, ut fiat deliberate. Usus votorum antiquitate sua ipsam Religionis antiquitatem adæquat, ut manifestum fit ex sacra Scriptura, quæ in pluribus locis antiquæ legis votorum meminit.

2. Dividitur votum in absolutum, conditionatum, reale, personale, & mixtum ex reali ac personali, ac denique in simplex & solemne.

3. Votum *absolutum* est, quod emittitur absque ulla conditione, & statim ac factum est, inducit obligationem exequendi promissum; & de hac voti specie intelligendum illud Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Votum *conditionatum* est, quod sub conditione fit, & ante eventum conditionis non obligat. Votum *reale* pro objecto materiali habet rem extra personam voventis existentem, ut est v. g. votum erogandi eleemosynas in pauperes. *Personale* votum afficit ipsam personam voventis aut ejus actiones; ut si quis vovet ingressum in Religionem, peregrinationem, jejunium, preces &c. Votum *mixtum*, seu reale ac personale simul, respicit tam personam aut actionem voventis quam ejus bona. Votum *simplex* dicitur omne votum privatim aut etiam publice emissum. *Solemne* est, quod fit in professione solemni Religionis ab Ecclesia approbatæ aut in receptione Ordinum sacrorum.

4. Obligatio voti realis transit etiam ad hæredes voventis defuncti. Votum solemne Religionis tria alia distincta comprehendit vota, nimirum votum paupertatis, castitatis & obedientiæ.

5. Huic divisioni variorum votorum id adhuc addendum, dari scilicet vota, quæ versantur circa res de se bonas quidem, non tamen præceptas, ut est v. g. votum jejunandi diebus Mercurii; & alia circa res præceptas.

6. Solum votum solemne inducit impedimentum dirimens matrimonii.

7. Ecclesia, seu illi, qui dicuntur Superiores majores, ut sunt Papa & Episcopi, possunt dispensare in votis, aut ea commutare, si votum fiat nocivum, inutile, aut majoris boni impeditivum.

8. Dispensatio in voto peregrinandi Romam, Jerosolymam, & Compostellam est de jure reservata Papæ; sicut

etiam

etiam vota perpetuæ castitatis, Religionis, & plura alia, quorum pleraque respiciunt impedimenta dirimentia matrimonii, ipsi reservantur ex antiqua consuetudine, & jure legitimæ præscriptionis adversus Episcopos.

9 Nihilominus plures Episcopi ininterruptim conservarunt se in possessione stabili dispensandi in non nullis casibus circa quædam impedimenta matrimonii etiam dirimentia; prout & omnes pleno gaudent jure dispensandi in votis dubiis ac conditionatis, seu alligatis cuidam conditioni, quæ necdum impleta est.

CASUS I. Lieboldus in conferentia Clericorum sententiam defendit, quod liceat vota facere B. Virgini & Sanctis eodem modo, quo ea fiunt Deo. An bene?

℟. Juxta S. Thomam in 4 dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4. possunt fieri vota Sanctis, immo viventibus adhuc in mundo, prout Religiosi obedientiam vovent Prælato suo; dummodo referantur ad Deum, & materia voti versetur circa rem, qua debitus Deo cultus exhibetur. Hinc & Sylvius Resol. var V. *Professio monastica.* ait: *Dicendum est, vota, quæ Sanctis fiunt, habere hunc sensum; vel quod fiant coram Sanctis tanquam testibus & suffragatoribus, pro petendo auxilio ad illorum impletionem; vel quod fiant Deo, secundum quod habent rationem promissionis: quæ tamen promissio etiam cadet sub votum; quia Deo vovetur, quod promissio Sanctis facta implebitur.* Lieboldus igitur in sensu D. Thomæ & Sylvii absque errore potuit hanc tueri sententiam. *Pontas.*

CASUS II. Balduina pauper puella, decem aut undecim primum annos nata emisit votum virginitatis, aut ingrediendi Religionem, si ætatem ad professionem solennem requisitam attigerit. An ipsius votum validum est? An a solo Papa dispensationem obtinere potest?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 9. C. de votis impuberum fixum ac stabile judicium ferri non potest. Si Balduina ea ætate tanta jam discretione potita est, ut naturam voti sui satis ponderare potuerit, præsumendum est, validum esse votum, nisi ob graves causas aliter sit judicandum. Hinc tutius est dicere, Balduinam teneri ad executionem voti, si non obtineat dispensationem legitimam, quæ ab Episcopo concedi potest: nam solum vota certa reservata sunt Papæ, quando ad eum recurrendi facultas suppetit. *Pontas.*

CASUS III. Lucilia annos nata duodecim & tres menses ad sacram Synaxin primâ vice accedens fecit votum virginitatis perpetuæ, quin cujuspiam consilium expetierit. Sex jam abiere anni, quin recordata sit sui voti; imo contrahit etiam matrimonium sine ulla reflexione ad votum. Verum

altero post nuptias die matrimonio jam consummato recordatur sui voti. An votum validum erat? Et si validum fuit, quid ipsi pro conscientiæ suæ securitate agendum?

℟. Si emittendo votum agnovit, ad quid se obliget, votum est validum, & pro securitate conscientiæ dispensationem debet petere in Pœnitentiaria Romana: interim tamen potest suo marito reddere debitum conjugale absque peccato, non tamen potest illud petere, quin peccet contra votum, donec obtinuerit dispensationem. Si Lucilia non potest recurrere Romam, potest dispensationem obtinere ab Episcopo aut Vicario generali in foro interno, ubi ejusmodi dispensatio executioni danda est. Si denique votum est dubium, non tenetur recurrere Romam. *Pontas.*

Nota.* In praxi præsumendum, vix unquam in tam tenera ætate intervenisse sufficientem considerationem, ut talis naturæ votum possit dici *certo* validum.

CASUS IV. Rutilia sedecim annos nata concioni ad professionem religiosam habitæ interfuit, & mox promisit perpetuam continentiam, absque ulla tamen determinatione aut reflexione, an se obligare velit sub ratione voti, vel non; cum de natura ac obligatione voti vix ullam haberet notitiam, licet perbene sciret, ad quid se obligaverit. Elapsis aliquot annis, cum promissionem suam simplicis instar propositi haberet, oblatas sibi acceptat nuptias, haud rata, voto se ligari, quod tamen aliis visum est, moventibus ipsi desuper scrupulum. Quid sentiendum, & anxiæ pro securitate conscientiæ consulendum?

℟. Intentio se obligandi est de essentia validi voti: votum enim est lex, quam sibi quis voluntarie ipsemet posuit, & hæc in tantum obligat, in quantum quis voluit. Ex hoc sequitur, Rutiliæ promissionem revera esse votum; hinc etiam obligatur in conscientia ad voti executionem. Ratio est; quia, cum continentiam se servaturam plena deliberatione promiserit, negari non potest, eam etiam habuisse intentionem sufficientem ad id se obligandi. Nihilominus Rutilia absque peccato posset recurrere ad superiorem legitimum pro obtinenda dispensatione: si haberet causam legitimam eam petendi. *Pontas.*

Nota. Eo ipso, quod obligatio voti fundetur in voluntate propria, ita ut vovens sit ipsum primum obligans, nemo est ligandus voto, quamdiu dubitat de emissione, vel intentione voti, utpote præsumptive sua intentione se non extendens; imo potius nolens se extendere ad circumstantiam dubietatis de facto. Vota sunt in genere promissionis gratuitæ; jura autem non obligant ad promissa dubia. Promissio-

missionis gratuitæ contractus sunt strictæ interpretationis, ita ut non obligent ultra ea, quæ expressa sunt. Quod si quis dicere malit, vota pertinere ad contractus bonæ fidei inter Deum & hominem, eo ipso inclusa vel exclusa censenda sunt, quæ in- vel exclusa fuissent, si de iis foret cogitatum.

CASUS V. Numius, cum per tres menses ipsi uxor debitum sine ulla justa causa denegaret, ex mera passione iræ vovit, se nunquam amplius petiturum a sua uxore debitum. An hoc votum validum est?

R. Passio iræ de se non irritat votum, nisi ira adeo excrescat, ut omne tollat judicium. Hinc Navarrus in Can. *Divortium.* de pœnit. dist, 1. n. 12. ait: *Valet votum per iracundiam emissum a vovente non penitus a suo judicio deturbato.* Si igitur ira non sustulit sanam mentem Numio, votum ipsius censetur validum. Docent tamen alii, votum ejusmodi, nisi sopita ira fuerit ratihabitum ac confirmatum, esse nullum. *Pontas.*

Nota. Votum hoc in conjugatis maxime junioribus, etiam tranquilla mente emissum, non est de meliori bono; cum imprudenter arctet & scrupulis involvat remedium incontinentiæ a Deo ordinatum.

CASUS VI. Pavinius Romam profectus in itinere emisit votum jejunandi altero mox die, cum Romæ advenisset; advenit autem sabbato. Teneturne die sequenti jejunare?

R. Si Pavinius non habuit expressam intentionem hunc diem excipiendi, videtur etiam hoc die teneri ad jejunium. Sic sentit Fagnanus in Cap. *Explicari.* 3. Lib. 3. Tit. 46. ubi ait: *Idemque dicendum esset, si vovisset abstinere die, in qua perveniret ad locum peregrinationis... nam si pervenerit ad locum destinatum in die Dominico, immo & in Paschate Resurrectionis utique teneretur abstinere. Pontas.*

Nota. Hoc votum objective pro ea circumstantia imprævisa non est de meliori bono; & ideo jejunium in diem primo non impeditam transferendum, vel a confessario commutandum est.

CASUS VII. Constantinus annos natus 27. emisit votum ingrediendi Religionem; tractu autem temporis electus est in Episcopum. An propterea liber est a suo voto?

R. Votum ita stringit Constantinum, ut sola impotentia physica aut moralis coram Deo ipsum eximat ab ejusdem executione. Hinc, etsi in Episcopum electus, votum implere tenetur: poterit autem implere cedendo episcopatum. *Qui vovit Religionem ingredi, & voto non completo factus est Episcopus,* ait Fagnanus in Cap. *Sane,* De regul. n. 67. per

 hac

hoc non est solutus voto. Immo si suam velit sanare conscientiam, debet cedere, & votum implere. Pontas.

NOTA. Cum cessio Episcopatus sit casus Papæ reservatus, illi hoc motivum cessionis fideliter exponendum, & judicio ipsius relinquendum, utrum in individuo sit de meliori bono.

CASUS VIII. Lælia emisso voto perpetuæ virginitatis se corrumpi permisit a juvenale. An vi voti sui adhuc tenetur ad continentiam per reliquos vitæ suæ dies servandam; cum solum intentionem habuerit vovendi virginitatem?

℟. Tenetur servare perpetuam continentiam in compensationem virginitatis amissæ, licet non æquivalentem. S. Thomas. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. *Pontas.*

NOTA. Cum intentio voventis se non extenderit ad obligationem continuitatem, vel ad compensationem ultroneam; non est ad hanc obliganda. Recte tamen a confessario in satisfactionem injungitur compensatio perpetua. Vide *Notam* ad *Casum.* 4.

CASUS IX. Ennodius homo dives emisit votum erogandi quinque crucigeros in pauperem primo obvium, idque ad resarciendam duritiem paulo ante cuidam indigenti exhibitam. Teneturne ad impletionem hujus voti sub peccato mortali?

℟. Excusari haud poterit a peccato mortali Ennodius, si votum suum non impleat, etsi versetur circa materiam levem. *Tale votum*, ait Toletus Instit Sacerd. L. 4. c. 17. n. 9. *obligat sub mortali; adeo ut qui agit contra votum, etiam in re ante non debita, vel minima, peccet mortaliter.* Si vero solum diutius differat implere votum suum, hæc dilatio non videtur graviter peccaminosa ob parvitatem materiæ. *Pontas.*

CASUS X. Enqueraudus Abbas illustri stemmate natus votum fecit ex motivo humilitatis, nunquam acceptandi Episcopatum. An tale potuit facere votum?

℟. Si ipsius intentio fuit se obligandi ad nunquam acceptandum Episcopatum, etiamsi a Superiore legitimo ad id adigeretur, illicitum ipsius est votum: si vero ipsius intentio fuit, non quærendi Episcopatum, & oblatum, quandum a se dependet, recusandi, votum ipsius est licitum, & tali voto obligaretur coram Deo. S. Thomas 2. 2. 185. art. 2. ad 3. *Pontas*

CASUS XI. Hector Paterfamilias, Parochianus ecclesiæ S. Pauli emisit votum audiendi per annum singulis Dominicis & Festis principalioribus missam hora decima in ecclesia Regularium, quo tamen tempore divina fieri solent in ipsius parochia. Motivum voti fuit; quia ipsius confessarius eadem hora celebrat missam pro ipso, & huic missæ cum sua uxore & libe-

fueris commode interesse potest. An tenetur sub peccato mortali exequi votum suum?

℟. Votum fieri haud potest de re illicita, vel minus bona etsi de se licita. Hector tenetur toties, quoties commode potest, interesse missæ parochiali diebus Dominicis, & Festis solennibus; sed hoc facere non posset, si votum implere vellet. Ergo non tenetur voto. *Pontas.*

CASUS XII. Ægidius studiosus liberam habet electionem hac vel illa via eundi ad scholam: fecit autem votum semper incedendi ea via, quæ modo ipsi videtur commodior. Daturne coram Deo obligatio implendi hoc votum?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 2. C. & ad 3. non est faciendum votum nisi de re aut actione virtuosa, & omne votum de re inutili aut indifferente est nullum, ac consequenter non obligat. *Vota vero*, ait, *quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda quam servanda.* Idem dicendum, si mulier voveat, se certo die non composituram crines: *talia vota mulierum*, ait idem in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. *sunt sacrilegia magis quam vota: sunt enim reliquiæ quædam idololatriæ, secundum quam observabantur dies & menses; & ideo pro votis non habenda sunt, & peccant talia voventes.* Certum igitur est, Ægidium non potuisse facere ejusmodi votum; cum non sit actus virtutis unam viam eligere præ altera. Nihilominus si ea via, quam declinaturum se vovit, foret conjuncta cum occasione peccandi, teneretur voto. *Pontas.*

CASUS XIII. Ivo gravi infirmitate detentus vovit, si convalesceret, se curaturum, ut per novem dies legatur missa in determinata ecclesia ad altare confraternitatis sub titulo cujusdam Sancti. Convalescens ocyus migrat in alium locum, & quidem ibi permansurus. An non poterit satisfacere voto in hoc loco; maxime cum eadem ibi instituta sit confraternitas?

℟. Votum debet impleri quoad omnes circumstantias. Hinc Ivo tenetur votum suum exequi in ecclesia, ad quam ferebatur ipsius intentio. *Pontas.*

CASUS XIV. Dorothea uxor Gilberti periculose decumbens inscio marito fecit votum instituendi peregrinationem, quinquies per diem recitandi *Pater* & *Ave*, & diebus Mercurii ac sabbati jejunandi per annum, si pristinam valetudinem esset recuperatura. Maritus autem impletionem horum trium votorum non admittit. An hoc non obstante Dorothea teneretur exequi vota sua? An maritus tuta conscientia potest se opponere?

℟. Ejusmodi vota conjugum juxta D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 8. C. consideranda sunt tanquam conditionata; & quam-

quamprimum maritus eorum executionem prohibet, nulla sunt; nec peccat maritus irritans vota uxoris: cum justa ipsi causa suppetit ea irritandi, quod certe contingit circa votum peregrinandi. Idem dicendum de voto jejunandi, si præjudicet juribus conjugalibus mariti. Quod attinet votum quotidie recitandi quinquies *Pater* & *Ave*, id uxor implere tenetur; cum plenam ad hoc potestatem habeat, independentem a marito; qui etiam rationabiliter dissentire non potest *Pontas*.

CASUS XV. Si Dorothea jam ante contractum cum Gilberto matrimonium emisisset votum peregrinandi; & bis per hebdomadam jejunandi, an teneretur exequi hæc duo vota, non obstante dissensu mariti?

℞. Si ante matrimonium non detexit hæc vota Gilberto, ac ab eo licentiam non obtinuit hæc vota adimplendi, eorum adimpletio prorsus dependet a consensu mariti. *Pontas.*

NOTA. Pro ejusmodi circumstantiis petenda est a confessario privilegiato commutatio voti.

CASUS XVI. Samson inscia uxore vovet, se profecturum ad bellum sacrum contra Turcas in Palæstina; & Lucia, ejus uxor inscio marito vovet peregrinationem Romanam, immo & Hierosolymitanam. An Samson licite exequitur votum suum sine consensu uxoris? Et si hoc ipsi licet, an non idem licebit uxori?

℞. Si detur vera ac urgens necessitas Christianorum, qualis olim fuerat in terra sancta, & Samson habeat puram intentionem subveniendi Christianis, & juncta cum illis opera amissas provincias recuperandi, licite exequitur votum suum, etiam sine consensu uxoris. Innocentius III. Cap. *Ex multa.* 9. § 2. L. 3. T. 34. Cantuariensi Episcopo olim sic respondit: *In tanta quoque necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, viri præter uxorum assensum hujus peregrinationis propositum vovere libere valent, & quod voverint, libere adimplere* Extra hunc casum maritus nec emittere nec exequi potest ejusmodi votum sine consensu uxoris; cum in grave ejusdem præjudicium cederet, eamque exponeret periculo incontinentiæ. Quod Luciam attinet, ea absolute non potest adimplere votum suum ob multas, quæ exinde sequerentur, inconvenientias. Hinc S. Thomas in 4. dist. 32. q. un. art. 4. ad 1. ait: *Nec est simile de uxore ad virum; quia uxor cum majori periculo castitatis discurreret per terras, & cum minori Ecclesiæ utilitate. Et ideo uxor non potest hujusmodi votum facere sine viri consensu. Pontas.*

CASUS

CASUS XVII. Adelarius & Columba vivunt pientissime in conjugio, ita ut Adelarius ex solo motivo majoris perfectionis usu matrimonii peroptaret omnino abstinere. Potestne inscia uxore ad id se voto obstringere?

℟. Votum hoc absque consensu uxoris foret illicitum ac invalidum; hinc fieri non potest. Ratio est; quia, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. C. voveri non potest, quod non pendet ex voventis arbitrio; non est autem in arbitrio conjugis denegare conjugale debitum petenti conjugi. *Pontas.*

CASUS XVIII. Si vero Adelarius solum voveret, se nunquam petiturum debitum conjugale, quod in ipsius potestate est. An saltem hoc votum fieri potest?

℟. Sunt, qui ejusmodi votum licitum, sunt quoque, qui illud existimant illicitum; & hæc posterior sententia juxta D. Thomam in 4. dist. 32. art. 4. ad 3. est probabilior: per tale votum enim nimis onerosum redderetur matrimonium comparti, quæ eo nunquam uti posset, quin petat; id quod sane arduum, præprimis intuitu uxorum, quibus ob pudorem naturalem difficilius accidit petere debitum, quam maritis. Nihilominus votum hoc semel emissum valet, & coram Deo obligat. *Pontas.*

Nota. In tali casu conjuges, ne sibi invicem creent periculum, deberent se invicem separare quoad thorum.

CASUS XIX. Cæcilia fœmina maritata potestne sine peccato emittere votum nunquam petendi deb tum a suo marito?

℟. Non obstante opinione S. Thomæ superius citati censetur, Cæciliam posse licite, imo & meritorie tale votum emittere: ratio enim S. Thomæ prius allata solum attingit uxores, quæ semper cum aliqua confusione, & verecundia petunt debitum. *Pontas.*

Nota. Quamvis viro non sit onerosa perpetua abstinentia uxoris; ipsi tamen uxori est periculosa, & ob inevitabiles contactus scrupulis obnoxia obligatio perpetuo abstinendi a petitione debiti.

CASUS XX. Synesius & Mævia, contractis inter se sponsalibus, mutuo consensu ad pedem Altaris coram Sanctissimo, cum prius confessionem peregissent, emittunt votum servandæ ad dies vitæ castitatis & continentiæ, & insuper juramento spondent, se victuros invicem ac si essent frater & soror; Synesius insuper consensum suum dedit Mæviæ inscriptis. Verum aliquot diebus post contractum matrimonium, Synesius petiit debitum conjugale, contendens, se non consensisse in votum, quod cum illa emisit; Mævia vero per totum

totum octiduum denegavit reddere debitum: a confessario tamen admonita, quod in hoc obedire teneatur marito suo, reddidit debitum. Ast postea scrupulis continuo agitata adit quemdam Theologiæ Doctorem, cui visum est, sine peccato mortali non amplius posse reddi debitum; eoque hortante Mævia se contulit in monasterium, ex quo tamen Synesius identidem eam repetiit a Superiorissa. An Mævia tuta conscientia potest, aut omnino tenetur redire ad maritum? Num Mævia invita a Superiorissa dimittenda est ex monasterio?

R. In foro externo nullam prorsus Synesius fidem meretur, dum contra propria dicta & scripta affirmat, se non consensisse in votum una cum Mævia emissum; nec absque peccato potest debitum conjugale petere, donec legitimam dispensationem obtinuerit: votum enim ipsius hac ratione factum, ut in casu ponitur, non annullatur per matrimonium; cum unum cum altero possit subsistere, ut docet S. Augustinus Can. *Manifestum*. 11. Can. *Quod Deo*. 4. & Can. *Una*. 6. 33. q. 5. Ad Mæviam quod attinet, licet ea, in consummationem matrimonii consenserit, non tamen tenetur continuare redditionem debiti, saltem nisi Synesius exposita facti veritate, id est, reciproca ac mutua promissione, legitimam dispensationem a voto & juramento non obtinuerit; quo in casu Mævia ad Synesium redire, non obstante voto suo debitum reddere, ac cum eo ut uxor cum marito vivere teneretur: nec tamen absque violatione voti debitum petere posset, nisi & ipsi dispensatio concessa fuerit. Superiorissa denique Mæviam nullatenus in conventu, in quem se recepit, retinere potest contra voluntatem mariti eam reclamantis: totum, quod ea in favorem hujus fœmina facere potest: consistit in eo, quod possit desuper exspectare sententiam judicis. *Pontas*.

Nota. Ejusmodi vota conjugibus, aut matrimonio voto ligatis nunquam consulenda sunt.

CASUS XXI. Philologus periculose decumbens in præsentia plurium personarum duo facit vota, 1. Filiam natu minimam septennem in religioso Ordine Deo consecrandi; 2. Filium suum Theodoricum peregrinatum mittendi ad B. Virginem Lauretanam, ut ibi per novem dies ad Deum preces fundat pro conversione peccatorum. Teneturne Theodoricus in conscientia adimplere votum patris? An & filia competentem ætatem adepta tenetur ingredi Religionem?

R. Si Theodoricus ratum non habuit votum patris, nec ejusdem adimpletionem promisit, non tenetur coram Deo illud adimplere. Idem dicendum de filia quæ ante adeptam pubertatem ne

ne quidem potest ratihabere votum paternum. Regulariter nunquam tenetur quis ad votum personale, quod ipse non emisit, nisi ad illud adimplendum se obligaverit. *Pontas.*

CASUS XXII. Flaccus gravi periculo liberatus vovit in præsentia hæredum suorum præsumptivorum, se peregrinaturum ad ecclesiam viginti leucis a suo domicilio distantem, ac reducem se donaturum 250. florenos pauperibus suæ parochiæ. Ast Flaccus domum redux moritur. An hæredes ipsius dictos 250. florenos in pauperes erogare tenentur?

℞. Votum hoc, cum sit reale, a quocumque demum impleri potest. Hinc hæredes Flacci ex bonis hæreditariis tenentur summam 250 florenorum elargiri pauperibus parochianis. Non tenerentur autem ad implendum votum peregrinationis; cum hoc afficiat ipsam ac solam personam voventis. *Pontas.*

CASUS XXIII. Matthias annos natus octodecim in fervore devotionis fecit votum jejunandi singulis feriis sextis: postea vero dubitat, an verum emiserit votum. Quid ipsi agendum? An sub peccato mortali tenetur ad hoc jejunium?

℞. *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*, inquit Eugenius Papa Cap. *Juvenis.* 3. Lib. 4. Tit. 1. Hinc Matthias tenetur jejunare, si dubium sit rationabile, & non merus sit scrupulus male fundatus. *Existens in dubio*, ait S. Antoninus Summ. Theol. part. 2. Tit. 11. *an transgrediatur votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur. Fontas.*

NOTA. Si rationabiliter dubitat de emissione voti, eo ipso non obligatur voto.

CASUS XXIV. Anastasia in quadam communitate ex centum & ultra puellis constante, & ab Episcopo instituta ac confirmata emisit votum virginitatis & perpetuæ continentiæ, assistentibus huic ceremoniæ plurimis personis varii sexus & conditionis, immo præsente ipso Episcopo. An votum istud solemne dici potest?

℞. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 7. ad 3. votum hoc, licet publice emissum, non nisi simplicis voti rationem habet; quia ecclesia tantum illud votum pro solemni habet, quod emittitur in Religione a S. Sede approbata, & in receptione Ordinum sacrorum. *Pontas.*

CASUS XXV. Duæ personæ emiserunt votum ex metu gravi, & cadente in virum constantem: v. g. Poponius in periculo vitæ vovit ingressum in Religionem, si evaderet; & Leocadia emisit professionem solemnem ex metu mortis,

quam

quam pater ipsi comminabatur, si non profiteatur. An ejusmodi vota obligant?

℟. Votum Poponii valet: metus enim, qui fuit motivum hujus voti, provenit a causa interna, ac pure naturali; & ejusmodi metus non potest annullare votum. *Quidam Clericus*, ait Innocentius III. Cap. *Sicut*. 17. Lib. 3. Tit. 31. *cum ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sanitate desperans habitum Canonicorum Regularium petiit & accepit... Quod si regularem habitum se postulante suscepit, & ad observationem religionis canonicæ sua se professione ligavit, ad resumendum habitum ecclesiastica est districtione cogendus.* Votum vero Leocadiæ nullum est; quia metus ejusdem provenit a causa extrinseca & libera; sicque juxta Alexandrum III. Cap. *Perlatum*. 1. Lib 1. Tit. 40. omne votum irritat. Hinc concilium Tridentinum Sess. 25. de reform. c. 17. puellas religionem ingressuras sedulo explorari jubet, dum ait: *Puella quæ habitum regularem suscipere voluerit, non ante suscipiat, nec postea professionem emittat, quam exploraverit Episcopus virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Pontas.*

CASUS XXVI. Baldericus viginti annos natus vovit ingressum in religionem; sed ex mera negligentia per integrum jam annum distulit implere votum suum. An absque peccato tamdiu differre potuit? An sub peccato tenetur ocyus & absque ulla dilatione implere votum; licet vovens tempus ad illud adimplendum non determinaverit?

℟. Coram Deo haud dubie peccavit tamdiu differendo executionem voti, teneturque sub peccato illud quamprimum exequi; saltem nisi justa causa dilationem excuset. Sic dicitur Deuter. 23. v. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Pontas.*

CASUS XXVII. Ernestus periculose decumbens vovit ingredi religionem ad agendam de peccatis suis pœnitentiam, si evaderet, & sanus fieret. Post dies quindecim sanus factus ante lapsum anni ingressus est Congregationem Oratorii, ibique omnes sacros Ordines recepit. Jam quæritur 1. An votum Ernesti sit validum, licet metu mortis emissum. 2. Si est validum, & legitima subsit causa petendi dispensationem, num recurrendum sit Romam; aut an satisfiat voto per ingressum in Congregationem Oratorii, & receptum ibi presbyteratum? 3. Supposito quod Ernestus sufficienter adimpleverit votum, potestne hanc congregationem pro arbitrio suo deserere, quod liberum est omnibus in hac Congregatione existentibus. 4. Posito, quod voto non satisfecerit, teneaturque ingredi Ordinem

dinem religiosum, an non ab hac ipsa obligatione immunis censendus foret ob continuos vix non dolores capitis, quibus affligebatur.

℞. *Ad* 1. Votum Ernesti est validum, licet ex metu mortis emissum. *Ad* 2. Cum votum hoc fuerit conditionatum, opus haud foret pro dispensatione Romam recurrere, si ea peteretur ante recuperatam valetudinem; si autem post recuperatam jam valetudinem peteretur dispensatio, ea a solo Papa obtineri posset; quia purificata sic conditione votum conditionatum transit in absolutum. *Ad* 3 Ernestus non satisfecit voto suo ingrediendo Congregationem Oratorii, ibique presbyteratum recipiendo; cum Congregatio isthæc nullum admittat votum, nec solemne nec simplex, membrisque ejusdem plena sit libertas inde egrediendi. *Ad* 4. Continui fere dolores capitis sufficiens fors causa sunt non emittendi professionem in Ordine religioso; non autem eximunt ab obligatione se præsentandi, & tentandi vires, an observandæ regulæ pares sint. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Instituta est in Hispania Congregatio Clericorum sæcularium, cujus Author requisito prius totius communitatis consensu petiit ac obtinuit a Papa anno 1650. Breve, vi cujus omnes recipi volentes tenentur in manus Superioris deponere quatuor vota simplicia, videlicet castitatis, paupertatis, obedientiæ ac stabilitatis. Verum cum postea experientia edoceret, votum paupertatis non posse convenire cum functionibus ordinariis membrorum congregationis, obtinuit aliud Breve cum hac modificatione: *Omnes & singuli in dicta congregatione, dictisque quatuor votis emissis recepti; qui immobilia, vel Beneficia obtinent, aut in futurum obtinebunt ac possidebunt, licet dominium illorum omnium retineant, eorumdem tamen usum liberum non habebunt; ita ut neque fructus de hujusmodi bonis vel Beneficiis provenientes retinere, neque in proprios usus sine licentia Superioris quidquam convertere possint, sed de eisdem fructibus cum facultate & arbitratu Superioris in pia opera disponere tenebuntur.* Variæ ex hoc ipso Brevi oriebantur difficultates ob varias interpretationes ejusdem, ita ut Congregatio in conventu generali sensum Brevis Pontificii determinatura ita statuerit, *Omnibus & singulis mandat ac præcipit, ne a quoquam vel gratuito, vel mutuo, vel alio quovis modo pecuniam, aut alia mobilia sine licentia Superioris recipiant, aut donent, aliis dent in mutuum, apud alios retineant, aut apud se servent, gestentque secum, ac iis pro libitu utantur: quæ omnia Conventus condemnat tanquam paupertati, quam profitemur, prorsus aliena.* Sed nec Brevia Apostolica, nec decretum Conventus potuerunt omnes com-

ponere motus. Sic Galeacius membrum Congregationis dubitat 1. An Breve primum adhuc ad aliquid obliget, & an non per Breve secundum penitus fuerit abrogatum. 2. An peccet contra votum paupertatis, si sine permissione Superioris apud se retineat pecuniam, cum in Brevi dicatur solum *retinere*, & non *apud se retinere possint*. 3. An non translatus ex una domo Congregationis in aliam possit sibi absque Superioris licentia attribuere libros propriis pecuniis emptos. 4. An peccaverit contra votum inscio Superiore acceptando pecunias aut alias res dono oblatas, quas absque scrupulo accipi posse existimaverat; cum secundum Breve, quod de rebus suis mobilibus disponere vetat, ultro donata accipere non prohibeat.

℟. *Ad* 1. Breve primum in suo adhuc vigore persistit, excepta sola proprietate bonorum immobilium: non enim fuit revocatum, sed solum explicatum ac limitatum per Breve secundum, quod voventibus in Congregatione paupertatem relinquit dominium bonorum temporalium, quæ possident, ita ut ea vendere, permutare aut donare possint, & votum restringit ad solum usum redditunm ex his bonis provenientium aliorumque bonorum mobilium, de quibus sine licentia Superioris disponere non possint. *Ad* 2. Galeacius peccat contra votum suum, si pecunias ex bonis suis immobilibus aut aliunde provenientes apud se retineat sine licentia Superioris: distinctio enim inter *retinere* & *apud se retinere* frivolum effugium est; cum Papa per terminum generalem *retinere* comprehendisse censeatur *omnem retinendi modum*, & ipse generalis Conventus Congregationis in suo decreto omnem sinistræ ejusmodi interpretationi aditum præcluserit, dum ait: *Ne apud alios retineant, aut apud se servent, gestentque secum*. *Ad* 3. Quodlibet Congregationis sive sæcularis sive regularis membrum tenetur in conscientia servare ejusdem statuta. Hinc Galeacius non potest transferre libros a se emptos in aliam domum propria authoritate; quia id prohibetur in statutis suæ Congregationis. *Ad* 4. Breve secundum non prohibet quidem membris privatis accipere pecunias dono datas; sed votum paupertatis non permittit, ut eas sibi attribuant animo ut proprias possidendi. *Pontas.*

CASUS XXIX. Genebaldus vovit ingressum in Religionem, nullam tamen determinando. Hinc recipi petiit apud Benedictinos; sed repulsam tulit. Teneturne admissionem petere in alio Ordine?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2. certum est, Genebaldum non satisfacere voto, nisi susceptionem quærat in alio monasterio aut Ordine. Verum si intentio Genebal-

di

di respexisset certum aliquod monasterium aut determinatum Ordinem, & in eo bona fide supplicasset pro admissione, & tamen fuisset repulsus, non amplius teneretur voto. *Si quidam intendit simpliciter se ad Religionem obligare*, ait S. Doctor, *si non recipitur in una Religione, tenetur ire ad aliam: si vero se intendit specialiter obligare ad unam solum, non tenetur nisi secundum modum suæ obligationis. Pontas.*

CASUS XXX. Gabriel vovit ingredi Religionem S. Benedicti; sed cum in quodam monasterio peteret suscipi, admissus non est, eo quod, ut Superior ipsi indicabat, ineptus esset ratione sanitatis ad perferendas austeritates Ordinis. An ex hoc jam liber est ab obligatione voti?

℟. Juxta D. Thomam l. c. liber est; nec tenetur admissionem petere in alio monasterio, si idem responsum se reportaturum prævideat. *Pontas.*

CASUS XXXI. Amadeus vovit ingressum in Ordinem Carthusianorum vel Camaldulensium; sed postmodum professus est in alio Ordine minus austero. Teneturne adhuc ad tranquillandam conscientiam suam ingredi alterum ex his duobus Ordinibus?

℟. Non tenetur ad aliud, quam ut pœnitentiam agat de peccato suo ac violatione voti: votum enim solemne in religione minus austera emissum, ut D. Thomas l.c. art. 8. ad 3. observat, fortius obligat ac stringit quam votum simplex, quo quis ad ingressum in religionem strictiorem se obligat. *Pontas.*

Nota. Si in Ordine, quem ingressus est, notabiliter est laxior observantia, par autem in utroque Ordine opportunitas collaborandi ad Dei gloriam, ac insuper ad strictiorem observantiam vires suppetant, Superioresque transitum non illibenter ferant, Deus non censetur cedere jure suo ad solvenda duo vota, simplex & solemne in Ordine rigidiore, utpote compatibilia.

CASUS XXXII. Palæmon ingressus est monasterium, in quo ex Superiorum negligentia abierunt in desuetudinem præcipua disciplinæ regularis capita, cumque existimaret, regulam non obligare ad majorem austeritatem, ac in conversatione Religiosorum observaverat, professionem emisit ad hanc ipsam vivendi normam, & cum intentione se se gerendi more aliorum professorum. Agnovit autem postea, quanta sit in Religiosis corruptio, & quam longe alia in regula præscribantur, cujus rigorem si prius scivisset, nunquam professionem emisisset. Potestne tuta conscientia & deinceps vivere more reliquorum Religiosorum? Aut num solus coram Deo tenetur se conformare regulæ?

℟. Si Palæmon non agnovit, hanc relaxationem esse contra regulam Ordinis aut monasterii, & bona fide credidit, se non obligari ad strictiorem observantiam, ac de cætero nil agat contrarium tribus votis essentialibus, castitati, paupertati & obedientiæ, excusatur a peccato, si vivat more reliquorum. Sic sentinnt plures Authores, & nominatim Cabassutius L. 1. c. 21. n. 12. Ratio est; quia Palæmon præsumere potest, Superiores hujusmodi relaxationem haud permisisse absque ratione, quæ ipsis legitima visa est, eamque satis approbatam consensu saltem tacito summi Pontificis. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Andronicus in quadam Congregatione regulari susceptus professionem emisit ut frater conversus, absolute se obligando Religioni ad omnes constitutiones ibi observari solitas, quæ tamen continebant, quod conversi, qualis ipse erat, possint remitti ad sæculum, si ita expedire videatur, nulla habita ratione temporis, quo se in Religione detinuerant. Andronicus hujus incerti status pertæsus expleto jam integro in Religione decennio abiit absque Superioris licentia, & in alio monasterio Ordinis S. Benedicti tria solemnia vota Deo nuncupavit. Potuitne privata authoritate sic discedere ex Congregatione? Estne valida professio ipsius apud Benedictinos edita? Num tuta conscientia in secundo monasterio persistere potest?

℟. Etsi professio in præfata Congregatione deposita sit valida, Andronicus tamen privata authoritate potuit monasterium Benedictinorum ingredi; neque emissa ibi professione tenetur ad Congregationem redire, etsi ab ejusdem Superioribus reclametur. Professio non solum debet esse absoluta ex parte profitentis, sed etiam absolute ac stabiliter acceptari debet a Superiore & Communitate, in qua emittitur. *Professio*, inquit Navarrus L. 3. Conf. de regul. conf. 26. n. 1. *est in effectu quidam contractus reciprocus, ultro citroque obligatorius, quo profitens se obligat monasterio vel Ordini ad serviendum ei secundum regulam ejus; & econtra monasterium ad alendum & tractandum eum secundum eandem regulam. Pontas.*

NOTA. Hæc responsio haud acceptanda videtur: licitus est enim contractus, quo laicus se monasterio vel Ordini obligat ad perpetua servitia, quin Ordo vel monasterium se vicissim obliget ad eum perpetuo retinendum pro omni causa & eventu. Contractus autem licitus servandus est; nec sic ligatum ære vel jure alieno recipere licet absque consensu obligantis. Fatendum tamen, taliter ligatum proprie non esse Religiosum.

CASUS

CASUS XXXIV. Hilarius anno ætatis suæ vigesimo secundo in periculosa infirmitate constitutus votum emisit, si reconvalesceret, suscipiendi vitam monasticam in monasterio de la Trappe, etsi nullum de usitatis ibi austeritatibus notitiam haberet. Verum cum recuperata sanitate paulo post affligeretur duplici ruptura, nulla amplius habita ratione voti contraxit matrimonium. Jam quæritur 1. Num votum Hilarii fuerit verum votum Religionis. 2. An ob supervenientem rupturam fuerit liberatus ab obligatione, sicque potuerit contrahere ac consummare matrimonium absque peccato mortali, 3. Supposito, quod peccaverit contrahendo matrimonium, an toties peccaverit, quoties petiit debitum 4. An illud votum a confessario ordinario non possit commutari in alia pia opera, saltem tempore universalis Jubilæi?

℟. *Ad* 1. Juxta definitionem voti a D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 2. C. allatam Hilarius vere emisit votum simplex Religionis. *Ad* 2. Etsi Hilarius temerarie emiserit hoc votum, sciebat tamen statum, ad quem amplectendum sese voto obstrinxerat, esse longe perfectiorem ac acceptiorem Deo statu suo moderno, ejusque difficultates se facile superare posse cum Dei gratia: ideoque ante contractum defectum tenebatur tentare modo possibili susceptionem; neque, dum in præjudicium voti sui contraxit matrimonium, potest excusari a peccato mortali. Contracta autem semel ruptura, si eam credat esse incurabilem, non amplius ligatur voto; adeoque licite contrahit matrimonium, cum defectus iste sit evidens obstaculum ad ingressum Religionis tam austeræ. *Id omne*, inquit Sylvius in 2. 2. q. 88. V. *Votum* 1. *quod ante votum emissum reddidisset rem inhabilem, ut esset materia voti, si voto facto superveniat, etiam reddit eandem rem inhabilem.* Unde sequitur, Hilarium non peccasse mortaliter, si matrimonium contraxit, non nisi postquam se penitus inhabilem sensit ad professionem religiosam, ad quam se voto obstrinxerat. *Ad* 3. Juxta eundem Authorem Hilarius non peccavit toties, quoties petiit debitum, licet peccasset matrimonium ineundo. Ratio est; quia ille, qui vovit simpliciter ingredi Religionem, quin habuerit expressam intentionem vovendi castitatem, non tenetur præcise vi voti ad castitatem, sed potest contrahere matrimonium in casu, quo ad professionem religiosam admitti non possit. *Ad* 4. Cum simplex confessarius non possit dispensare in voto simplici Religionis, nec illud commutare, nisi Papa in Bulla Jubilæi confessariis exprese hanc facultatem concedat, Hilario pro dispensatione, si ea indigeat, Romam recurrendum est. *Pontas.*

 NOTA.

Nota. In voto Religionis dubii valoris, ubi v. g. merito dubitatur an sit de meliori bono, vel utrum cum matura deliberatione emissum sit, dispensatio vel commutatio pertinet ad Episcopum.

CASUS XXXV. Hildegardes professa est in aliquo monasterio Monialium, in quo jam ultra triginta annos non amplius observatur clausura. Novus autem Superior exacte deinceps observari clausuram præcipit. An tenetur Hildegardes in conscientia huic ordinationi sese subjicere, maxime, si expressam in sua professione intentionem habuit, nunquam se obligandi ad clausuram, aut omnino Superiorissæ suæ declaraverit, se non emissuram professionem, nisi ea conditione, ut nunquam adstringatur ad clausuram?

℞. Certum est, quod Hildegardes teneatur se submittere clausuræ a novo Superiore restitutæ: solemne enim votum obedientiæ eam obligat, ut justis Superioris sui legitimi mandatis obtemperet: justum autem est mandatum, vi cujus a novo Superiore omnibus hujus conventus Monialibus servanda deinceps clausura injungitur; idque conforme est decreto Concilii Tridentini, quod omnibus Episcopis sub interminatione reddendæ rationis in divino judicio, & incurrendæ maledictionis æternæ præcepit, ut in omnes conventus Monialium, in quibus clausura non vigebat, eam introducant, non obstantibus oppositionibus quibuscumque. *Pontas.*

Nota. Professio hujus Monialis vel omnino est invalida, vel certe valoris dubii; ac proin subjacet dispensationi vel commutationi episcopali.

CASUS XXXVI. Tiphania uxor Oliverii consensit, ut maritus fieret presbyter; ac postmodum & ipsa emisit votum perpetuæ castitatis. An tenetur Religionem ingredi? Aut num poterit manere in sæculo, & in eadem cum marito urbe?

℞. Si Oliverius nondum recepit sacros Ordines, & Tiphania adhuc sit ætatis admodum vegetæ, Episcopus Oliverium ad eos non admittat, nisi uxor prius Religionem ingressa fuerit. Si autem Tiphania jam provectæ admodum ætatis est, & extra omnem suspicionem incontinentiæ posita, Oliverius potest ordinari, quin ea obligetur ad ingressum in Religionem. Si vero Oliverius jam est ordinatus presbyter, uxor ipsius, quæ consensit in ejus ordinationem, & votum continentiæ emisit sine ulla intentione ingrediendi Religionem, non obligatur ad ejusdem ingressum, sive parum, sive multum provectæ ætatis sit. Nihilominus si prævideatur, ex hoc, quod in eadem urbe commorentur ambo, oriturum scandalum, ob fre-

frequentes scilicet mutuas salutationes, Tiphania ex charitate teneretur alio discedere. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Eulogius vovit, se jejunaturum diebus Mercurii & Sabbati per totam vitam; idque jam implevit decem annis. Factus autem postmodum Religiosus jussus est a Superiore manducare cum aliis, & abstinere ab hac singularitate. Num obedientia Superiori debita tollit votum prius emissum?

℟. Religiosus iste liber est a voto, quod in sæculo emiserat; & sic non datur obligatio servandi vota facta ante solemnem professionem. Ita docet S.Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. Ratio est 1. Quia per professionem homo totam vitam suam consecrat servitio divino, ita ut omnia opera bona, ad quæ se prius voto obstrinxerat, censeantur comprehensa in unico voto Religionis. 2. Quia Religionem profitens moritur quodammodo vitæ priori, ut aliam omnino novam inchoet. 3. Quia singularitates non bene concordant cum vita communi monastica. *Pontas.*

Nota. Non ita certum est, Religiosum per solemnem professionem liberari, vel per Superiorem absolvi posse ab omnibus votis in sæculo emissis, certe non præjudicantibus vitæ communi, aut bono ac honestati status religiosi, ut sunt v. g. vota tendentia ad supprimendam passionem vitiosam prædominantem, aut stabiliendam virtutem &c.

CASUS XXXVIII. Pantaleon Religiosus in quodam monasterio amplissimæ urbis, in quo plusquam centum Religiosi degunt, emisit votum singulis diebus recitandi septem psalmos pœnitentiales. Cum autem a Superiore constitutus fuisset janitor, vix ullum ipsi tempus supererat ad persolvendum votum suum. Potuitne Pantaleon valide emittere hoc votum? Et supposito ejusdem valore, teneturne sub peccato mortali illud adimplere?

℟. Pantaleon non potuit hoc votum emittere sine consensu sui Superioris; & consequenter nec tenetur illud implere: Religioso enim nullum tempus suppetit, in quo Superior eum non possit occupare; nec potest se Deo obligare ad illud distribuendum pro suo libitu, sub quocumque prætextu id fiat. S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. *Pontas.*

Nota. Si non impediretur per suas functiones, obligaretur voto. In dubio an impediatur, votum a confessario commutandum est.

CASUS XXXIX. Claudia Novitia tertii Ordinis S. Francisci non dubitans, se admittendam ad professionem, secreto ac privatim emisit tria vota hujus tertii Ordinis. Cum autem

præter exſpectationem dimitteretur ex novitiatu, poſtea profeſſa eſt in conventu Urſulinarum. An ſoluta eſt a tribus votis prioris Ordinis ? Et num idem dicendum, ſi maneret in ſæculo ?

℟. Dum Claudia profeſſionem emiſit in conventu Urſulinarum, penitus ſoluta eſt a votis præcedenter emiſſis. Verum ſi in ſæculo remaneat, & vota prius emiſit cum cognitione cauſæ, & poſt maturam deliberationem, ea tenetur obſervare. *Pontas.*

Nota. In Sæculo non teneretur ad votum paupertatis & obedientiæ utpote devolutum ad circumſtantias obſervantiæ moraliter impoſſibilis. Votum autem caſtitatis fundatum in errore, ac proin dubii valoris, eſſet diſpenſabile vel commutabile ab Epiſcopo.

CASUS XL. Num votum reale obligat hæredes, deductis prius ære alieno & legitima ?

℟. Si promiſſio per votum facta non fuerit inſerta teſtamento defuncti, iſque votum poſt mortem ſuam adimplendum non mandaverit, non videntur obligari hæredes. *Fromageau.*

Nota. Si morali certitudine de voluntate defuncti conſtat, ea implenda eſt.

CASUS XLI. Puella quædam vovet, ſe ingreſſuram Religionem, ſi non poſſit nubere cuidam determinato adoleſcenti. Teneturne adimplere votum ?

℟. Tenetur, quantum id pendet ex ejus arbitrio. Epiſcopus tamen poteſt diſpenſare in hoc voto, niſi jam impleta ſit conditio ; ſublata enim per poſitionem conditionis ſuſpenſione voti non amplius diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut quidam Authores volunt. *Fromageau.*

Nota. Cum hoc votum ex ſua natura ſit conditionatum, non eſt reſervatum Papæ, ſive conditio fuerit impleta ſive non.

CASUS XLII. Non nemo grave crimen commiſit, & ex metu incurrendæ pœnæ emittit votum, ſi evadat pœnam. Teneturne hoc votum adimplere ?

℟. Tenetur in conſcientia ad implendum votum ; nec id commutari poteſt, ni in majus bonum. *De Lamet.*

Nota. Cum hoc votum ſit conditionatum, non impleta conditione ad nihil tenetur. Aliter dicendum, ſi voviſſet cauſaliter hoc modo : *ut evadat.*

CA-

CASUS XLIII. Incolæ cujusdam civitatis actu publico debitis formalitatibus vestito emittunt votum publicum; sed personale, Tenenturne illud adimplere?

℟. Tenentur; quin tamen per hoc obligare possint suos posteros & successores. Et si velint liberari a voto suo, pro dispensatione adeundus est Episcopus. *De Lamet.*

Nota. Sic quando integra communitas pro aversione mali, vel consecutione boni vovet ad determinatum diem ferias vel processionem annuam, & votum non exhibeatur Episcopo pro confirmatione, non tenentur posteri ad votum. Si vero votum fuit approbatum ac confirmatum ab Episcopo, obligantur & posteri, quamdiu non dispensaverit Episcopus; prout in dioecesi Augustana jam sæpius fuit promulgata dispensatio episcopalis circa ferias, ut vocant, devotionales, sive deinde ex voto communitatis, sive ex libera solum devotione ortæ fuerint.

CASUS XLIV. Quidam emisit votum animo violentis tentationibus perturbato. Valetne?

℟. Non valet; quia taliter voventi & cognitio & libertas deest sufficiens ad contrahendam veram obligationem. Nec renovatio voti ab initio invalidi vim ac valorem illi tribuit. *Fromageau.*

Nota. In dubio, an vovens habuerit sufficientem deliberationem, aut num votum sit de meliori bono, vel acceptatum a Deo, facienda est commutatio voti a confessario quocunque.

CASUS XLV. Clericus quidam complexionis admodum teneræ votum emisit ingrediendi Ordinem Capucinorum. Teneturne voto?

℟. Tenetur: si tamen assumpto habitu, & adhibitis, quæ potuit, omnibus, ut ad professionem admittatur, se nimis debilem experiatur ad sustinendas austeritates Ordinis, potere debet dispensationem a Papa; qua obtenta tranquillo animo redire poterit in statum suum pristinum, in eoque perseverare. *De Lamet.*

CASUS XLVI. Homo quidam in gravi infirmitate constitutus votum emisit amplectendi statum Capucinorum, aut Eremitarum. Quænam obligatio hujus voti?

℟. Verum isto votum emisit, teneturque illud exequi: quia tamen votum hoc est disjunctivum, poterit pro libitu se determinare ad statum alterutrum. Si eligat statum Eremitarum, & graves rationes interveniant eum non amplectendi, poterit Episcopus, & tempore Jubilæi quivis sacerdos approbatus dispensare in hoc voto, ita, ut talis postmodum etiam contrahere matrimonium possit. *Fromageau.*

CASUS XLVII. Presbyter quidam cujusdam Congregationis sæcularis, in qua tantum emittuntur vota simplicia, in quibus Superior dispensare potest, vovit, se nunquam petiturum dispensationem. Potuitne emittere tale votum?

℟. Potuit; sed Superior etiam in hoc posteriori voto dispensare, illudque vi potestatis suæ, quam habet in subditos, irritare potest, quando id expedire judicaverit. Votum in nullo unquam casu, & quidquid evenerit, petendi dispensationem aut commutationem votorum suorum, est nullum; quia fieri potest, ut sit de re illicita. *Fromageau.*

Nota. Causalis hæc: *quia &c.* non est bona. Potiùs dicendum, ideo tale votum esse nullum; quia se extendit etiam ad circumstantias, in quibus votum potest desinere esse de meliori bono.

CASUS XLVIII. In quibusdam communitatibus Monialium emittuntur vota simplicia, & tamen conservatur proprietas bonorum. Num hæc vota *quoad solum bonorum usum* coram Deo perinde obligant, ac vota solemnia?

℟. Eodem modo obligant, Monialesque emissis his votis nihil omnino vel dare possunt, vel accipere absque Superior fiæ consensu. Confessarius quoque eas absolvere nequit, nisi paupertatis votum, quod emiserunt, se servaturas promittant. *Fromageau.*

CASUS XLIX. Obligantne vota ante solemnem professionem emissa?

℟. Per vota solemnia extinquuntur omnia alia vota prius emissa. Hinc post solemnem professionem non obligant amplius; Superiorque habet jus eorum executionem impediendi. *Fromageau.*

Nota. Hoc verum est circa vota præjudicantia statui religioso. Circa non præjudicantia falsum est. In dubio an præjudicent, servanda est declaratio Superioris. Vide cas. 57.

CASUS L. Quidam in periculo mortis constitutus emisit votum ingrediendi Religionem, si convaluisset. Teneturne illud adimplere?

℟. Si, dum emisit hoc votum, fuit sufficienter mentis compos, ut cum electione & libertate agere potuerit, tenetur illud adimplere. In dubio de sufficienti libertate ac electione recurrendum est ad Papam, ejusque res judicio relinquenda. *De Lamet.*

Nota. Si votum fuit conditionatum sub conditione reconvalescentiæ, non est reservatum Papæ. Vide cas. 27. & 34.

CA-

CASUS LI. Puella quædam emisit votum redeundi in monasterium, ex quo Novitia egressa fuerat. Censeturne soluta ab obligatione adimplendi votum, si statim ab initio quædam difficultates moveantur de iterata ejusdem receptione?

℟. Non est soluta, si nihilominus postmodum ipsi offeratur ingressus. Si tamen eam in se a vita religiosa alienationem sentit, ut non temere credi possit, ei vocationem deesse, pro dispensatione in voto Papam accedere debet. *De Lamet.*

CASUS LII. Adolescens quidam votum emisit ingrediendi Religionem, illudque sæpius ratum habuit. Teneturne suo voto?

℟. Tenetur; & solus Papa in eo dispensare potest, & quidem non nisi ex gravibus motivis. Si Papæ non videatur concedenda dispensatio, adolescens paratus esse debet ad amplectendam Religionem. *De Lamet.*

Nota. Supponendum, hunc adolescentem jam esse egressum annos pubertatis.

CASUS LIII. Non nemo professionem emisit in Capitulo, quin ullus ex conventu præsens fuerit.

℟. Professio hæc æque solemnis ac valida est, acsi publice in ecclesia fuisset emissa, si consuetudo & constitutiones monasterii, ubi viget hæc praxis, sunt approbatæ ab Ecclesia. *Fromageau.*

CASUS LIV. Benedictini non reformati introduxerunt consuetudinem non utendi cibis quadragesimalibus, nisi diebus Veneris & Sabbati. Suntne securi in conscientia?

℞. Si ipsimet introduxerunt hanc consuetudinem, absque peccato eam sequi non possunt. Verum si eam jam introductam repererunt, eidem se conformare possunt. Hi ipsi Religiosi tenentur in communi vivere, & uti mensa communi. Quod attinet laborem manualem a regula S. Benedicti præscriptum, idem ferendum est judicium, quod de obligatione vescendi cibis quadragesimalibus. *Fromageau.*

CASUS LV. Potestne Religiosus voto paupertatis adstrictus tuta conscientia pecuniam possidere contra voluntatem Superioris sui?

℟. Non potest; imo neque Superior id ipsi permittere potest absque causa legitima. Tenetur autem Superior ipsi necessaria suppeditare. Religiosus professus, qui crederet, se posse possidere pecuniam ex eo, quod in aliis bene praxis observasset, coram Deo non excusaretur. Præterea Religiosus uti debet veste simplici & modesta, & quidem juxta morem monasterii. Tenetur insuper exacte ac fideliter indica-

re suo Superiori, quæ possidet, quin vel minimum celare præsumat. *De Lamet.*

CASUS LVI. Num possunt Moniales voto paupertatis adstrictæ quidpiam possidere tanquam proprium?

℟. Non possunt tuta conscientia quidpiam tanquam proprium possidere, vel sibimet ipsis applicare pensiones particulares, aut munuscula, quæ recipiunt. Nec Superiores, nec Abbatissæ, nec Priorissæ possunt in hoc cum Monialibus dispensare, iisve permittere, ut quidquam proprii habeant, aut depositi, sive extra sive intra monasterium. *De Lamet.*

Nota. Deposita sub custodia, & libera consensione Superiorissæ licita sunt.

CASUS LVII. Quæritur 1. An possit Monialis professa annuam pensionem, vel alias pecunias a consanguineis suis recipere, easque convertere in munuscula. 2. Num possit Superiorissa de quadam summa pecuniæ disponere absque consensu Communitatis. 3 Num ipsa Communitas notabile honorarium possit facere Episcopo, quin speciali titulo ipsi devincta sit. 4. Teneturne Superiorissa solvere debita contracta a quadam Moniali sibi subdita. Aut num ea ipsa Monialis potest negotiationem, aut aliud genus commercii exercere, ut tantum aquirat, quantum requiritur ad expungenda debita. 5. Quid agendum confessario cum Moniali, quæ sic agere cosueverit, nec tamen quidpiam in confessione exponit; confessarius autem id aliunde scit?

℟. *Ad* 1. Monialis, de qua agitur, etiam permittente Superiorissa non potest recipere pensionem annuam aut alias pecunias cum facultate *libere* de iis disponendi, aut eas convertendi in munuscula *arbitraria*; sed quidquid pecuniæ cum licentia a suis consanguineis accipit, in communem massam deferri debet. Superiorissa, quæ Moniali cum ejusmodi acceptis pro libitu disponendi facultatem daret, ageret contra regulam & constitutiones. *Ad* 2. Superiorissa habens administrationem bonorum sui monasterii potest circa ea disponere, prout bonum & æquum ipsi videbitur. Semper quoad hoc autem attendenda est consuetudo in monasterio recepta. *Ad* 3. Communitas potest facere honorarium etiam notabile Episcopo ratione protectionis & favoris, quibus ab eo gaudet. *Ad* 4. Superiorissa non tenetur solvere debita Monialis sibi subditæ in præjudicium Communitatis. Neque ipsi Moniali licet negotiationem aliquam exercere, utpote omnibus personis sacris prohibitam. *Ad* 5. Confessarius inprimis debet monere ejusmodi Monialem, dein omnino ipsi absolutionem denegare, si emendare se nolit. *Fromageau.*

No-

NOTA. *Ad* 1. Sufficit accepta referre ad depositum, a Superioriffa affervandum, ut fine ejus confenfu quidpiam applicari non poffit. *Ad* 2. Superioriffa ex bonis communitatis nil poteft expendere, nifi cum rationabiliter præfumpto confenfu communitatis.

CASUS LVIII. Quæritur 1. An detur obligatio fervandi vota folemnia fub peccato mortali? 2. An eadem fit obligatio fervandi regulam & conftitutiones Ordinis? 3. An ea fit obligatio voti paupertatis, quæ eft voti caftitatis? 4. An obligatio votorum folemnium fit juris divini, aut tantum humani?

℟. *Ad* 1. Vota folemnia obligant fub peccato mortali. *Ad* 2. Non tamen idem dicendum de regulis & conftitutionibus Ordinum. *Ad* 3. Eadem eft obligatio fervandi votum paupertatis, quæ eft fervandi votum caftitatis. *Ad* 4. Obligatio votorum folemnium eft juris divini; Ecclefiaque in iis conftituit effentiam ftatus Religiofi. Leges mere humanæ jus fuum obligandi fub pœna peccati trahunt a poteftate Superioribus a Deo conceffa ad confervandum rectum ordinem ac promovendum bonum publicum; & omnis doctrina contraria falfa eft, temeraria & periculofa. Advertendum hic, quod falfo quidam Gerfoni Cancellario Parifienfi tribuerint opinionem; vota Regularium tantum pertinere ad regimen politicum, & gubernationem externam Religioforum, nec ea obligare in confcientia: quod enim Gerfon nunquam in ea fuerit fententia, complures Authores evincunt. *De Lamet.*

NOTA. Cum Religiofi voveant obedientiam conformiter ad conftitutiones Ordinis, eo ipfo indirecte etiam vovent obfervantiam, quoad corpus conftitutionum. Peccant ergo mortaliter, qui eas paffim transgrediuntur, ficque monftrant earum contemptum interpretativum.

CASUS LIX. Introducta in monafteriis quibusdam reformatione, quidam Religiofi eam non acceptabant; iis proin a reformatis penfiones alimentariæ affignabantur, iisque contenti effe jubebantur. Jam quæritur, utrum hi Religiofi penfionarii parcius viventes, fi quidpiam ex fua penfione refidui habuerint, id tuta confcientia applicare poffint in favorem confanguineorum fuorum?

℟. Non poffunt refiduum applicare in confanguineos, ne quidem in matrimonium elocandos, aut pro ingreffu Religionis dotandos. *De Lamet.*

CASUS LX. Titius emifit votum peregrinandi ad fepulchra SS. Apoftolorum, putans, Romam fexaginta tantum leucis diftare a loco fui domicilii; poftmodum autem comperit, diftare ducentis leucis.

℟. Non

℞. Non tenetur adimplere votum suum; quia voluntas non fertur in incognitum, & error tollit consensum, absolute necessarium ad valorem voti. Jam, sicut vovens non tenetur servare votum in tali circumstantia, quam exclusam voluisset a voto suo, si eo tempore, quo emisit votum, obversata fuisset animo; sic quoque evidens est, cum hoc votum Titii nullum sit ex defectu consensus cadente in circumstantiam notabilem peregrinationis, quam vovens intenderat, Titium ad nihil teneri. C. B.

CASUS LXI. Filius a patre deprehensus in actuali ludo acerrime ab eo increpatur; hinc, ut non amplius incurrat indignationem patris, emittit votum nunquam amplius ludendi. Ligaturne voto adhuc post mortem patris?

℞. Probabilius non amplius ligatur voto: principale enim motivum emittendi hoc votum fuit evitatio indignationis paternæ; quia autem defuncto patre non amplius subsistit hoc motivum, cessare debet etiam ipsa obligatio voti. C.B.

NOTA. In dubio de principali motivo seu fine voventis facienda est compositio seu transactio inter Deum & hominem per æquam commutationem voti: indignatio enim patris potuit esse potius occasio, quam causa unica voti; quo in casu certe tutius foret petere dispensationem aut commutationem voti.

CASUS LXII. Titius emisit votum amplectendi statum Religiosum; verum paucis post diebus blanditiis cujusdam puellæ captus eidem promittit matrimonium.

℞. Per se loquendo tenetur implere primum promissum, ingrediendi Religionem: si enim quis tenetur implere votum Religionis, etiamsi primum fuisset emissum post contracta sponsalia, multo magis tenetur ad illud implendum, si fuit emissum ante sponsalia. Dixi: *per se loquendo;* quia per accidens contingere posset, ut Titius non obstante voto Religionis teneatur ducere puellam, cui promisit matrimonium, v. g. si facto hoc promisso eam induxisset ad committendum peccatum, quin illa sciverit, eum esse voto ligatum; aut si eam non ducens locum præberet gravibus scandalis: tunc enim votum Religionis cessat esse majus bonum, nullamque amplius parit obligationem. C. B.

CASUS LXIII. Petrus emisit votum erogandi tres florenos in pauperes in honorem sacræ familiæ Christi, unum in quemdam senem, & reliquos duos in nutricem quamdam; quia vero novit hominem quemdam senem, cujus uxor erat nutrix, ipsi donat omnes tres florenos.

℞. Sa-

℟. Satisfecit voto suo; quia in hoc casu nec materiæ voti, nec intentioni Petri quidpiam deest ad perfectam adimpletionem voti. C. B.

CASUS LXIV. Cajus emisit votum singulis annis semel jejunandi in honorem S. Joannis die sibi libero. Tandem pertæsus hujus obligationis, ad persolvendum votum suum eligit vigiliam Nativitatis.

℟. Non satisfacit voto suo: licet enim per se loquendo per unicum actum sat fieri possit pluribus obligationibus, in hoc tamen casu id non procedit; quia hoc votum jejunii videtur cadere in jejunium aliunde non præceptum, sive spectetur finis, quem Cajus habuit emittendo votum, sive pensetur fastidium, quod Cajus concepit de hac obligatione sua, id quod intelligi non potest, nisi de jejunio distincto ab omni alio jejunio aliunde præcepto. Hinc Cajus jejunium, ad quod vi voti tenebatur, confundere non potuit cum jejunio aliunde præcepto. C. B.

CASUS LXV. Octavius emisit votum singulis annis jejunandi in Festo S. Apolloniæ. Jam quærit, utrum teneatur jejunare sabbato præcedente, si hoc festum incidat in diem Dominicam.

℟. Præscindendo ab intentione particulari, quam habere potuit Octavius emittens hoc votum, & solum considerando mentem ac consuetudinem Ecclesiæ, Octavius tenetur jejunare sabbato præcedente. C. B.

Nota. Etiamsi vovens habuisset intentionem jejunnandi in die Dominica, votum tamen commutandum foret tanquam imprudens.

CASUS LXVI. Fabius emisit votum centies in anno recitandi salutationem Angelicam; & tamen nunquam recitavit. Peccavitne mortaliter?

℟. Si vovit, se recitaturum has preces distinctis centum diebus, ita, ut quolibet horum dierum ad recitandam semel salutationem Angelicam se obligaverit, non peccavit mortaliter; quia quælibet salutatio Angelica seorsim spectata est objectum leve, obligatioque pro determinato die imposita non transit in diem alterum. Verum si simpliciter vovit, se recitaturum has preces sine ulla distinctione aut distributione dierum, peccavit mortaliter; quia integer numerus harum precum jam constituit materiam notabilem. C. B.

CASUS LXVII. Bertha vidua emittit votum per decem annos non manducandi carnes die Mercurii; quod etiam fideli-

deliter servat per quinque annos. Cum autem postea transiisset ad secundas nuptias, maritus ipsi prohibet hanc abstineatiam, imo irritat votum.

℟. Maritus non potuit irritare hoc votum; quia Bertha illud emisit, dum nondum ipsi subjecta erat. Verum quia adimpletio hujus voti potest actu esse valde molesta marito, hic potest ejusdem suspendere effectum, & Bertha absque scrupulo obedire. C. B.

CASUS LXVIII. Joannes emisit votum largas eleemosynas distribuendi in pauperes, si Deus per mensem ipsum præservaret a peccato, cujus contraxit consuetudinem. Verum ne teneretur implere votum, ultimo die mensis deliberate committit illud ipsum peccatum.

℟. Non tenetur ad erogandas has eleemosynas; quia in voto conditionato, per se loquendo, non datur obligatio implendi votum, quando conditio non est impleta, prout accidit in casu proposito. Nihilominus si intentio Joannis se obligandi fuisset etiam in casu, quo ab ipso penderet, ponere conditionem vel non ponere, evidens est, eum non obstante peccato commisso obligari ad erogandas eleemosynas. *Girib. de Voto. Suarez de Voto. Filiuc.*

Nota. Cum Deus fecerit, quod erat in se, conferendo extraordinariam præservationis gratiam, cum qua facile potuisset perseverare in die mensis ultimo, & promissio utrinque onerosa pertineat ad contractus bonæ fidei, malitiose impediens completionem contractus tenetur conpaciscenti ad damnum & interesse. Hinc melius responderetur, Joannem non obstante relapsu teneri ad impletionem voti, conformiter ad regulam juris: *Quicumque sub conditione obligatus curavit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur.* Qui voto suo intendit finem, per idem votum etiam obligat se, quod studiose & ex proposito non velit ponere obstacula ad assequendum finem. De cætero prudens confessarius facile meminerit, ejusmodi infideli pœnitenti id ipsum pro pœnitentia esse injungendum, quod fraudulenta nequitia evitare voluit.

CASUS LXIX. Petrus viginti annos natus ac in gravi infirmitate constitutus emisit votum per totam vitam inserviendi infirmis, si sanitatem recuperet. Recuperata jam integra sanitate quærit, utrum & quamdiu possit differre executionem voti sui.

℟. Potest quidem executionem voti differre, sed tantum ad breve tempus, v. g. ad quatuor aut quinque menses. C. B.

Nota. Ad ejusmodi votum requiritur maturior ætas, & prudens judicium; & ideo ob defectum prudentiæ de valore voti facile dubitari, & commutationi locus esse posset. Si autem hoc votum certo validum censeatur, nec ratio illud commutandi suppetat, memi-

nisse

nisse oportet verborum Scripturæ ab initio hujus articuli n. 3. allegatorum : *Si moratus fueris &c.* & ex hoc principio dilatio quinque mensium, aut etiam quinque septimanarum nimis indulgenter conceditur illi, qui votum absque omni dilatione implere potest.

CASUS LXX. Oleander maritus vovit castitatem, & quidem cum consensu uxoris suæ; & tamen ea adhuc reddit debitum conjugale marito id petenti.

℟ Potest illud reddere: uxor enim præcise consentiendo in votum mariti non se privavit jure petendi aut reddendi debitum conjugale; hinc potest licite illud reddere, etiamsi maritus non habeat jus illud petendi. Non licet quidem debitum conjugale reddere, quando ex parte actus se tenet circumstantia petitionem reddens illicitam; sed si ejusmodi circumstantia se tenet solum ex parte personæ, ut in casu proposito, non est illicitum illud reddere, etsi petatur illicite. C. B.

NOTA. In casu, quo compars ostendit, se pati graves tentationes agendi contra votum suum, conthoralis tenetur petere debitum. Omnia ejusmodi vota conjugum in eodem lecto, ut inter plebejos moris est decumbentium, ob quotidiana transgressionum pericula a confessariis summopere dissuadenda, vel tanquam vota ob imprudentiam dubii valoris commutanda sunt.

Vide *Dispensatio in votis. Impedimentum voti. Professio religiosa. Religio. Religiosus. Paupertas religiosa.*

USURA.

1. *Usura* juxta S. Antoninum est *lucrum ex mutuo principaliter intentum*, Lucrum hoc potest consistere vel in pecunia, vel in omni alia re pretio pecuniario æstimabili.

2. Duplex distinguitur usuræ species; una *realis*, quæ committitur per pactum expressum vel tacitum recipiendi aliquod lucrum ex mutuo: altera *mentalis*, quæ committitur per solam percipiendi lucri intentionem.

3 Usura est prohibita jure naturali, divino, ac humano tam ecclesiastico quam civili.

4. Clerus Gallicanus anno 1700. sequentes hac de re propositiones debita censura perstrinxit.

PROPOSITIO LV. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

PROPOSITIO LVI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solum si exigitur tanquam ex justitia debitum.*

PROPOSITIO LVII. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

PROPOSITIO LVIII. *Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione.*

CENSURA. *Hæ propositiones, in quibus mutato tantum mutui & usuræ nomine, licet res eodem recidat, per falsas venditiones & alienationes, simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes & fraudes vis divinæ legis eluditur, doctrinam continent falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto contrariam, jam a Clero Gallicano reprobatam, Conciliorum ac Pontificum decretis sæpe damnatam.*

PROPOSITIO LIX. *Usura, etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis obsoleta per Christum.*

CENSURA: *Hæc propositio verbo Dei contraria est, nova legis perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit.*

5. Peropportune hic inferi posse videtur Bulla Benedicti XIV. tanquam regula, cui qui se conformant, indubitato recte sentiunt, judicant ac docent Theologi ac Canonistæ. Pontifex hic maximus, cujus eruditionem latissimam ac scientiam profundissimam universus suspexit orbis, materiam mutui ac usurarum tantopere ac tamdiu in scholis agitatam illustraturus, eamque ad firma & certa reducturus principia, ex præstantissimis, quos Romæ noverat, Theologis ac Canonistis Congregationem formavit, cujus consultationibus per plures menses continuatis ipsemet frequenter intererat. Conclusa horum virorum publicaturus Papa dedit Encyclicam ad Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos Italiæ, in qua, quin exprefse decideret quæstiones inter Theologos controversas, principia tamen stabilivit ad eas decidendas sufficientissima. En Bullam integram.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem & apostolicam benedictionem.

Vix peruenit ad aures nostras ob nouam controuersiam (nempe an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam dissemınari sententias, quae sanae doctrinae haud consentaneae viderentur, cum statim apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium,

ne

ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate ac silentio, vires magis acquireret, aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiae ciuitates labefactaret.

Quapropter eam rationem consiliumque suscepimus, quo sedes Apostolica semper vti consuevit; quippe rem totam explicauimus nonnullis ex Venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sacrae Theologiae scientia & Canonicae disciplinae studio ac peritia plurimum commendantur.

Accivimus etiam plures regulares in vtraque facultate praestantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis regularibus selegimus, Praesulem quoque juris vtriusque laurea praeditum, & in foro diu versatum adhibuimus: diem quartam indiximus Julii, qui nuper praeteriit, vt coram nobis illi omnes conuenirent, quibus naturam totius negotii declarauimus, quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Post haec praecepimus, vt omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent: non tamen expetivimus ab ipsis, vt judicium ferrent de contractu, qui controuersiae causam initio praebuerat, cum plura documenta non suppeterent, quae necessario ad id requirebantur: sed vt certam de vsuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quae nuper in vulgus spergi coeperant.

Jussa fecerunt vniuersi, nam suas sententias palam declararunt in duabus congregationibus, quarum prima coram nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt, ac demum easdem sententias congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Porro haec vnanimi consensu probauerunt.

I. Peccati genus illud, quod vsura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura, tantumdem duntaxat reddi postulat quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque vltra sortem lucrum aliquod, ipsius ratione mutui sibi deberi contendat.

Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superat, illicitum & vsurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam vllum accersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, non magnum sed exiguum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum, solius causa mutui, deposcitur, non pauper sed diues existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus sit otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel nouis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, vtilissime sit impensurus: contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille conuincitur, quisquis eadem aequalitate semel posita, plus aliquod a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aequale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione justitiae, quam commutatiuam appellant, & cujus est in humanis contractibus aequalitatem cujusque propriam & sancte seruare, & non seruatam exacte reparare.

III. Per haec autem nequaquam negatur quandoque, vna cum mutui contractu, quosdam alios, vt ajunt, titulos, eosdem ipsimet vniuersim naturae mutui minime innatos & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat, quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam exigendi.

Neque item negatur posse multoties, pecuniam ab vnoquoque suam, per alios, diuersae prorsus naturae a natura mutui contractus, recte collocari & impendi, siue ad prouentus sibi annuos conquirendos, siue etiam ad licitam mercaturam & negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diuersis contractuum generibus, si sua cujusque non seruatur aequalitas, quidquid plus justo accipitur, sin minus ad vsuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit) at certe ad aliam veram injustitiam restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; ita si rite omnia peragantur, & ad justitiae libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in eisdem contractibus licitus modus & ratio suppetat, humana commercia, & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conseruandi ac frequentandi; absit enim a Christianorum animis, vt per vsuras aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia existiment, cum contra ex ipso oraculo diuino discamus, quod *justitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum.* Prov. 14. 34.

V. Sed

V. Sed illud diligenter animaduertendum eſt, falſo ſibi quemquam & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac praeſto vbique eſſe vel vna cum mutuo, titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo contractus alios juſtos, quorum vel titulorum vel contractuum praeſidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudue id generis alteri culcumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum vltra ſortem integram ſaluamque recipere; ita ſiquis ſenſerit non modo diuinis documentis, & catholicae Eccleſiae de vſura judiciis, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui ac naturali rationi, procul dubio aduerſabitur; neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo, ſimplici ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo praeſertim Chriſto Domino edocente, *Volenti mutuari ne auertaris*; Matth. 5. 42. & quod ſimiliter multis in circumſtantiis, praeter vnum mutuum, alteri nulli vero juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quisquis igitur ſuae conſcientiae conſultum velit, inquirat primo diligenter oportet, verene cum mutuo juſtus alius titulus, verene juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers & immune credatur.

His verbis complectuntur & explicant ſententias ſuas Cardinales ac Theologi & viri Canonum peritiſſimi, quorum conſilium in hoc grauiſſimo negotio poſtulauimus.

Nos quoque priuatum ſtudium noſtrum conferre in eandem cauſam non praetermiſimus antequam congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipſis etiam peractis; nam praeſtantium virorum ſuffragia, quae modo commemorauimus, diligenter percurrimus.

Cum haec ita ſint, approbamus, & confirmamus, quaecunque in ſententiis ſuperius expoſitis continentur; cum ſcriptores plane omnes, Theologiae & Canonum profeſſores plura ſacrarum litterarum teſtimonia, Pontificum praedeceſſorum noſtrorum decreta, Conciliorum & Patrum auctoritas, ad easdem ſententias comprobandas pene conſpirare videantur.

Inſuper apertiſſime cognouimus auctores, quibus contrariae ſententiae referri debent, & illos pariter, qui illas fouent, ac tuentur, aut illis anſam ſeu occaſionem praebere videntur. Neque ignoramus, quanta ſapientia & grauitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis regionibus: vbi controuerſiae ejusmodi principium habuerunt. Quare has litteras encyclicas dedimus vniuerſis Italiae Archiepiſcopis, Epiſcopis & Ordinariis, vt hæc tibi, venerabilis frater, & ceteris omnibus innoteſcerent; & quoties Synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque ſacris do-

ctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus enim vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Dioecesibus audeat litteris aut sermonibus contrarium docere. Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium & subjectum declaramus poenis per sacros canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violauerint.

De contractu autem, qui nouas has controuersias excitavit, nihil in praesentia statuimus: nihil etiam decernimus modo, de aliis contractibus, pro quibus Theologi & canonum interpretes in diuersas abeunt sententias: attamen pietatis vestrae studium ac religionem inflammandam existimamus, vt haec, quae subjicimus, executioni demandetis.

Primum, grauissimis verbis populis vestris ostendite vsurae labem ac vitium a diuinis litteris vehementer improbari: illud quidem varias formas ac species induere, vt fideles Christi sanguine restitutos in libertatem & gratiam, rursus in extremam ruinam praecipites impellat. Quocirca, si pecuniam suam collocari velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrinae ac virtutis gloria supra caeteros efferuntur, consilium exposcant.

Secundo loco, qui viribus suis ac sapientiae ita confidunt, vt responsum ferre de his quaestionibus non dubitent, (quae tamen haud exiguam sacrae Theologiae & canonum scientiam requirunt) ab extremis, quae semper vitiosa sunt longe se abstineant: etenim aliqui tanta seueritate de iis rebus judicant, vt quamlibet vtilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam, & cum vsura conjunctam: contra vero nonnulli indulgentes adeo remissique sunt, vt quodcunque emolumentum ab vsurae turpitudine liberum existiment. Suis priuatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur; deinde has partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quodsi disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos configantur, qui sententiam contrariam sequuntur, neque illam grauibus censuris notandam asserant, si praesertim ratione & praestantium virorum testimoniis minime careat; siquidem convitia atque injuriae vinculum christianae charitatis infringunt, & grauissimam populo offensionem & scandalum praeseferunt.

Ter-

Tertio loco, qui ab omni vſurae labe ſe immunes, & integros praeſtare volunt, ſuamque pecuniam ita alteri dare, vt fructum legitimum ſolummodo percipiant, admonendi ſunt, vt contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inferendas explicent; & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent. Haec magnopere conferunt, non modo ad animi ſollicitudinem & ſcrupulos euitandos, ſed ad ipſum contractum in foro externo comprobandum: haec etiam aditum intercludunt diſputionibus, quae non ſemel concitandae ſunt, vt clare pateat, vtrum pecunia, quae rite data alteri eſſe videtur, reuera tamen palliatam vſuram contineat.

Quarto loco, vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant, de vſuris hoc tempore quaeſtionem inſtitui, quae ſolo nomine contineatur, cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus vt plurimum comparetur: etenim quam falſum id ſit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, ſi perpendamus naturam vnius contractus ab alterius natura prorſus diuerſam & ſejunctam eſſe, & ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe, quae a diuerſis inter ſe contractibus conſequuntur. Reuera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter, qui pure liciteque ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in vtroque foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori vtriusque judicio reſtituendus decernitur.

Conſtat igitur haud inanem de vſura quaeſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſam, quod vt plurimum ex pecunia, quae alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Haec potiſſimum vobis indicanda cenſuimus, ſperantes fore, vt mandetur executioni, quaecumque per has litteras a nobis praeſcribuntur opportunis quoque remediis conſulatis, vti confidimus, ſi forte ob hanc nouam de vſuris controuerſiam in dioeceſi veſtra turbae concitentur, vel corruptelae ad labefactandam ſanae doctrinae candorem, & puritatem inducantur.

Poſtremo vobis & gregi curae veſtrae concredito, Apoſtolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud ſanctam Mariam Majorem, die prima Nouembris M. DCC. XLV. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Nota. Per *usuram* in Germania communiter nil aliud intelligitur, quam *lucrum ex mutuo*, dum quis a mutuatario plus recipit quam dedit. Hæc usura, in quantum non restringitur per legem positivam ad justos limites, est prohibita jure naturali; quia ob ipsam indeterminationem, dum quantitas permittitur contrahentium arbitrio, est causa ingentium malorum in genere humano, ac oppressionis enormis innocentium. Idem dicendum, quando per legem positivam usura quidem restringitur, sed non ad justos limites, prout contigit tempore Imperatorum veterum, quo ex mutuo concedebatur singulis mensibus pars centesima sortis, ut proin intra annum mutuatarius pro centum solvere debuerit duodecim. Hæc determinatio legis positivæ necdum sustulit gravamen generale generis humani & oppressionem pauperum per usurarios: & hinc ita vetus usura per leges Imperatorum permissivas nunquam potuit fieri licita in foro interno; maxime cum ejusdem injustitia per declarationes veteris Ecclesiæ sæpius fuerit fidelibus ob oculos posita. Aliud dicendum post constitutionem Caroli V. per quam usura ad vigesimam solum partem post lapsum anni a mutuatario persolvendam restricta est. Hæc restrictio non solum tollit generale gravamen generis humani, sed etiam optime convenit cum legibus prudentiæ, providet sustentationi innumerorum respective miserabilium, qui sosolum vivunt ex censibus, & ipsis mutuatariis est exoptabilis, qui alias difficulter suis in necessitatibus reperirent sublevamen. Hinc ista limitatio non solum nunquam ab Ecclesia pro foro interno prohibita, sed pro eodem universim fuit approbata a Doctoribus Germaniæ pro populis sub ditione Imperatorum degentibus. Quia tamen ex mutuo qua tali ac proprie dicto non licet quærere lucrum, intentio contrahentium, quæ tacite subordinatur, ac regulariter subordinari debet intentioni Legislatorum, jam non amplius fertur, ad lucrum ex sterili pecunia, sed ad quærendum lucrum ex aliena industria ac opera, quam mutuans sua pecunia conducit; & ideo mutuum in Germania habet rationem contractus censualis personalis, ratione cujus census fit universim licitus extra eos casus, in quibus quis tenetur proximum juvare gratis ac cum aliquali suo periculo ac incommodo per legem charitatis. Itaque quæ in hoc articulo dicuntur, non habent locum in Germania, nisi in duobus casibus. *Primus* est, quando exigitur a mutuatario major census, quam legibus permittitur, nempe plus quam vigesima pars sortis principalis intra annum; in isto enim excessu reperitur illa usura, cujus datur prohibitio; & quod per decursum hujus articuli dicitur de quovis excessu ultra sortem principalem ex mutuo, in Germania applicari debet ad quemvis excessum ultra partem vigesimam præfatam ex contractu censuali personali, utpote extra hos limites non permisso a legibus. *Secundus* casus est, quando mutuum non consistit in numerata pecunia, sed miscetur tacite aliis contractibus v.g. commodati, permutationis, venditionis, societatis &c. cum enim in ejusmodi contractibus per leges Imperatorum nulla possit inveniri uniformis regula pro taxanda justa quantitate usuræ, aut si inveniri posset, ea obnoxia foret multis fraudibus cum oppressione indigentium, interérat boni publici, ut licentia usuræ seu taciti contractus censualis personalis non reciperetur in illis contractibus, nisi contrahentes ineant exprese duos contractus v.g. venditionis, & simul mutui: sic enim ob æstimationem accuratam utriusque contractus seorsim non relinquitur tanta occasio iniquitatum

tum per tractationem confusam. Hæc præmonenda erant, ut Lectori Germano non fiat lapis offenfionis doctrina Scriptorum Gallorum, qui non obstante consuetudine contraria suos patriotas adhuc constitutos esse existimant sub indeterminatione legum naturalium quoad usuram haud dubie nociva humano generi, & eo ipso prohibita. Ut vero Germanus Lector facilius sibi applicare possit plerasque responsiones hujus articuli, notet sibi has duas propositiones:

1. *Usura in Germania est, quod recipitur ultra partem vigesimam sortis principalis in contractu censuali personali.*

2. *Contractus mutui in Germania est commodatio pecuniæ a legibus non elevata ad naturam contractus censualis personalis; quod semper fit, quando ex industria mutuatarii aliquid exigitur ultra vigesimam partem sortis principalis.*

CASUS I. Egbertus dives nummularius multas sibi cumulavit divitias per lucra usuraria ex mutuis. Confessarius ipsum obligat ad restitutionem 10000. florenorum usurarie aquisitorum. Egbertus autem in sui defensionem affert sequentes quatuor rationes: 1. Scriptura condemnat usuram solum respectu pauperum, & non ut malam ex se ipsa & ex natura sua. 2. Primum Concilium generale Nicænum, omniaque alia primis Ecclesiæ sæculis habita Concilia usuram ex mutuo solum prohibuerunt Clericis. 3. Cum mercatoribus aliisque amplum commercium exercentibus datur mutuum, fit ipsis gratia, occasioque suppeditatur lucra sua augendi; æquum igitur est, ut & mutuans quidpiam lucretur. 4. Nunquam percepit ex mutuo usuras enormes, sed tantum conformes legibus, constitutionibus Principum ac consuetudini patriæ; vigetque hoc commercium inter omnes nationes, ac ab ipsismet Imperatoribus ac Principibus Christianis probatur. Valentne hæ rationes?

℟. Certum est, usuram esse peccatum mortale; utpote Ecclesia in suis Conciliis, & Patres in scriptis suis eam semper reprobarunt ut condemnatam a Scriptura veteris ac novi testamenti, & tanquam adversantem legi tam divinæ quam naturali, ut ait S. Thomas. Rationes Egberti quod attinet, respondetur *Ad* 1. In Scriptura reprobatur usura illimitate respectu omnium, sive sint divites sive pauperes. Ad hæc absolute non potest habere locum distinctio inter pauperes ac divites; cum usura sit malum ex natura sua, sicut rapina & furtum: hinc dicit S. Ambrosius Can. *Si quis.* 10. 14. q. 4: *Si quis usuram acceperit, rapinam facit.* *Ad* 2. Quod primum generale Concilium Nicænum aliaque subsequentia Concilia mentionem expressam non fecerint de laicis, ideo factum est; quia malum usuræ erat universale, & conveniens non

non erat, ut rigore censurarum ecclesiasticarum populus exasperaretur; immo potius lenius tractandus erat, ut sensim assuesceret doctrinæ evangelicæ. His tamen non obstantibus Concilium Eliberitanum can. 20. pœnas statuit in usurarios, etiam laicos. Immo ipsum generale Concilium Nicænum, dum usuram interdicit Clericis, utitur ratione prohibitionis generali, quæ omnes tangit; sicque satis clare indicat, se condemnare usuram etiam in laicis: declarat enim can. 17. usuram ex sordida provenire avaritia, eosque, qui usuraria lucra sectantur, divini præcepti esse oblitos. Concilium denique Turonense de anno 461. can 13. expresse habet, neminem salvari posse, qui non servaverit legem Dei, qua usura prohibetur. *Ad* 3. Quod mutuatarii ex pecunia Egberti multum lucri perceperint, ad mutuantem nil refert: nullum enim hic habet jus ad lucrum mutuatarii, nullamque ex gratia alteri facta potest exigere mercedem; cum mutuatarius verum aquisierit dominium pecuniæ sibi mutuo datæ. *Ad* 4. Imperatores ac Principes non solum usuras nunquam approbarunt, sed semper prohibuerunt: sic etiam nunquam quid statuerunt in ordine ad taxandas usuras, sed solum determinarunt interesse legitimum. Si ullibi consuetudo aut leges approbarent usuram contra legem Dei & Ecclesiæ, nulla earundem habenda foret ratio. *Pontas.*

CASUS II. Otho mutuos dedit 5000. florenos Silvanio adjecta hac clausula, quod nec velit nec possit repetere mutuum ante lapsum triennii. Et ex hoc ipso prætextu, quod scilicet per id tempus videatur alienasse pecuniam suam, exigit censum a Silvanio partem vigesimam sortis. Num juste?

℞. Semper verum manet, quod Otho repetere possit mutuum post lapsum triennii; quod autem verum non esset, si interveniffet alienatio. Non reperitur in hoc casu nisi simplex mutuum ad præfixum terminum, in quo nunquam licet exigere censum *ratione mutui.* Hinc Otho non potest absque usura recipere lucrum ex hoc mutuo. Id quod decisum fuit a Facultate Theologica Parisiensi, quæ 1658. & 1665. condemnavit duos libros, unum *Apologia Casuistarum*, & alterum *Amadeus Guimenius*, in quibus reperiebatur hæc propositio: *licitum etiam esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum terminum.* Censura hujus propositionis hæc erat: Doctrina hæc falsa est, scandalosa, inducens ad usuras; varias aperit artes eas palliandi, justitiam ac charitatem violandi. *Pontas.*

CA-

CASUS III. Gobertus civis Parisiensis cum in promptu haberet summam 3000. florenorum in mutuum elocandam, & Laurentius civis Rotomagensis eum in finem Parisios venisset, ut similem summam mutuam acciperet, contractum mutui conficere tentant pro censu annuo. Quoniam vero Parisiis pro censu annuo fixa est pars vigesima summæ capitalis, in Normannia autem pars decima octava; Gobertus cum Laurentio Rothomagum abit, ibi contracturus, sicque ampliorem censum reportaturus. An non delinquit in legem Gobertus, aut injuste tam committit?

℟. Non videtur, Gobertum injuste egisse: edictum enim Regium, quo determinatur census annuus ex mutuo pro Normannia, nullam facit mentionem de loco domicilii eorum, qui ejusmodi contractus mutui ineunt; sed tantum exprimit territorium aut provinciam, ubi ejusmodi contractus fiunt, ita, ut omnes & singuli subditi Regii ibi possint contrahere juxta modum pro eo loco determinatum ac fixum. *Pontas.*

CASUS IV. Rogerius sciens, Artum nummularium & amicum suum quærere mutuum pro censu annuo, summam 3000. florenorum ipsi dat mutuam, nullum stipulando interesse, bene tamen sperando. Post lapsum anni Artus Rogerio solvit interesse 150. florenorum, & iterum ad annum petit sibi relinqui summam mutuo datam; sicque factum est per quatuor annos, ita ut Rogerius pro interesse acceperit 600. florenos. Confessarius Rogerium obligat, ut non amplius recipiat interesse, & acceptum computet ad summam capitalem; qui autem ex eo se excusat, quod mutuam dando summam nullum interesse petierit, acceptumque per quatuor annos esse respiciendum pro pura gratificatione ab Arto sibi facta. Poteftne Rogerius tuta conscientia integram summam 3000. florenorum ob Arto repetere?

℞. Etsi in foro externo & coram hominibus Rogerius non habeatur pro usurario, cum nec verbo nec scripto interesse petierit; in foro tamen interno & coram Deo, qui intuetur cor, excusari non potest: sola spes percipiendi lucrum ex mutuo ipsum usuræ reum constituit. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. 6. v. 35 *Hujusmodi homines,* inquit Urbanus III. Cap. *Consuluit.* 10. Lib. 5. Tit. 19. *pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in lege judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi. Pontas.*

Nota. Si Rogerius erga amicum sic comparatus erat, ut ei daret pecuniam, etsi censum non esset recepturus, sola spes, quæ non transit in debitum, non videtur eum reddere usurarium.

CA-

CASUS V. Gilbertus cum non posset ab aliis obtinere mutuam pecuniam, qua ad suum indigebat commercium, vendit Renato quatuor jugera prati pro 500. florenis, reservato sibi jure illud redimendi intra quinque, septem, aut novem annos. Confecto contractu Renatus pratum locat alteri pro annuo locationis pretio 25. florenorum, quod interesse ex summa 500 flornorum legibus conforme est, prætenditque id juste fieri posse vi consuetudinis, quæ viget in provincia. Num in hoc contractu usura intervenit ?

℟. Verum est, ejusmodi contractus in variis locis per consuetudinem tolerari; sed in foro interno nihil aliud sunt, quam mutua palliata, & consequenter usuraria. *Pontas*

Nota. Non sunt tales contractus usurarii, si ex parte dantis mutuum intervenit periculum sortis.

CASUS VI. Gratianus indigens centum imperialibus petit Clementem, ut illos sibi det mutuos. Clemens e sua pecunia lucrum recepturus init cum Gratiano contractum constitutionis, & pro securitate summæ Gratianus pro pignore Clementi offert vineæ jugerum hac lege, ut singulis annis Clementi census loco cadum vini tradat. Verum cum Clemens timeret, ne id, quod valorem supra consuetum censum excedit, in restitutione summæ deducat Gratianus, urget, ut sibi vinea vendatur pro 100. imperialibus, quamvis pluris valeat. Postquam igitur vineam per integrum annum possederat: eam restituit pro pretio, de quo convenerant, id est, pro cado vini. An iste contractus tuta conscientia ex utraque parte fieri potuit ?

℟. Iste contractus constitutionis, quo Clemens censum a Gratiano acquirit, est usurarius usura contractu venditionis fictæ & fraudulentæ palliata; hinc Clemens talem contractum tuta conscientia inire nequivit, ita ut, si Gratianus necdum potuit censum istum redimere, Clemens in conscientia teneatur percepta in rationes suas referre, & a summa capitali deducere; aut, si vinea jam denuo rediit ad Gratianum, excessum hucusque perceptorum restituere. Nihilominus si uterque contrahens bona fide egisset, & Clemens non intendisset lucrum præcise ex mutuo, sed solùm aliquod lucrum legitimum ex pecunia sua facere voluisset, videtur eum de usura condemnari non posse. *Pontas.*

CASUS VII. Leminius debet Publio censum annuum 100 florenorum. Cum autem Publius pecuniis indigeret, rogat Leminium, ut sibi in antecessum solvat censum unius anni deductis quinque florenis. Leminius annuit: & solvit Publio 95. florenos, recepta apocha pro centum. An nulla hic intervenit usura ? ℟. Jux-

R. Juxta S.Thomam opusc. 67. ejusmodi solutiones anticipato factæ cum diminutione sunt usurariæ; & sic Leminius ad restitutionem tenetur. *Ille, qui ad certum terminum debet,* ait S. Doctor, *si ante terminum solvit, ut ei de debito aliquid dimittatur, usuram committere videtur, quia manifeste tempus solutionis vendit; unde ad restitutionem tenetur.* Verum si Leminius revera tantum sufferret damnum ob anticipatam solutionem, quantum sufiert Publius remittendo quinque pro centum, nulla interveniret injustitia. Idem 2. 2. q 78. art 2. ad 1. Idem dicendum esset, si Publius ex mera generositate Leminio quinque pro centum remisisset. *Pontas.*

CASUS VIII. Salvius a Cleto mense Majo statim numerata pecunia emit 1000. pelles ovinas mense Augusto tradendas; verum cum paratam pecuniam statim daret, pro una pelle septem dumtaxat solidos cum dimidio solvit; licet communi æstimatione una pellis constaret decem solidis. Num hæc emptio ab omni usura immunis est?

R. Solutio anticipata facta a Salvio habet rationem mutui: hinc Salvius haud dubie usuram commisit. *Si quis emptor*, ait S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. *velit rem emere vilius, quam sit justum pretium, eoquod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ; quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* Verum si anticipata solutione in gratiam Cletii facta damnum pateretur tantum, quantum obtinuisset lucrum; vel, si anticipato non solvisset, sua pecunia lucrum aquirere potuisset, alia occasione, immunis est ab usura: nam damnum emergens & lucrum cessans sufficiens sunt titulus, vi cujus carius aut vilius merces emi vendique possint, quam alias earum esset valor, *Pontas.*

CASUS IX. Nebridius Toparcha Josepho, qui pecuniis indigebat, ad ipsius petitionem mutuos dedit 200. florenos hac conditione, ut in futurum triticum suum ad molendinum, aut farinam ad pistrinum Nebridii deferat, ad quod alias non teneretur. An hæc conditio usuraria est? An etiam usura esset, si aliquis pistor mutuam daret pecuniam alicui hac lege, ut ab ipso emeret panes?

R. Certum est, hanc conditionem esse usurariam: nam Nebridius hac ratione aquirit sibi servitutem activam pretio pecuniario æstimabilem, idque ex dato Josepho mutuo. Idem dicendum de pistore. Rationem aliam allegat Sylvius; *quia est obligatio civilis, qua mutuatarius privatur sua libertate, & consequenter se exponit hujusmodi periculo, ut non possit alteri operam suam locare, quamvis sub majori stipendio requireretur. Pontas.*

CA-

CASUS X. Rigobertus ducentos imperiales mutuos dedit Hieronymo advocato hac conditione, ut causam suam in Parlamento gratis propugnet, & hanc conditionem Hieronymus acceptavit. An in hoc casu datur usura?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 78 art 2. ad 3 ifthæc conditio est usuraria: labor enim ac ministerium advocati cum sit res pretio pecuniario æstimabilis, Rigobertus non facit mutuum gratuitum. Si tamen advocatus ex mera benevolentia & amicitia causam Rigoberti propugnandam susciperet, hanc Rigobertus benevolentiam acceptare, immo etiam exigere posset; dummodo id non fiat ratione mutui. *Pontas.*

CASUS XI. Theobaldus mutuo dat Philippo 250 florenos ex spe obtinendi ab eo alicujus honorarii. An usuræ reus est?

℟. Si honorarium respicit tanquam debitum ratione mutui, spes ipsius vitiosa ac usuraria est. Si vero honorarium sperat ut rem omnino gratuitam, ad quod faciendum ex parte Philippi nulla prorsus obligatio, illud absque vitio usuræ recipere potest. Ita docet S. Thomas q. 13 de malo. art. 4. ad 13. *Pontas.*

CASUS XII. Eusebius rogat Gualterum, ut sibi mutuos det centum imperiales; Gualterus petito annuit hac conditione, ut alia occasione etiam sibi mutuos det centum imperiales. An hæc conditio usuraria?

℟. Cum ejusmodi obligatio pecunia æstimari possit, conditio illicita & usuraria est. Ratio est; quia gratificatio debet esse omnino libera ac gratuita, ita ut ad eam exhibendam nemo obligari possit. *Pontas.*

CASUS XIII. Hebertus Petro dedit mutuo viginti aureos ex mera benevolentia ac amicitia erga illum; interne tamen intentionem habuit, a Petro consimilem opem in alia occasione recipiendi. An hæc intentio usuraria est?

℟. Si intentio Heberti fuerit penitus occulta, nec a Petro aliquod promissum exegerit, non usuraria erit talis intentio; cum Petro plenam libertatem reliquerit. Ejusmodi intentionem SS. Antoninus & Raymundus vocant secundariam & minus principalem, eamque a vitio excusant. Ne autem in ejusmodi occasionibus sibimet ipsi quis fucum faciat, sedulo perpendendum, an quis sincere sit dispositus ad dandum mutuum, etsi prævideat, nunquam sperari posse aliquod obsequium aut beneficium ab eo, cui conceditur mutuum. *Pontas.*

CASUS XIV. Scævola suo vicino mutuam dat certam quamdam pecuniæ summam, hac principali intentione, ut ni-

nimirum ipsius lucretur amicitiam, ac suo tempore experiatur gratitudinem. An hæc intentio usuraria est?

℟. Amicitia, & gratitudo pecunia non æstimantur; & propterea intentio Scævolæ non est usuraria. S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. C. *Pontas.*

Nota. Sola spes non deducta in pactum non reddit contractum usurarium. V. *Cas.* 13.

CASUS XV. Hercules indigens summa 625. florenorum rogat Gratianum, ut sibi istam mutuet addito promisso, se restituturum in aureis post trimestre, quo tempore valor horum aureorum probabilius major erit, quam tempore, quo mutuum accipit: vel promisit hanc summam restituturum Argentorati, ubi talis aureus 15. crucigeris plus valet, quam Parisiis. An hic contractus usurarius est?

℟. Si intentio Gratiani principalis fuerit, ut ex mutuo recipiat lucrum, usuræ reus est. *Pontas.*

Nota. Si Hercules ex ea qualitate pecuniæ solvendæ nullum sustinet damnum, & Gratianus eam ultroneam oblationem non deducit in pactum, non intervenit usura.

CASUS XVI. Licinius pecunia indigens cogitat Juliano ad decem annos vendere redditus 150. florenorum: quos e suo fundo singulis annis recipit; Julianus etiam acceptat hanc conditionem, & in parata pecunia Licinio solvit 1100. florenos. An hæc conventio usuraria est?

℟. Author Opusculi, quod S. Thomæ tribuitur, 73. de usuris. c. 9. in fine censet, non intervenire usuram: nam 1. venditor potest suum fundum, cujus dominus est, cedere alteri ad tempus, & pro pretio, quod libuerit. 2. Non est injustitia, vendere aliquam rem tanti, quanti ab ipsis contrahentibus æstimatur; dummodo æstimatio fiat secundum æquitatem, ut in præsenti casu fieri videtur; tum quia Licinius non acceptaret 1100. florenos, si ab alio majorem summam recipiendi spes foret; tum quia 1500. floreni, quos intra decennium ex fundo suo perciperet, non sunt pluris æstimandi quam summa, quam in numerata pecunia recipit per mutuum. 3. Id, quod summam 1100. florenorum excedit, non est considerandum tanquam lucrum distinctum a forte principali. Juxta eundem Authorem c. 10. in fin. potest emi terra consita minori pretio, quam æstimaretur tempore messis. *Pontas.*

CASUS XVII. Cæsarius decem modios tritici, quibus indiget, mutuo accipit a Claudio circa medium Octobris,

quo

quo tempore unus modius æstimabatur 30. crucigeris, addita conditione, ut ad finem Junii futuri anni in natura, aut in pecunia restituantur, quo tempore valor modii 15. crucigeris major erit. An hæc conventio usuraria est?

℟. Si Claudius ex mutuo intendit aliquod lucrum, haud dubie se reum facit usuræ. Rectitudo autem intentionis ex sequentibus desumi potest: 1. Si jam firmiter constituit non vendere triticum suum ante mensem Junium. 2. Si semper paratus est recipere a Cæsario mutuo datos decem modios, quocumque tempore eos restituere velit. 3. Si non determinat certum tempus, quo triticum carius venit, nisi ad evitandum damnum proprium. Ex quo sequitur, quod possim amico mutuum dare mense Martio vel Aprili modium frumenti ea conditione, ut mense Augusto vel Septembri modium restituat cum dimidio, si certum aut saltem valde probabile est, mense Augusto aut Septembri sesqui modium haud pluris valiturum ac unicum modium mense Martio aut Aprili; idque ad evitandum damnum proprium. *Pontas.*

CASUS XVIII. Macæus Joanni 50 florenorum mutuum petenti declarat, se pecuniam suam in emendo frumento collocaturum, ut inde lucrum percipiat; hinc se illi quidem mutuum daturum ad præfixum tempus, sed ea conditione, ut chirographum conficiat, quo profiteatur, se tantum frumenti debere Macæo, quantum juxta currentem ad lapsum termini valorem correspondet summæ 50. florenorum. An hic contractus non est usurarius?

℟. Si Macæus non sincere proposuit pecuniam suam ad negotiationem frumentariam adhibere, commisit usuram nomine mutui palliatam; immo etsi propositum ipsius fuerit sincerum, usuram tamen non effugiet, si tempus solutionis præfixit, quo certus est, se ex dato mutuo lucraturum. Excipiendus autem casus, quo Macæus absolute constituisset emere frumentum, eoquod leviori pretio staret, illudque servare v.g. usque ad Pentecosten, quo tempore illud ampliori pretio vendere posset: in hoc enim casu jure petit compensationem damni, quod mutuum dando incurrit. *Pontas.*

CASUS XIX. Irenæus civis Massiliensis ficuum commercium habens dedit Bernardo viginti modios ficuum hac conditione, ut tempore messis decem modios tritici, & decem modios siliginis reddat. An in hoc casu usura intervenit, posito quod modius siliginis quindecim crucigeros valeat, modius vero ficuum tantum decem crucigeros?

℟. Est usurarium commercium; quia mutuans exigit a mutuatario aliquid ultra sortem principalem. Excusari tamen pos-

fet Irenæus ab usura, si valor ejusmodi rerum est variabilis, & consequenter certus non est, modium filiginis eo tempore carius vendi quam modium ficuum: in hoc enim casu commercium istud non foret usurarium. *Pontas.*

CASUS XX. Manlius certam quantitatem tritici, cujus currens pretium erat 70. floreni, mense Majo numerata pecunia emit a Sempronio 60. florenis, traditione primum mense Octobri facienda. Distulit autem triticum petere usque ad mensem Januarium, quo tempore illud vendidit Cajo pro 80. florenis, cui etiam a Sempronio traditum est. An non in hac negotiatione usura intervenit?

℟. Lucrum hoc Manlius absque omni usura percipere potuit: frumentum enim, quod mense Majo 70 florenis valebat, potuit juste emere 60. florenis; cum primum mense Octobri tradi deberet, quo tempore ordinarie haud pluris æstimatur. Sic quoque absque injustitia potuit illud mense Januario vendere 80. florenis, utpote pretio currente. *Pontas.*

CASUS XXI. Paschasius mutuat Jacobo 500. florenos hac conditione, ut, si Jacobus ante quinquennium moriatur, ipse & ejus hæredes non teneantur ad solutionem dictæ summæ; si vero ante quinquennium non moriatur, tunc teneatur ad solutionem dupli. An hic contractus usurarius est?

℟. Juxta Navarrum Consil. 29 de Usur. n. 4 usurarius est; quia absolute dici non potest, contractum hunc esse gratuitum, ac vix non idem foret, ac si Paschasius homini pauperi daret mutuum hac conditione, ut si pauper ille intra quinque vel sex annos fieret dives, duplum restituere teneatur; quæ conventio aperte foret usuraria. *Pontas.*

CASUS XXII. Gomesius Procurator Parlamenti neptem suam Blandinam, cui curta supelIex, Balduino primario Parlamenti scribæ, in matrimonio collocaturus, in dotem dicto Balduino offert suum officium Procuratoris, quod redditus annuos 5000. florenos ipsi affert, ea tamen conditione, ut Balduinus ad dies vitæ suæ det sibi pensionem annuam 250. florenorum, & si hanc summam solvere recusaturus sit, in pristinum officium regressum sit petiturus. An iste contractus injustus, & usurarius est?

℟. In præsenti casu non datur usura: non enim est contractus mutui, sed vera donatio officii, cujus Balduinus fit proprietarius; hinc Gomesius non potest obligare Balduinum ad restitutionem donati officii, si pensionem, de qua inter ipsos conventum est, singulis annis persolvat. *Pontas.*

CASUS XXIII. Alanus 600. florenis indigens rogat Philippum, ut sibi hanc mutuet summam, simulque ipsi pro securitate summæ oppignorat quatuor jugera silvæ caduæ, e qua

e qua pro necessitate domestica sumere possit ligna. An in ista oppignoratione datur usura?

℟. Est usuraria hæc oppignoratio; nam cum Alanus pro securitate mutui dederit silvam, Philippus non potest absque usura pro necessitate sua domestica e dicta silva sumere ligna, nisi de sorte principali valorem cæsorum lignorum deducat. *Pontas.*

Nota. Si valor lignorum ad usus domesticos non excedit valorem census annui, pendendi justo titulo lucri cessantis, damni emergentis, vel ob periculum sortis, non intervenit usura.

CASUS XXIV. Amabilis mutuos recipit 500. florenos a Thimoleone ad annum, & pro majori securitate mutui oppignorat ipsi feudum, quod ab eodem Thimoleone habet. An Thimoleon tenetur in conscientia, dum constituto solutionis termino dictos 500. florenos recipit, fructus ex oppignorato feudo perceptos computare in sortem; & si hoc negligat, an usuræ reus est?

℟. Thimoleon non tenetur perceptos ex dicto feudo fructus computare in sortem principalem, cum hujus feudi fructus titulo dominii jam ad ipsum pertineant. Ratio est; quia vasallus feudum possidet ea conditione, ut domino feudi certa quædam servitia exhibeat, quæ ejusdem valoris cum feudo æstimanda sunt; vasallus igitur eo tempore, quo dominus feudum possidet, immunis est a dictis servitiis. Innocentius III. cap. *Insinuatione* 1. lib 3. t. 20. Interim tamen si fructus a Thimoleone percepti excederent servitia, teneretur excessum deducere a summa principali. *Pontas.*

CASUS XXV. Epipodius mutuavit Lucio 200. imperiales ad biennium, & ab eo in cautionem accepit lectum & duodecim sedilia, quibus etiam cum consensu Lucii usus est. An Epipodius pretium servitii tenetur deducere a sorte principali? & si hoc negligat, an se reum facit usuræ?

℟. Idem dicendum de rebus ejusmodi mobilibus, ac de fundo: usus enim talium rerum est pretio æstimabilis; hinc Epipodius tenetur deducere pretium usus harum rerum a sorte principali. *Pontas.*

CASUS XXVI. Florentius 15000. florenos in parata pecunia habet, & hanc summam impendere cogitat ad reparationem suæ domus, quæ alias nemini locari posset; ad instantiam tamen Caii, qui vicino suo 10000. imperiales debet, & si hanc ipsi summam non solvat, domum suam plus offerenti tradendam timet, mutuam dedit Cajo prædictam summam 15000. florenorum hac addita conditione, ut præter restitutionem summæ principalis compenset lucrum, quod per-

percipere potuisset ex dicta summa, si eam impendisset ad reparationem suæ domus, ac postea alteri locasset. An Florentius aliquid ultra sortem principalem exigendo usuræ reus est?

℟. Certum est, Florentium in proposito casu absque usura exigere potuisse justam compensationem: damnum enim emergens sufficiens est titulus, vi cujus ultra sortem principalem aliquid exigi possit. *Pontas.*

CASUS XXVII. Willibaldus mercator mutuavit Guillelmo 500. florenos ad unum annum: verum elapso semestri Willibaldus passus est damnum 2500. florenorum ob defectum mutuo datæ pecuniæ. An Guillelmus tenetur reparare damnum?

℟. Guillelmus non tenetur reparare damnum; nam mutuatarius non tenetur ad ullam compensationem mutuanti præstandam, nisi uterque de hoc convenerint tempore, quo contractus mutui factus est, ut mutuatario liberum sit talem conditionem acceptare, aut recusare. Consequenter Willibaldus sibi ipsi imputet damnum, eo quod tam imprudenter mutuarit pecuniam suam Guillelmo. Hæc est doctrina S.Thomæ q. 13. de malo, art. 4. ad 14. *Pontas.*

Nota. Cum periculum sortis hoc tempore sit frequens, & summæ mutuo datæ statim incipiant fieri minoris valoris, ita, ut pro centum vix darentur 95., recte pro titulo auctarii assignatur periculum sortis.

CASUS XXVIII. Lævius mercator mutuat Danieli 1000. imperiales, quos unicos habet, & quidem jam destinatos ad emendas merces, e quibus probabilius aquirere posset lucrum 7. aut octo florenorum pro centum; propterea etiam a Daniele exigit ultra sortem capitalem idem lucrum. An Lævius tuta conscientia id exigere potest? Num etiam id exigere potest, si actu ipsi occasio non daretur taliter pecuniam suam elocandi, sed solum speraret, emersuram talem occasionem?

℟. Lævius absque usura quidquam accipere potest ultra sortem principalem: lucrum enim cessans sufficiens ac legitimus titulus est mutuanti quidpiam ultra sortem principalem exigendi, sub his tamen tribus conditionibus: 1. Si pecunia a mutuo data vel danda collocata, aut certe collocanda est in commercio: secus enim vere dici non posset, mutuanti ratione mutui lucrum cessasse; ac consequenter lucrum perceptum simpliciter proveniret ex mutuo, quod usurarium est. 2. Si mercatori mutuanti præter pecuniam in negotiationem expositam alia pecunia non supersit, quam mutuam

dare posset: si enim ejusmodi pecunia ad negotiationem non destinata foret residua, denuo verum non esset, quod ipsi propter mutuum lucrum cesset. 3. Si spes ex pecunia mutuo data vel danda lucrandi non mere est possibilis & remota, sed probabilis ac proxima: non enim sufficit, quod absolute quia possit lucrari ex pecunia in negotiationem exposita, sed requiritur spes probabilis ac gravibus rationibus innixa, quod lucraturus sit, si pecuniam suam ad negotiationem applicet. Præprimis hic notandum, quod licet lucrum cessans sit distinctum a damno emergente actuali, non separetur tamen a damno probabili; alias non esset titulus sufficiens exigendi quidquam ultra sortem principalem. D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4. satis clare distinguit has duas damni species, & utrumque damnum reparandi obligationem esse docet. Quod attinet alteram quæstionem, si Lævius necdum actu constituit pecuniam suam negotiationi committere, & id faciendi modo desit occasio, non potest stipulari aut recipere aliquod interesse pro summa Danieli mutuo data vel danda: lucrum enim cessans juxta eundem S. Thomam 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. solum tunc est legitimus titulus recipiendi censum ex mutuo, quando lucrum est probabile aut moraliter certum, non dum est tantum possibile & aduc valde remotum. *Pontas.*

CASUS XXIX. Agnanus habet ducentos imperiales, quos ad emendas destinavit merces, e quibus probabilius 7. aut 8. florenos pro centum lucraturus est: præter hanc summam aliam insuper habet priori similem, cujus partem unam destinavit pro dote suæ filiæ nubili, alteram vero partem reservat in fortuitos casus suæ familiæ. Ast a Balduino, suo amico rogatus, ut sibi ducentos mutuet imperiales, quærit, an tuta conscientia titulo compensationis damni possit quidquam exigere ultra sortem principalem, nimirum juxta proportionem lucri cessantis, licet totidem imperiales adhuc in arca reclusos & otiosos habeat.

℞. Destinatio pecuniæ ab Agnano reservatæ in arca prudens & legitima est; hinc a Balduino summam proportionatam exigere potest ultra sortem principalem; nam Agnanus in præsenti casu ducentos solum imperiales commercio destinatos habere censendus est. *Pontas*

CASUS XXX. Landulfus ex suis, quos habet, 1000. imperialibus lucrum recepturus, eos obtulit Luciano gemmario, qui illos titulo societatis accepit, & Landulfo spem facit lucri 200. florenorum singulis annis percipiendi, de quo moraliter certum se esse affirmavit. Verum Landulfus varia societatis incommoda evitare cogitans dedit 1000. imperia-

ria-

riales Luciano mutuos, & solum 75. florenos singulis annis pro censu solvendos exigit, una cum assecuratione suæ summæ. An hæc conventio usuraria est?

℟. Ista conventio certo est usuraria: quamvis etiam Landulfo liceret percipere honestum aliquod lucrum e sua pecunia, si eam in societate locaret, ejusque dominus remaneret, ac cum socio periculum negotiationis subiret; non tamen potest ex dicta pecunia lucrum percipere, si eam mutuam dat Luciano; mutuatarius enim fit dominus mutui, & omne periculum sortis sufferre debet. S.Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. *Pontas.*

CASUS XXXI. Petrus dedit Renato mercatori in Indiam navigaturo 5000. florenos hac conditione. 1. Quodsi navis Renati casu fortuito quocunque pereat, jactura totius summæ mutuatæ sit ferenda Petro. 2. Lucrum & damnum e dicta summa proventurum utrique sit æqualiter ferendum. Verum Petrus commercii penitus ignarus paucis post diebus proponit Renato se contentum fore 15. aut 20. florenis pro centum, si in eventum prosperæ navigationis summa capitalis assecuretur, sibi autem omnia perire, si navis pereat. Renatus libenter acceptat hanc conditionem, cum sic nemini rationem reddere teneretur negotiationis suæ & centum pro centum lucraturum se speraret. Estne usurarius hic contractus?

℟. Distinguendum est duplex periculum: unum est mutuo *intrinsecum* & ab eo inseparabile, quale datur in mutuo, facto pauperi aut illi, qui non est solvendo, aut jam pene ad incitas redactus: alterum periculum est mutuo *extrinsecum*, ab eo separabile, ut dum mutuum fit diviti. Primum periculum nunquam constituit titulum legitimum percipiendi lucrum; sed ratione secundi periculi potest percipi lucrum. Hoc supposito, si periculum Petri mutuo est intrinsecum, non potest percipere ullum lucrum ex suis 5000. florenis; & juxta quosdam Authores allegantes Decretalem Gregorii IX. Cap. *Naviganti*, fin. Lib. 5. Tit. 19. in hoc casu periculum mutuo est intrinsecum. Hoc tamen non obstante videtur periculum esse extrinsecum, & a mutuo separabile, ac consequenter Petrum in præsente casu condemnari non posse de usura; dummodo 1. principalis intentio Petri non sit præcise lucrandi ratione mutui, & Renatum non urgeat ad suscipiendum periculum summæ capitalis, sed ipsus Renatus se ad hoc offerat, ut sic evitet rationem reddendam de suo commercio 2. Dummodo Petrus non percipiat nimium lucrum causa mutui, sed solum proportionatum periculo, cui se exponit. Ita sentit S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. Tit. 1. cap. 7. §. 18.

§. 18. Conventio Petrum inter & Renatum inita nil aliud est, quam venditio sperati lucri, quod utique injustum non est. Immo ejusmodi conventionem Petrus potuisset facere etiam cum quodam tertio absque omni usuræ periculo: lucrum enim ex utriusque parte incertum, & spes lucri pariter utrique æqualiter appretiabilis est. Incertitudo igitur ejusmodi conventiones reddit justas ac licitas. *Pontas.*

* Nota. Etiam periculum intrinsecum est pretio æstimabile erga personas, quarum gratia quis non tenetur subire periculum specialiter ex lege charitatis.

CASUS XXXII. Faronius timens, ne navis perierit, cui in Indiam abeunti varias merces credidit, quarum valor ad 10000 imperiales ascenderat, totam summam vendidit Radulfo pro 9000. florenis. Ast elapsis octo mensibus navis felici cursu rediens Radulfo ultra 10000. imperiales attulit adhuc lucrum 50. pro 100. An Radulfus summam una cum lucro recipere potest absque usura?

℟. Potest Radulfus totam summam 10000. imperialium una cum lucro retinere, quia justo pretio eam emit, & periculum naufragii, aut alterius infortunii in se suscepit. *Pretio rerum*, ait lex *Pretia.* 63. ff. Lib. 35. Tit. 2. *non ex effectu, nec utilitate singulorum, sed communiter finguntur.* *Pontas.*

CASUS XXXIII. Eustachius timens, ne navis sua una cum mercibus in Hispaniam transvehendis naufragio pereat, aut ab hostibus auferatur, obtulit Martino lucrum 10. pro 100., si mercium suarum assecurationem præstaret. An tale commercium absque usura fieri potest?

℟. Legitimum est ac licitum hoc commercium; quia Martinus in se suscipit periculum. *Licitum reputatur tale lucrum,* ait S. Antoninus 3. part. Summ. Theol. Tit. 8. c. 3. §. 1. *ratione periculi, quod subiit: nec enim potest dici, ibi esse mutuum; cum nihil mutuetur: nec lucrum turpe; cum nec inveniatur prohibitum.* *Pontas.*

CASUS XXXIV. Godardus mutuavit Nemesio 100. imperiales ad annum hac conditione, ut si illos ad constitutum terminum non restituerit, duos aureos ultra dictos 100. imperiales solvere teneatur. An in hoc casu datur usura?

℟. Juste Godardus recipere potest duos aureos, si Nemesius ad constitutum terminum non solvat mutuo datum; si 1. Godardus hanc conditionem apponendo pure ac simpliciter solum intendit debitorem ad exactam solutionem permovere. *Notandum,* inquit Innocentius IV. in Cap. *Suam.* 9. Lib 5. Tit. 37. *pœnam impositam ex conventione partium licere exi-*

gere;

gere; dummodo intentio sit recta, scilicet ut pareatur placitis, & non ad usuras vel lucrum. Sed secus esset, si pœna esset apposita in fraudem. 2. Si debitor culpabiliter distulit solutionem, id est, si potuisset solvere, & tamen sive ex malitia, sive ex negligentia, sive ex alia culpa non solvit. Nihilominus semper timendum, ne in ejusmodi contractibus mutui cum adjectione pœnæ initis concurrat saltem intentio usuraria. *Pontas.*

CASUS XXXV. Germanicus magnificum apparatum simulaturus vasa aurea a Scipione sibi commodari petit, simulque ipsi tres aureos pro isto servitio offert: adhæc ab eodem Scipione petit mutuari sibi marsupium 300. aureis refertum, ut se coram aliis, quibuscum ipsi negotium quoddam perficiendum est, divitem ostentet, & pro hac commodatione offert Scipioni 6. aureos. An Scipio oblatos aureos retinere potest?

℞. Proprie loquendo potest eos retinere; nam non mutuo dat vasa aurea, & marsupium, sed locat, & eorum usum vendit, & sic eorum dominium sibi reservat; hinc Germanicus eadem vasa & idem marsupium restituere Scipioni tenetur; & si omnia hæc perirent, damnum solus Scipio sufferre deberet, si casu fortuito, ac sine culpa Germanici perirent. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 6. Verum ne Scipio peccati reum se faciat, cavendum, ne pretium locationis sit nimium, sed juxta æstimationem viri prudentis proportionatum usui rerum commodatarum. In eo autem Scipio peccatum vix effugiet, quod locando ejusmodi res ad vanitatem ac ostentationem, vel omnino ad fraudem locatarii cooperatus fuerit. *Pontas.*

NOTA. Mirum est, quod hi Authores in commodato, quod usu non consumitur, ratione periculi admittant compensationem; in mutuo autem, quod usu consumitur, & cujus valor ratione periculi minuitur, nullam admittant. Videtur potius in commodato rerum, quæ usu non deteriorantur, nulla admittenda compensatio, sed tantum contractus assecurrationis.

CASUS XXXVI. Robertus, qui notorie ex meris ac quotidianis usuris suas sibi pecunias coacervavit domum exstructurus est. An operarii tuta conscientia, & quin ad restitutionem teneantur, diurnam mercedem recipere possunt, licet sciant, eam non nisi ex injusto provenire commercio Roberti?

℞. Author opusculi 75. de usuris D. Thomæ adscripti existimat, operarios non peccare, si alteri operam suam locandi desit occasio; peccare autem eos, si non urgeat necessitas laborum suorum mercedem quærendi apud hunc usurarium. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Philometor 5000. florenos pro majori securitate deponit apud Samuelem notorium usurarium. Num liceat?

℞. Si hanc summam deponit ea intentione, ut Samuel commercium suum usurarium commodius aut latius exercere possit, usuræ se reddit participem, & peccat. Si vero ex solo motivo majoris securitatis deponit, non peccat. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. ad 3. Consultius fieret, si Philometor pecuniam suam apud alium deponeret, aut si alium non sciat, Samueli depositum traderet obsignatum; aut in arcula obserata, clavemque apud se retineat. Denique si Samuel depositum hac ratione recipere renueret, & hac præcautione quasi quadam diffidentia offenderetur, & Philometor rationaliter crederet, eum utpote propriis pecuniis abundantem alienis non indigere, ac consequenter deposito haud abusurum, absque peccato posset Samueli pecunias suas custodiendas tradere, etiam nulla adhibita præcautione. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Maglorius vir opulentus mutuavit Sylvestro nummulario 6000. florenos ad annum, recepto ab eo simplici syngrapha. Per decem jam annos Maglorius a Sylvestro annuatim accepit censum 300. florenorum, Sylvestro nimirum syngrapham toties renovante. Jam autem summam mutuo datam repetiturus ipsi litem intentat, quo factum, ut Sylvester a judice condemnatus post lapsum anni summam principalem una cum censu 300 florenorum Maglorio restituere debuerit; ac consequenter Sylvester spatio undecim annorum solvit censum 3300. florenorum. Symphorosa uxor Maglorii bona habens cum marito communia, & lucro illius usurario infensissima quærit, quid sibi agendum non solum modo sub potestate mariti constitutæ, sed & post ejus obitum?

℞. Certum est, Maglorium in solidum insensibiliter obligari ad restitutionem 3000 florenorum, census nimirum intra decennium percepti; & cum persoluto hoc censu summa principalis decreverit ad 3000 florenos, vi sententiæ judicialis anno abhinc obtentæ solum ipsi debebatur census 150. florenorum, idque solum in suppositione, quod hæc sententia fuerit bona fide obtenta. Symphorosa vero uxor vivente marito non tenetur restituere, nisi ultro ex parsimonialibus legitimis id velit, & certo sciat, maritum non restituturum. Si uxor moriatur ante maritum, tenetur ex justitia per testamentum cavere, ut ex sua portione fiat restitutio pro ratione accepti, scilicet partis dimidiæ censuum usurarie perceptorum. Ast si marito superstes foret, ocyus teneretur ad hanc restitutionem, si communionem bonorum acceptaverit. Denique

ti

si Sylvester vera necessitate negotiorum suorum coactus hanc summam pro censu annuo mutuam accepit, ipsimet facienda est restitutio; si vero id factum ad fovendum luxum aut explendam libidinem, juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1. restitutio fieri debet pauperibus. *Pontas.*

Nota. Cessant omnes ejusmodi difficultates, si pro titulo excusante admittatur periculum sortis, quale circa nummularios plerumque versatur.

CASUS XXXIX. Polixenes mercator, cum intra biduum quamdam summam alteri solvere teneretur, ipsique pecunia deesset, Metellum rogavit, ut sibi mutuet summam necessariam illique offert sex pro centum census loco. An peccat Polixenes?

℟. Si Polixenes scit, Metellum esse usurarium, non peccat: licite enim potest ex peccato alieno intendi bonum aliquod præsertim urgente necessitate. Verum si Polixenes scit, Metellum non esse deditum usurario commercio, peccat: quia ipsi ansam præbet committendæ usuræ. S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. C. *Pontas.*

Nota. In mercatoribus plerumque reperitur majus periculum amittendæ sortis, cujus valor juxta incrementum periculi decrescit.

CASUS XL. Pantaleon gemmarius in quadam extraordinaria occasione ratione sui gemmarum commercii pecunia indigens dubitat, an mutuum petere licite possit ab iis, quos usurarios esse novit?

℟. Censeo, Pantaleonem posse licite petere mutuum ab usurario publico, si aliunde pecuniam, qua indiget, acquirere non possit; dummodo ipsum directe ad usuram non inducat. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. C. ad 2. Verum Theologi non conveniunt in determinando gradu necessitatis, an nimirum debeat esse extrema, aut gravis, aut necessitas decentiæ status, v. g. mercatoris, qui suum commercium exercere non posset, nisi mutuum acciperet sub conditione solvendi census; & hanc necessitatem major pars sufficientem existimat & excusantem a peccato. Hinc Pantaleon absque peccato ab usurario mutuum petere ac censum solvere potest ratione necessitatis decentiæ status, id est, sui commercii. *Pontas.*

Nota. Eum solvere posset titulo solius periculi, quod in gemmariis frequenter reperitur.

CASUS XLI. Si vero in priori casu Pantaleonem non urgeat necessitas mutuandi ab usurario, sed solum id agat eo fine, ut augeat suum commercium, & sic splendidius vive-

 re

re possit. An absque peccato mutuum petere potest ab usurario?

℟. Dici potest, quod, si Pantaleon scit, illum, a quo mutuat, revera usurarium exercere commercium, non possit absque peccato mutuare ab eo; cum ipsius intentio mala sit, & ejusmodi mutuum excusare non possit, ut S. Thomas ibidem docet. *Pontas*.

CASUS XLII. Sigebertus pecunia indigens emit a quodam gemmario duos adamantes pro 3000. florenis intra annum solvendis; ast Sigebertus mox istos adamantes eidem gemmario iterum vendidit pro 2750. florenis mox in parata pecunia solvendis. An iste contractus usurarius est?

℟. Contractus iste, qui dicitur proprio nomine *Mohatra*, licet palliatus sub specie emptionis ac venditionis, juxta S. Antoninum 2. part. Summ. Theol tit. 1. c. 8. §. 3. usuram continet man festissimam; & hinc merito a Concilio Mediolanensi I. 1565 & ab Innocentio XI. 1679. propos. 40. proscriptus est. *Pontas*.

CASUS XLIII. Germanus parochus ex fama novit, Rupertum parochianum usuraria exercere commercia; quod tamen hic in confessione paschali interrogatus negat. Cum autem parochus ex test moniis fide dignis id se didicisse diceret, & Rupertum ad exhibenda negotiationum suarum instrumenta adigeret, hic parere recusat. An deneganda ipsi est absolutio?

℟. Non potest denegari; quia, ut D. Thomas docet Quodl. 1. art. 12. C. *In foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se; in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se & contra se.* Cum fama, & vaga testimonia quandoque ex invidia vel odio proficiscentia ad convincendum non sufficiant, pœnitenti potius est credendum quam incertis testibus, qui sæpius passionibus aut levibus ducuntur indiciis. Neque parochianus tenetur parocho exhibere libros suos commerciales; quia plerumque multum interest, ut negotia domestica maneant occulta. *Pontas*.

CASUS XLIV. Quidam mercator rogatur, ut summam quamdam pecuniæ velit accipere, ac pro ea censum dare.

℟. Absque peccato talis petitio fieri non potest; nec etiam mercator eam acceptare, nisi justa adsit necessitas. *De Lamet*. Vide cas. 39 40. 41.

CASUS XLV. Tutor pecuniam sui clientis minorennis mutuam dare ad censum cogitat.

℟. Non potest id facere, multo minus censum census accipere; & si tali modo egit, tenetur ipsus e propriis bonis restituere census usurarios. *Fromageau*. Vide notam prænotandis appositam.

CA-

CASUS XLVI. Quidam vir census usurarios recepit, & hos restituere renuit prætendens, se tales census jam a 30. annis non amplius recepisse, & se illos tunc recepisse ideo; quia credebat, non esse prohibitum ejusmodi census percipere.

℞. Præscriptio non habet hic locum, & sola bona fides non potest eam reddere validam. Non potest accipi census vi mutui, nisi contra debitorem bona fide & sine fraude quis obtinuisset decretum, quo ad solvendum censum cogeretur. *Fromageau.*

Nota. Sufficit loco decreti praxis omnium aut lex, quibus in titulum recipitur periculum sortis.

CASUS XLVII. Titius mutuavit Fabio 5000. florenos, & Fabius simplicem syngrapham dedit Titio, in qua Fabius profitetur, se debere Titio 5250. florenos, id est, una cum annuo censu quot annis solvendo.

℞. Titius reus est usuræ, & graviter peccavit, si scivit, tale mutuum esse usurarium, aut si dubitavit, in veritatem indagare neglexit. Verum si Titius id ignoravit, & scire non debuit, non est obligandus ad restitutionem illius, quod consumpsit, sed tantum illius, quo ditior factus est. Si denique bona fide non egit, tenetur restituere omnia sub pœna denegandæ absolutionis. *De Lamet.*

CASUS XLVIII. Quidam mercator jam a longo tempore pecunias suas emendis variis per mare advehendis mercibus impendens rogatur a suo amico, ut ipsi quamdam summam mutuam dare velit pro censu a legibus provinciæ suæ permisso. Potestne mutuum dare?

℞. Lucrum cessans est sufficiens titulus, vi cujus possit accipi census pro mutuo data pecunia alias in commercio fructificatura; supposito 1. quod aliam pecuniam pro suo commercio non habeat mutuans. 2. Quod mutuans mutuatario asseverarit, se censum exigere ad compensandum lucrum cessans. 3. Quod ante constitutum terminum censum non exigat; & censum proportionatum lucro, quod ipsemet in suo commercio percipere potuisset, deductis tamen deducendis petat. *Fromageau.*

CASUS XLIX. Titius init contractum pignoratitium simulatum.

℞. Talis contractus est usurarius, & est revera mutuum, de quo non potest percipi ullum lucrum, nisi in casu damni emergentis & lucri cessantis. *De Lamet.*

Nota. Adde: & interveniente periculo sortis.

CA-

CASUS L. Proxenetæ jura sua quoad salaria negotiationum suarum excedunt, exigentes ultra id, quod legibus taxatum est. An licite?

℞. Committunt injustitiam, & tenentur restituere excessum. *De Lamet.*

CASUS LI. Tutores ac curatores mutuas elocant pecunias pupillorum ac clientum suorum pro annuo censu. Num juste?

℞. Tutoribus non licet ex pecuniis pupillorum mutuo datis lucrum percipere; quia quidquid lucri est ex mutuo, usura est Dei lege expresse prohibita. *De Lamet.*

CASUS LII. Silius locat gregem pecorum Miloni ea conditione, ut semper sibi salva esset sors, & dimidia lucri pars, undecumque demum damnum acciderit. An hic contractus non est usurarius?

℞. Est usurarius: locans enim semper in se suscipere debet damnum ex casu fortuito, improviso, ac per industriam humanam inevitabili emergens; locatarius vero solum tenetur ferre damnum ex sua ipsius culpa proveniens. *De Lamet.*

CASUS LIII. Titius indigens summæ 10000. florenorum rogat Sempronium, ut eam sibi tribuat non sine annui census constitutione. Assentitur Sempronius, sed ea conditione, ut Titium ad reddendam sortem adigere possit, si per continuum biennium constitutum censum pendere moretur. Licetne tuta conscientia sic contrahere?

℞. Contractus iste salva conscientia fieri non potest: non est enim verus contractus constitutionis census, sed mutui, ex quo Sempronius lucrum percipit, & consequenter usuram committit. *De Lamet.*

Nota. Si concurrat titulus, non est usurarius, etsi utrinque redimibilis.

CASUS LIV. Simon mercatori mutuos dedit 25000. florenos in negotiationem referendos hac conditione, ut elapso quinquennio eos restituat una cum censu quinque pro centum. Num licite?

℞. Peccatum usuræ commisit, teneturque restituere omnes census perceptos. *Fromageau.*

CASUS LV. Alii admittunt contractum triplicem ut licitum, alii eum rejiciunt ut usurarium. Quid sentiendum?

℞. Contractus triplex de se non videtur illicitus; cum in res peculiares contractus distingui possit, quorum quilibet separatim citra omnem injustitiam iniri potest. Verum in

praxi

praxi ordinarie usurarius est, & fere nunquam nisi ad palliandam usuram adhibetur. *Fromageau.*

CASUS LVI. Seleucus ex sua pecunia lucraturus præfectum cambii adiit, qui eum ad thesaurarium Principis direxit; & hic ipsi promisit, se post triennium sortem principalem una cum censu triennali pro taxa Principis redditurum. An in hoc casu usura intervenit? Num & præfectus cambii usuræ particeps est?

℟. Ni bona fides Seleucum excuset, usuram commisit. Præfectus cambii non peccat quidem, dum indigentibus pro sua necessitate mutuo prodit usurarios ex mutuo lucrum quærentes; peccat autem semper, dum in gratiam usurariorum inquirit in indigentes; id cum in præsente casu factum sit, præfectus cambii usuræ se reum constituit. *Fromageau.*

NOTA. Majus plerumque periculum sortes principales incurrunt in ærario Principum, quam privatorum. Titulus autem periculi sortis excusat ab usura.

CASUS LVII. Miletus mercator 3000. florenos, cum eos in commercio collocandi occasionem non inveniret, mutuos dat Cuspio cautionem præstanti, quod elapso triennio dictam summam una cum censu quinque pro centum restituturus sit.

℟. Recipiendo censum absque dubio usuram committit. *Fromageau.*

CASUS LVIII. Sulpitius civis Parisiensis lucrum percepturus ex 5000. florenis, quos in præsenti pecunia possidebat, adit præfectum cambii, qui hanc summam accipiens cambiales illi litteras tradit, vi quarum Lugduni æqualem summam esset recepturus; Lugduni vero alias denuo accepit litteras, quibus exhibitis præmemoratam summam aquisiturus esset Parisiis: interim tamen præfectus cambii faciendas impensas & censum annuum ipsi solvit. An de usura suspecta est hæc agendi ratio?

℟. Affectatus hic circuitus, quo pecunia in orbem agitur, Parisiis Lugdunum, Lugduno denuo Parisios, nil aliud est quam speciosum artificium, quo tegitur mutuum, & conscientiæ turpiter fucus fit. Hinc omne lucrum ex hac pecunia perceptum injustum est ac restitutioni obnoxium. *Fromageau.*

CASUS LIX. Emericus ad commercium maritimum mercatoris cujusdam exponit ingentem summam tanquam mutuam, omneque ejusdem periculum in se suscipit; hac tamen conditione, ut & lucri particeps fiat. Num juste?

℟. Con-

℞. Conventio hæc non videtur habere rationem mutui; quia mutuans non transfert dominium summæ in mutuatarium, quod tamen in vero mutuo fit. Hinc potius est contractus societatis, in quo lucrum percipi potest; in mutuo autem lucrum quærere usurarium est. *De Lamet.*

Nota. In commercio maritimo semper concurrit periculum sortis qui titulus lucrum legitimum etiam in mutuo cohonestat.

CASUS LX. Consuetudo Polonorum est a mutuatario pignus recipiendi cum censu annuo; eo quod pene impossibile sit hypothecas in bonis immobilibus obtinere.

℞. Consuetudo hæc est inexcusabilis: defectus enim hypothecæ non est sufficiens titulus ad capiendum ex mutuo lucrum. *De Lamet.*

CASUS LXI. Cabassius pater duarum filiarum in testamento hæredem instituit nepotem, filiabus autem solam legitimam assignavit, septimam circiter bonorum suorum partem. Tenenturne filiæ inquirere, an non pater contractus usurarios inierit?

℞. Non tenentur; incumbit autem hæc inquisitio instituto hæredi. Si tamen hæredis portio non sufficeret ad restituenda omnia lucra usuraria defuncti testatoris, etiam filiæ tenerentur contribuere pro ratione partis obtentæ. *Fromageau.*

CASUS LXII. Davus debitor condemnatus est ad solutionem census; eo quod tempore constituto summam principalem non solverit. Poteſtne creditor salva conscientia hunc censum acceptare?

℞. In hisce circumstantiis licite percipit censum. Verum si mala fide egisset, & jam tunc, dum mutuum dederat, intentionem habuisset obtinendi censum, & quidem per sententiam judicis, usuræ reus foret. Certe si judices nossent, debitorem ac creditorem inter se collusisse, non solum huic censum non adjudicarent, sed potius eum mulctarent ut usurarium. Lucrum ex mero ac puro mutuo neque ex obtinendæ solutionis facilitate, neque ex utilitate purgari potest, quæ inde in commercium redundat. Qui bona fide census perceperunt, quos judicum & confessariorum authoritate nixi permissos existimabant, tenentur eos restituere, ex quibus ditiores sunt effecti, non autem illos, quos in eadem bona fide consumserunt. Si autem mala fide egerunt, tenentur omnes restituere sine exceptione. *De Lamet.*

CASUS LXIII. Magistratus censum ex mutuo tolerat. An non mediante hac authoritate usura redditur licita?

℞. Nec consuetudo, nec quæcumque demum authoritas usuram efficere potest licitam. *Fromageau.*

CA-

CASUS LXIV. Hæredes si sciant, testatorem quamdam certam summam debere, teneanturne eam solvere; cum tamen ante suum obitum de hoc debito ipsis nec verbulum dixerit?

℞. Tenentur solvere debitum defuncti, non tamen tenentur solvere censum, supposito, quod dilatio solutionis creditoribus non intulerit damnum: alias enim tenerentur & solvere census. Hæres solum tenetur restituere pro rata hæreditatis aquisitæ. *De Lamet.*

CASUS LXV. Vidua renunciavit communioni bonorum, quam cum suo marito habuit. An nihilominus tenetur ad restitutionem censuum usurariorum nomine sui mariti perceptorum?

℞. Tenetur eos restituere; & non excusatur ex eo, quod timuerit, ne viro suo displiceat, & quod eos perceperit ipsius absentis quandoque jussu. *Fromageau.*

CASUS LXVI. Titius, cum Cajo suam domum venderet, dixit: trado tibi meam domum pro 1000. imperialibus, si mihi statim hanc summam solvas; si vero primum post annum solvere velis, domum non tradam nisi pro 1050. imperialibus.

℞. Si summa 1050. imperialium non excedit justum pretium domus, contractus erit licitus; si vero domus in summo pretio æstimata tantum 1000. imperialibus appretiatur, & Titius alium justum titulum non habet exigendi 1050. imperiales quam dilationem solutionis, contractus est usurarius. S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. C. B.

CASUS LXVII. Princeps taxam posuit frumenti; mercator autem quidam vendit suum frumentum carius quam taxa Principis licet.

℞. Si frumentum mercatoris non est melioris qualitatis quam frumentum a Principe taxatum, mercator peccat contra justitiam; quia pretium a Principe præscriptum pro justo ac rationabili pretio habendum est. Ast si frumentum dicti mercatoris notabiliter melioris qualitatis est, mercator non agit injuste. Idem dicendum esset de frumento pejoris qualitatis frumento ordinario a Principe taxato, quod utique minori vendi posset pretio, quam quo a Principe taxatum est. C. B.

CASUS LXVIII. Petrus, cum domum ædificare cœpisset, ac eam consummare non potuisset, mutuavit pecuniam pro censu; quia alia ratione non potuisset aquirere pecuniam.

℞. Po-

℟. Poteſt id facere: nam ſicut mutuum petere de ſe eſt res indifferens, & ex ſua natura licita, ſic etiam poſſum petere mutuum ob juſtas rationes, licet mutuum dans ex hoc occaſionem ſumat peccandi. Dein ſicut motivum ædificandæ domus eſt legitimum, ſic etiam in caſu, quo Petrus alio modo totaliter ædificium domus perficere non poſſet, niſi mutuam accipiat pecuniam pro cenſu, licitum eſt mutuum petere pro cenſu. C. B.

CASUS LXIX. Cajus mutuavit Petro menſe Majo decem modios tritici hac conditione, ut Petrus menſe Auguſto mutuet Cajo decem menſuras vini, quo Petrus perbene proviſus eſt. An iſte contractus uſurarius eſt?

℟. Eſt uſurarius: nam juxta regulam generalem omnis conditio onerofa mutuo extrinſeca, ſi mutuo additur, contractum uſurarium facit. Hinc Cajus, qui talem contractum cum Petro fecit, uſuræ reus eſt; quia obligatio, quam Petro impoſuit, pretio æſtimabilis eſt. C. B.

CASUS LXX. Cajus cum Petro quamdam pecuniæ ſummam mutuaſſet, ſe obligavit, ſe eam non repetiturum ante triennium. Verum cum prævideret, durante triennio damnum aliquod ſibi fore ſufferendum, aut lucrum quoddam fore perdendum ob defectum pecuniæ mutuo datæ, petit a Petro cenſum, nimirum 3. pro 100.

℟. Poteſt cenſum petere abſque uſura: nam titulus, vi cujus cenſum petit, eſt totaliter extrinſecus mutuo, & hinc ſufficiens, ut poſſit exigere cenſum; præſertim ſi Petrus ſe non vellet obligare ad compenſationem damni a Cajo ſufferendi, aut lucri perdendi. C. B.

CASUS LXXI. Petrus mutuans Joanni 100. imperiales ſe obligavit, ſe eos intra biennium non repetiturum. Poteſtne vi hujus ſuæ obligationis aliquid ultra ſummam principalem exigere?

℟. Non poteſt: idipſum enim damnatum eſt ab Alexandro VII. in propoſitione quadrageſima ſecunda. Iſta Petri obligatio nil aliud eſt quam prolongatio mutui, aut novum virtualiter mutuum, pro quo non poteſt quidquam accipi, ſicuti nec pro formali mutuo. C. B.

CASUS LXXII. Petrus tradidit Cajo 100. oves, quas æſtimari fecit, & cum Cajo convenit, ut Cajus, quando oves vendit, reſtituat Petro juxta æſtimationem in traditione ovium factam, interea usquedum eas vendat, lana, & lucrum ex eis a Cajo factum inter ſe dividatur.

℟. Iſte

℞. Iste contractus est usurarius, nam in eiusmodi contractibus omne periculum sufferendum est illi, qui sortem principalem tradidit, nisi novo contractu assecurationis alius periculum subire debeat, hinc cum in proposito casu novus contractus assecurationis non detur, contractus erit usurarius. C. B.

CASUS LXXIII. Titius emit domum hac conditione, ut summam pro ista domo persolutam, si sibi ita placuerit, possit repetere, & tali modo domum restituere.

℞. Iste contractus est validus; quia non exstat lex prohibens, ne in emptione addatur conditio venditori onerosa, & emptori favorabilis, si onus venditori impositum compensetur pretio majori. Talis igitur contractus non est usurarius. In præsenti etiam casu non agitur de simplici mutuo, sed de vera emptione; hinc si domus periret; emptori periret, pariter & redditus, si qui e domo provenirent, emptori provenirent. C. B.

CASUS LXXIV. Quidam mercator non habens merces, quas quidam ab illo emere cupit, simulat se eas habere; interea adit vicinum suum, & ab eo pro 9. florenis desideratas merces emit, easque pro undecim florenis vendit petenti.

℞. Lucrum istud licite percipere potest; supposito tamen quod non excedat justum pretium mercium dictarum. C.B.

CASUS LXXV. Callistus indigens mille florenis censum constituit in prædio triginta dumtaxat florenos reddere solito, & obligat se ad dandos quotannis alios decem aut viginti, quos ex industria sua lucraturum se sperat. Estne licitus hic contractus?

℞. Est illicitus; quia ex parte fundatur in persona: Bulla autem Pii V. *Cum onus.* declarat omnes contractus usurarios, qui non penitus fundantur in re immobili. C. B.

Nota. Bulla S. Pii V. disponit pro statu Ecclesiastico. Census æque constitui potest in officio vel industria personæ, ac in re immobili; nam quia cessante officio vel industria deficit titulus exigendi censum, hoc ipsum periculum amittendi officii vel defectus virium præbet titulum exigendi auctarium sortis.

USUSFRUCTUS.

I. *Ususfructus* vocatur jus, quo quis gaudet, utendi ac fruendi re aliqua, cujus proprietate ad alium pertinet. *Ususfructus*, ait lex, *est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia.* Dicitur 1. *Jus*, id est, legitima potestas,

qua ufufructuarius a domino rei privari non poteft. 2. Jus *utendi*, ut diftinguatur ufusfructus a depofito, quo depofitarius uti non poteft fine confenfu deponentis; cum tamen ufufructuarius plenum ac integrum habeat ufum omnium fructuum, redditunm ac commodorum perceptibilium ex re in ufumfructum conceffa, idque fine omni refervatione aut exceptione juxta verba legis: *Omnis fructus rei ad fructuarium pertinet.* Dicitur 3. *Fruendi*, id eft, jus percipiendi ac fuos faciendi fructus provenientes ex re titulo ufusfructus poffeffa. Additur denique 4. hæc conditio: *Salva rerum fubftantia*; quia ufufructuarius non poteft privare dominum proprietate rei fuæ, nec eam diminuere aut deteriorare.

2. Jus ufusfructus variis poteft fundari titulis, fcilicet lege, confuetudine, conventione, teftamento aut donatione.

3. Ufufructuarius eo momento, quo aquifivit ufumfructum, fructus ad ufum aptos facit fuos; & dum ufusfructus per mortem ufufructuarii exfpirat, omnes fructus percepti ac collecti ante mortem ipfius, feparatique a fundo, etiamfi ibi adhuc detenti, ad hæredes ejusdem pertinent; nifi per ipfum ufusfructus titulum aliud fuerit conftitutum, aut contraria confuetudo vigeat, prout viget refpectu dotis in quibusdam provinciis.

4. Si Ufufructuarius fructus locavit alteri, & poft eorum collectionem moriatur, etiamfi præfixum tempus folutionis nondum advenerit, integrum tamen locationis pretium cedit & folvendum eft ejus hæredibus.

5. Quando fructus non nifi fucceffive aquiruntur, ut in locatione ædium, ufufructuarius tantum ex iis percipit, quantum habita ratione temporis, quo duravit ipfius jus, ei debetur; reliquis fructibus ad dominum rei pertinentibus.

6. Ufufructuarius habet jus colligendi fœnum & olivas, antequam ad perfectam maturitatem pervenerint; non autem frumentum & uvas.

7. Immutationes utiles aut noxiæ fundo advenientes unice refpiciunt ufufructuarium, qui ejusmodi immutationes pro libitu poteft facere, dummodo non deterioretur fundus, fed potius in futurum augeantur redditus.

8. Si

8. Si dominus fundi fundum prius locatum tradat alteri titulo usufructus, usufructuarius potest interrumpere locationem, nisi contrarium determinatum sit in ipso titulo.

9. Usufructu exspirante usufructuarius non habet jus petendi compensationem meliorationum aut augmentationum, quas fecit in fundo, sed tantum reparationum necessariarum, quas fecit ultra eas, ad quas obligabatur. *Si quid ultra, quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter repetes;* sunt verba legis.

10. Ille, cui aquiritur usufructus emptione, donatione, aut per testamentum, necessario ab eo, a quo aquisivit usumfructum, aut ab hærede ejus, aut a legatario in eo statu collocandus est, ut possit gaudere usufructu. Idem tamen non dicendum de aliis commodis non absolute necessariis ad hoc, ut possit gaudere usufructu.

11. Ususfructus titulo generali aquisitus comprehendit non solum bona incommobilia, sed etiam mobilia, imo & usu consumptibilia. Ex usufructu animamalium usufructuarius habet omnem utilitatem, quam potest exinde percipere; verum tenetur reddere eundem numerum animalium Domino, aut ejus hæredi. Si tamen animalia ejusmodi non producerent alia sibi similia, non teneretur resarcire ea, quæ absque sua culpa perirent.

12. Usufructuarius statim ab initio debet conficere inventarium rerum, quarum usu gaudet, ut manifestum fiat, quo in statu constitutæ sint res, ex quibus fructum capere aggreditur.

13. Proprietarius, aut quivis alius, cujus interest, habet jus exigendi ab usufructuario cautionem necessariam pro conservatione fundi, & ejusdem restitutione.

14. Usufructuarius non potest quidpiam in fundo deteriorare, aut immutare, quod pro decoratione ejusdem, aut etiam meræ voluptatis gratia in eo positum est. Ipsi prætera incumbit omnibus oneribus ususfructus satisfacere, reparationes minores facere, arboribus arefactis alias substituere, resque omnes in bono statu conservare. Non tamen tenetur ad reparationes majores, nisi in casu, quo eæ ex propria ipsius culpa necessario faciendæ sunt.

15. **Proprietarius** nihil poteſt addere aut immutare in locis aut rebus uſufructui alterius ſubjectis: id ſi faceret, teneretur ad præſtandum damnum & intereſſe legitimum.

16. Denique non tenetur uſufructuarius ad ea reparanda, quæ jam tunc deſtructa erant, dum uſumfructum ſibi aquiſivit. Jus uſufructuarii eſt perſonale; & ceſſat. 1. Per mortem ipſius naturalem aut civilem. 2. Per eventum conditionis, ſi jus uſusfructus cuidam conditioni alligatur. 3. Quando perit fundus incendio, inundatione, aut alio caſu fortuito. Combuſta, vel corruente, aut alio modo totaliter deſtructa domo nullum prorſus jus relinquitur uſufructuario ad fundum; in quo poſita erat domus. Si tamen una tantum pars domus fuiſſet deſtructa, altera parte manente integra, remaneret illi uſusfructus etiam in parte deſtructa, tanquam in acceſſorio ad principale, poſito, quod uſusfructus ſit particularis, & tantum alligatus ad domum.

CASUS I. Paulinus ex legato obtinet ad ſexennium uſumfructum gregis ovium quingentarum, ex quibus ſine ejus culpa ex caſu mere fortuito perierunt quinquaginta. An tenetur hæredibus defuncti reſarcire jacturam quinquaginta ovium?

℞. Tenetur reſtituere integrum numerum gregis, & reſarcire quinquaginta oves: percepit enim lucrum ex lana, agnis & ſtercore. « *Plane ſi gregis vel armenti ſit uſusfructus legatus* ait L. *Vetus*. 68. §. 2. ff. Lib. 7. Tit. 1. *debebit ex adgnatis gregem ſupplere, id eſt, in locum capitum defunctorum*, Aliud dicendum, ſi legatum conſtitiſſet in animantibus ad ſui propagationem ineptis, ac conſequenter fieri non poſſet compenſatio earum, quæ caſu fortuito perierunt; ut ſi v. g. legati fuiſſent ſex equi aut muli jugales, aut equus unicus. *Pontas*.

CASUS II. Auguſtinus ad decennium habuit uſumfructum cujusdam prædii, confecto ſtatim ab initio aditæ poſſeſſionis inventario. Cum autem obiiſſet præciſe ſub finem temporis, quo exſpiraverat uſusfructus, proprietarius advertit, deeſſe centum arbores frugiferas, quæ fuerant emortuæ, & corruiſſe quoddam ædificium prædii, quamvis ante decennium fuerit adhuc in bono ſtatu; petitque compenſationem damni ab hæredibus Auguſtini.

℞. Quoad arbores frugiferas, tenentur hæredes Auguſtini compenſare damnum: uſufructuarius enim debuiſſet meliorare, & non deteriorare fundum. *Debet enim* (fructuarius) *omne, quod diligens paterfamilias in ſua domo facit, & ipſe facere*, ut habetur Leg. *Sed cum*. 65. ff. Lib. 7. Tit. 1.

Et

Et *fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet* Leg. *Si cujus.* 13. ibid. Quod attinet ad ædificium prædii, hæredes pariter tenentur ad compensationem damni, si corruit ex defectu necessariarum reparationum. Eum, ad quem usufructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati juris est. Leg. *Eum.* 7. Cod. Lib. 3. Tit. 33. *Pontas.*

CASUS III. Philibertus legavit Mævio usumfructum cujusdam Toparchiæ; ubi, quamprimum ejusdem possessionem adiit, loco arborum inutilium in deambulatoriis plantavit frugiferas; diruit ædificia inutilia, quorum reparationes magnos exigebant sumptus; & fundos steriles destinatos pro deambulatione reddit fertiles. Nihilominus mortuo post decennium Mævio hæredes Philiberti exigunt ab hæredibus Mævii compensationem illati damni. Num juste?

℞. Juste eam exigunt; quia non est in potestate usufructuarii mutare statum rei. Ita habetur Leg. *Si cujus.* 13. §. 4. ff. Lib. 7. Tit. 1. *Et non debet neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis. Et si forte voluptarium fuit prædium, viridaria vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amœnas habens, non debebit dejicere. ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad redditum spectat. Pontas.*

CASUS IV. In silva triginta aut quadraginta arbores vento dejectæ sunt; & Caspar, qui habet usumfructum prædii, cui silva annexa est, eas cum quibusdam aliis emortuis cædi ac domum suam deferri jussit, tanquam ad se pertinentes. Verum proprietarius petit restitutionem. An ad eam tenetur Caspar usufructuarius?

℞. Arbores a vento dejectæ pertinent ad dominum fundi, cujus est eas, ne usufructuario damnum inferant, amovere, &, si velit, alias plantare: hinc Caspar tenetur domino fundi ad restitutionem arborum dejectarum, vel ad solutionem pretii. Leg. *Arbores.* 59. ff. Lib. 7. Tit. 1. Nihilominus si Caspar has arbores ad structuram aut necessariam reparationem prædii, in quo habet usumfructum, applicasset, non teneretur ad restitutionem. Leg. *Arboribus.* 12. ibid. Quod attinet reliquas arbores emortuas & arefactas, eæ pertinent ad usufructuarium, cum obligatione tamen alias plantandi. Leg. *Agri.* 18. ibid. *Pontas.*

CASUS V. Theodorus in testamento legavit Davidi usumfructum suæ vineæ, & moritur eo ipso die, quo vindemia pro Theodoro inchoanda erat. Ad quem pertinent fructus vineæ?

℞. Pertinent ad Davidem, cui jus ususfructus jam erat aquisitum, antequam vindemia inchoata fuerat. *Si pendentes fructus jam maturos reliquisset testator*, ut dicitur Leg. *Si pendentes.* 27. ff. Lib. 7. Tit. 1. *fructuarius eos feret, si die legati cedente adhuc pendentes deprehendisset: nam & stantes fructus ad fructuarium pertinent.* Idem dicendum foret, si fructus fuissent locati ab usufructuario, qui dein post eorum collectionem obiisset, etsi tempus præstandæ a locatario solutionis nondum advenisset. Leg. *Defuncta.* 58. ibid. *Pontas.*

CASUS VI. Hervæus usufructuarius erat silvæ cæduæ, stagni, & agri frumentarii. Ligna jam erant cæsa, sed adhuc relicta in fundo; pariter pars frumenti jam erat messa, sed adhuc in agro detenta; piscationem in sequentem diem indixit, & omnia parari jussit. Tactus autem apoplexia insequente nocte moritur. Quæritur jam, ad quem pertineant ligna cæsa, frumentum messum & proxime metendum, & jus piscandi in stagno?

℞. Quando ususfructus exspirat tempore, quo actu colliguntur fructus, separati a fundo, licet adhuc remanentes in fundo, pertinent ad hæredes usufructuarii; fructus autem nondum separati a fundo pertinent ad dominum fundi. Hinc ligna cæsa, & pars frumenti messa pertinent ad hæredes Hervæi; non messa autem & jus piscandi in stagno ad dominum fundi. *Si fructuarius messem fecit, & decessit*, dicitur Leg. *Si fructuarius*, 13. ff. Lib. 7. Tit. 4. *stipulam, quæ in messe jacet, hæredis ejus esse Labeo ait: spicam, quæ terra teneatur, domini fundi esse.* Nihilominus hic advertendum 1. Potissimam hac in re rationem habendam esse tituli, ex quo aquiritur ususfructus. 2. Hic non agi de Beneficiis, neque de iis, qui Beneficia possident. Fructus illius anni, quo Beneficiatus decedit, quique ex usu recepto incipit primo Januarii, in Gallia dividuntur inter hæredes defuncti & successorem ejus, habita ratione temporis, quo defunctus eo anno deserviebat suo Beneficio. *Pontas.*

CASUS VII. Jodocus per testamentum legavit Joanni & Jacobo usumfructum prædii, cujus annui redditus sunt 400. floreni, ut eo conjunctim gauderent, quamdiu viverent. Tribus mensibus post aditam possessionem moritur Jacobus. Cuinam accrescit dimidia pars ususfructus, Joanni, an hæredibus Jodoci?

℞. Quan-

℟. Quando sunt duo usufructuarii ejusdem rei, superstiti accrescit portio defuncti. *Quoties usfusfructus legatus est*, ait lex *Quoties*. 1. ff. Lib. 7. Tit. 3. *ita inter fructuarios est jus adcrescendi, si conjunctim sit usufructus relictus*. Id tamen solum intelligendum est de usufructu duobus aut pluribus *conjunctim* relicto. Hinc Joanni obvenit usufructus in toto prædio. *Cæterum*, addit eadem lex. *si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus, sine dubio jus adcrescendi cessat. Pontas.*

CASUS VIII. Sabinianus gaudebat usufructu cujusdam magnæ domus, quæ tamen fulmine tacta in flammas abiit. Poteftne dominus fundi sibi vendicare relicta materialia, & disponere de loco, in quo exstructa erat domus? an usufructuarius?

℟. Jus usufructus alligatur solum rei, quæ usuifructui alterius subjicitur, nec attingit reliqua bona. Hinc dominus fundi potest disponere de relictis materialibus, & de loco, in quo posita erat domus combusta. *Est enim ususfructus jus in corpore; quo sublato & ipsum tolli necesse est.* L. *Est enim.* 2. ff. Lib. 7. Tit. 1. Verum si usufructus foret aquisitus in totalitate bonorum, usufructuarius conservaret suum jus in locum combustæ domus, & in residua materialia, tanquam in partem universalitatis bonorum. Leg. *Quoties.* cit. Pariter a regula generali excipienda sunt bona campestria & rustica: si enim ædificium ejusmodi prædii periret, usufructuarius haberet jus in aream seu locum, cui ædificium superstructum erat, tanquam in accessorium & partem universalitatis bonorum. Leg. *Fundi.* 8. & Leg. *Sed &* 9. ff. Lib. 7. Tit. 4. *Pontas.*

CASUS IX. Michael usufructuarius cujusdam fundi in eo reperit lapicidinam; quam proin aperit, & in lucrum suum convertit. Poteftne absque injustitia sibi attribuere lucrum ex lapicidina?

℟. Lapides, gypsum, aliaque materialia, quæ ex lapicidina extrahuntur, habent rationem fructuum; & consequenter absque injustitia ea sibi attribuit usufructuarius. Leg. *Si cujus.* 13 §. 5. ff. Lib. 7. Tit. 1. Verum hæc ipsa lex addit: *Si nihil agriculturæ nocebit.* Quod indubitanter fieret, si hæc lapicidina extaret in campo fertili, qui certe per effossionem terræ deberet destrui. *Pontas.*

CASUS. X. Sigismundus usufructuarius cujusdam domus eam ad annum locavit alteri pro 300. florenis, incipiente locatione primo Januarii, & pretio solvendo semper expletis sex mensibus. Interea autem primo Aprilis obit Sigis-

gifmundus. An pretium locationis pro tribus elapfis menfibus, nempe 75. floreni, ad hæredem Sigifmundi pertinet?

℞. Jure hoc pretium prætendit hæres Sigismundi: redditus enim, qui ex ufufructu fucceffive & de die in diem acquiruntur, pertinent ad ufufructuarium pro rata temporis. Leg. *Si operas*. 26. ff. Lib. 7. Tit. 1. *Pontas*.

CASUS XI. Cafimirus gaudet ufufructu cujusdam exigui fundi a Leandro fibi legati. Poft biennium autem tempore belli varia huic fundo imponuntur onera. Quis ea præftare tenetur? num Cafimirus, num hæres Leandri?

℞. Quilibet ufufructuarius tenetur præftare onera fundi, cujus ufufructu gaudet. Leg. *Si pendentes* 27. ff. Lib. 7. Tit. 1. ubi dicitur: *Si quid cloacarii nomine debeatur, vel fi quid ob formam aquæductus, qui per agrum tranfit, pendatur, ad onus fructuarii pertinebit. Sed & fi quid ad collationem viæ, puto hoc quoque fructuarium fubiturum. Ergo & quod ob tranfitum exercitus confertur ex fructibus.* Hinc hæres Leandri ad nihil tenetur ratione onerum impofitorum fundo Cafimiro in ufumfructum legato. *Pontas*.

NOTA. Ufufructuarius tenetur præftare onera ordinaria, v. g. ex incurfione hoftium, quæ prævideri, ac proin deduci in pactum non poterant.

CASUS XII. Leo ufufructuarius fœnum integro menfe prius demeffuit, ac confuetum erat; & ftatim poft moritur. Dominus fundi prætendit reftitutionem.

℞. Prætenfio hæc eft injufta: Leo enim jufte ante confuetum tempus potuit demetere fœnum, ac domum avehere; quia dantur quidam fructus, qui utiliter vel faltem ex confuetudine ante plenam maturitatem colliguntur, inter eos lex *Si abfente*. 48. ff Lib. 7. Tit. 1. numerat etiam fœnum, dum ait: *Silvam cæduam, etiamfi intempeftive cæfa fit, in fructu effe conftat; ficut olea immatura lecta, item fœnum immaturum cæfum in fructu eft. Pontas.*

CASUS XIII. Geofredus reliquit Delphio per teftamentum pro ufufructu prædium & horreum, quod tamen uno die ante mortem Geofredi vetuftate exefum corruit. Delphius petit ab hæredibus Geofredi, ut novum exftrui curent horreum. Num jufte id petit?

℞. Dominus fundi nunquam tenetur ad reftituendum aut reficiendum id, quod deftruitur aut deterioratur eo tempore, quo ufusfructus eft aquifitus ufufructuario, nifi damnum fua culpa acciderit, aut vitituii ad id obligetur. Hinc prætenfio Delphii nullo nititur fundamento, totumque ipfius

ſius jus conſiſtit in eo, quod poſſit gaudere uſufructu rei legatæ in eo ſtatu, in quo res eſt tempore aquiſiti uſusfructus. *Non magis hæres reficere debet, quod vetuſtate jam deterius factum reliquiſſet teſtator, quam ſi proprietatem alicui teſtator legaſſet.* Leg. *Sed cum.* 65. ff. Lib. 7. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XIV. Artus legavit Cajo uſumfructum in vaſtiſſimo prato, ad quod perveniri non poteſt, niſi per fundum Mævii filii defuncti Arti; cui hic ipſe fundus ex hæreditate paterna obtigit. Mævius autem negat tranſitum. An jure?

℟. Injuſte hoc negat: dum enim legatur cuidam uſusfructus in re, aquiritur ipſi jus ad id, quod abſolute neceſſarium eſt ad hoc: ut poſſit fructum capere ex re. Leg. *Si fundo.* 1. §. 1. ff. lib. 7. tit. 6. *Pontas.*

CASUS XV. Octavius legavit Fabio uſumfructum in fundo ante breve tempus ad quinquennium locato alteri. Mortuo Octavio Fabius nondum elapſo quinquennio vult expellere locatarium. An jure?

℟. Fabius absque injuſtitia poteſt expellere locatarium: uſufructuarius enim gaudet jure interrumpendi locationem a proprietario factam non minus ac emptor rei locatæ. Leg. *Arbores.* 59. §. 1. ff. Lib. 7. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XVI. Sylvius legavit in teſtamento Maglorio uſumfructum quatuor jugerum prati, in quo tamen poſt conditum teſtamentum Sylvius ædificavit domum, & reliquum fundi convertit in hortum. Mortuo Sylvio prætendit Maglorius uſumfructum domus & horti. Num illi debetur?

℟. Mutatio ab ipſo teſtatore ante mortem facta in fundo legato clare denotat, quod etiam mutaverit voluntatem, & legatum annullare voluerit. Hinc prætenſio Maglorii prorſus caret fundamento. *Si areæ ſit uſusfructus legatus, & in ea ædificium ſit poſitum, rem mutari & uſumfructum extingui conſtat. Plane ſi proprietarius hoc fecit, ex teſtamento, vel de dolo tenebitur.* Leg. *Repeti.* 5. §. 3. ff. lib. 7. Tit. 4. *Pontas.*

CASUS XVII. Arnulphus uſumfructum prædii redditnum 200. florenorum legavit Fauſtino, qui paulo poſt ob grave crimen ad virgas & exilium condemnatus eſt. An ob id legatum Fauſtino factum ſuo effectu caret?

℟. Si exilium, ad quod fuit condemnatus Fauſtinus, eſt perpetuum, habendus eſt pro civiliter mortuo, & totaliter excidit jure uſusfructus. §. *Finitur.* 3. Inſtit. Lib. 2. Tit. 4. *Pontas.*

UXOR.

Agitur hic 1. De poteſtate, quam habet uxor, diſponendi de bonis ſuis paraphernalibus tam vi Juris Romani, quam particularium conſuetudinum. 2. De obligatione, quam contrahit, dum una cum marito ſuo ſe obſtringit ad ſolvenda debita. 3. De obligatione in quibusdam caſibus ſequendi maritum in regiones exteras; & de cauſis eam ab hac obligatione eximentibus. 4. Quando & in quo caſu uxor marito, aut maritus uxori poſſit peculiares donationes facere; & an maritus ſemper in conſcientia teneatur hæredibus ſuæ uxoris reddere rationem de bonis in dotem allatis, vel donatione, ſucceſſione, aut alio quovis titulo ab uxore aquiſitis. 5. Quænam ſit mariti poteſtas & obligatio diſponendi de bonis mobilibus uxoris. 6. An uxor, quæ publicum mercimonium exercet, obligare ſe poſſit erga alios mercatores independenter a marito. 7. De aliis mutuis officiis maritum inter & uxorem.

CASUS I. Manlia, quæ nupſit Arnaldo, illi in dotem attulit omnia bona ſua, nempe unam domum, viginti jugera terræ arabilis, ſex jugera vineæ, & duos contractus, quorum cujuslibet cenſus annuus conficit centum florenos. Contracto jam matrimonio per teſtamentum avunculi ſui aquiſivit 500. florenos, & per aliam hæreditatem 150. florenos, cenſum annuum defuncti fratris. Poteſtne de his bonis diſponere?

℞. Bona *dotalia* dicuntur ea, quæ uxor marito attulit ad ſuſtinenda onera matrimonii communia, quæ in hunc effectum adminiſtrandi marito jus competit. Bona *paraphernalia*, ſeu ut Lex vocat *præter dotem*, ſunt ea, quæ uxor in dotem non conſtituit marito; ſive dein ſolum exprimat ea, quæ ſub ratione dotis comprehenſa velit, ſive ea tantum, quæ ſibi reſervare cupit: omne quod reliquum eſt, inter paraphernalia cenſetur. Vi legum Romanarum poteſt uxor propria auctoritate pro ſuo arbitrio diſponere de bonis paraphernalibus ſine conſenſu mariti, etſi in ejusdem manibus ea hæreant. Si Manlia degat in loco, ubi Jus ſcriptum, aut conſuetudo juri huic in hac re conformis viget, poterit tuta conſcientia pro libitu diſponere de iis bonis, quæ primum poſt contractum matrimonium aquiſivit. Verum ſi Manlia, non exprimendo in contractu matrimoniali bona in dotem deſtinata, omnia ſua bona præſentia & futura pro dote aſſignaſſet, in hoc caſu, utpote non habens nec habitura bonum paraphernale, prorſus non poſſet diſponere absque expreſſo conſenſu mariti. Si denique Manlia non moretur in loco, ubi

leges

leges Romanæ vigent, necessario conformare se debet consuetudini ibi receptæ, quæ vim legis obtinet. L. Dotis. 7. ff. De jure dot. Lib 23. Tit. 3. Item *Hac lege.* 8. Cod. De pact. convent. Lib. 5. Tit. 14. *Pontas.*

CASUS II. Lucentius duxit Magdalenam, cui parentes pro dote dederunt domum valoris 5000. florenorum. Ipsa autem clam possidebat 500. Florenos ab avunculo in lecto mortuali decumbente dono acceptas; id quod tamen nec ulli hominum manifestaverat. Jam quæritur, utrum Magdalena contracto jam matrimonio possit pro suo arbitrio cum his 500. florenis disponere, in largitiones aut causas pias erogare, vel in restitutionem impendere, ad quam a Confessario obligabatur.

℞ Maritus habet administrationem omnium bonorum uxoris suæ, nec ulla pens eam potestas est vivente marito, ita ut nec testari possit, etiam in causas pias sine consensu mariti, nisi id sibi juris reservaverit in contractu matrimoniali. Maritus vero tenetur ad solutionem debitorum ab uxore contractorum. Positis jam his principiis, cum Magdalena sibi in contractu nuptiali non reservaverit jus disponendi de memoratis 500 florenis, de iis disponere non potest; & quia maritus tenetur solvere debita uxoris suæ, & consequenter etiam hoc debitum 500. florenorum, potest & ipsa illud expungere suo nomine, si creditorem novit, adhibita tamen debita præcautione, ne in manibus creditoris remaneat titulus solutionem altera vice exigendi a marito. Si creditor esset ignotus, & hæc summa distribueretur pauperibus, hæc distributio non esset proprie eleemosyna, sed actus justitiæ commutativæ, ad quem uxor suo nomine, vel maritus nomine uxoris teneretur. *Pontas.*

NOTA. Cum secundum jus tam commune Romanum quam particulare provinciarum Germaniæ uxor non possidens bona propria immobilia, quæ nunquam marito fecit communia, non possit eo inscio contrahere debita, nisi id evidens rei domesticæ ac familiæ vel necessitas vel utilitas absente fors marito vel omnia prodigente exposcat, non tenetur etiam maritus solvere debita uxoris. Hinc sublata hac mutuæ obligationis vicissitudine nostris juribus conformius ad hunc casum diceretur, quod Magdalena de 500. florenis inscio, immo, & invito marito possit libere pro suo arbitrio disponere; nisi ordo charitatis præcipiat, ut hoc subsidio juvet potius maritum fors egentem quam alios; licet primum locum obtineat restitutio ex justitia facienda, vel debita sive ante matrimonium sive stante matrimonio ab ipsa contracta expungendi obligatio.

CASUS III. Christina mercatrix pannaria Dionysio debiti 500. florenorum pro emptis pannis Batavis fixo tempore solvendi syngrapham tradidit, idque ne quidem petito consen-

ſu mariti. Hic ſciens, debitum præſtituto tempore non fuiſſe ſolutum Dioyniſio, uxorem in jus vocat, opponit ſe ſolutioni, & ſyngrapham nullius eſſe valoris prætendit; eoquod omnia absque ſuo conſenſu acta fuerint.

℟. Regulariter loquendo uxor non poteſt quidpiam alienare ſine conſenſu mariti, nec propria auctoritate ſe obligare ſive ſuo nomine ſive pro alio, ſive per inſtrumentum publicum, ſive ſub ſigillo privato. Patitur tamen exceptionem hæc regula in quibusdam caſibus: dum ſcilicet uxor vi contractus matrimonialis poſſidet bona ſeparata, quorum adminiſtrationem ſibi reſervavit; aut dum per ſententiam judicialem ſeparata eſt a marito quoad corpus & bona, vel ſolum quoad bona; vel denique, qui eſt præſens caſus, dum uxor publice exercet privatum commercium ſeparatum ac diverſum a commercio mariti. Et in hoc caſu oppoſitio mariti nullo prorſus nititur fundamento. *Pontas.*

CASUS IV. Barbara uxor Alexii, cum ſe cum ſuo marito in ſolidum obligaſſet ad ſolvendos unius anni ſpatio centum imperiales a Bernardo mutuo acceptos, defuncto marito eos ex proprio peculio ſolvit. Paulo poſt comperit, ſe juxta leges locales non obligatam fuiſſe ad hanc ſolutionem, Bernardumque judicialiter non potuiſſe eam petere. Adit ergo Bernardum, & repetit ſummam ſolutam. Poteſtne Barbara in foro interno & absque injuſtitia repetere ſolutum, aut in caſu denegationis judicialiter agere ad condemnationem Bernardi?

℟. In foro interno non habet jus repetendi hanc ſummam, licet poſt mortem mariti ex proprio peculio ſolutam; nec etiam a Judice pro hac repetitione admittenda eſt. Verum quidem eſt, quod Barbara ante præſtitam ſolutionem potuiſſet petere in judicio abſolutionem a ſua obligatione, utpote nulla; facta autem ſolutione non amplius auditur juxta legem: *Id quod natura hæreditati debetur, peti quidem non poteſt, ſolutum vero non repetitur.* In ejusmodi caſibus prudentis Confeſſarii eſt conſulere doctum juriſperitum. *Pontas.*

CASUS V. Aurelianus ab uxore ſua diſceſſit, ut in alia provincia ſedem figeret ac negotiationem exerceret; uxor autem eum ſequi renuit, licet variis modis & repetitis vicibus ad hoc inſtantiſſime a marito ſollicitata.

℟. Cenſetur, eam absque graviſſimo peccato renuere haud poſſe, ſi rationes mariti patria excedendi ſint juſtæ, & exinde commodum ſit percepturus, uxor autem rationabilem cauſam perſiſtendi in patria aut excuſationem allegare non poſſit, quæ prudenti ac ſapienti viro legitima ac probanda videatur. Cauſæ ejusmodi forent v.g. infirma valetudo, periculum per-

ver

verſionis, aut defectus certi ac ſtabilis domicilii, ita ut de loco in locum vagari deberet, *Pontas.*

CASUS VI. Bertha, licet in ſua juventute valde laborioſa, exiguam tamen marito ſuo attulit dotem, ita ut rationabiliter timere poſſit, ne marito ſuperſtes mendicare cogatur; quod ut præcaveret, quidpiam lucri labore ſuo ac induſtria comparati ſibi reſervat. Maritus jamjam moriturus bonorum omnium hæredem deſignat ſuum ex fratre nepotem. Quærit jam Bertha, an lucrum ſibi reſervatum hæredi cedere teneatur.

℟. Si dictum lucrum induſtriæ prorſus extraordinariæ fructus ſit, ac labore ſupererogatorio abſque ullo rei domeſticæ diſpendio comparatum, poteſt illud ſibi ſervare ad avertendam mendicitatem. C. B.


CASUS VII. Uxor ſæpius ſurripit marito pecunias in uſus domeſticos, ac pro ſuſtentatione familiæ ſuæ. Peccatne?

℟. Si uxor ſic agat; quia maritus, licet frequenter monitus, negligit providere neceſſitatibus familiæ ſuæ, non peccat; cum marito negligente, aut mox exaſperato, quoties, ad monitionem uxoris pro juſta domus neceſſitate expenſæ ſunt faciendæ, uxoris ſit rei domeſticæ curam habere. Verum ſi id faciat pro ſuo genio privato, inſalutato marito, licet ad ſuppeditanda neceſſaria pro domo ſubſidia parato, peccat; quia ſibi jus arrogat, quod ipſi minime competit. C. B.

Vide *Communio bonorum. Donatio. Dos. Eleemoſyna. Fucus muliebris. Ornatus muliebris.*

FINIS.





In eadem Officina libraria

F. F. VEITHIORUM

ab Anno 1774. *sequentes Libri in lucem emissi fuerunt:*

* * *

Dictionarium *theologicum portatile*, primum Gallice editum, dein Italice versum, ac plurimis Adnotationibus, novisque Articulis locupletatum a P. Abbate *D. Prospero ab Aquila*, in regia Universitate Neapolitana Professore: nunc pluribus in locis emendatum, auctum, & Latinitate donatum. 3. *Partes.* 8. 1775.

— — *manuale biblicum*, ex celebratissimis potissimum Dictionariis, quæ clarissimi & probatissimi Viri *Simonius*, Uzetiæ in Viennensi Diœcesi Parochus, & *Augustinus Calmet*, Ord S. Benedicti Abbas, concinnarunt, *a Joanne Antonio Dalmaso*, Vicetino, ex gallico idiomate Latine redditum. Editio Articulis & Adnotationibus *a P. D. Prospero de Aquila*; in reg. neapol. Univers. S. Scripturæ Professore locupletata. 2. *Partes*. 8. 1776.

Habert, *Ludovici*, Praxis Sacramenti Pœnitentiæ; sive Methodus illius utiliter administrandi. Opusculum e Gallico versum. 8. 1784.

S. Joannis *Chrysostomi*, *Patriarchæ Constantinopolitani*, de Sacerdotio *Libri sex*. Accessit *S. Ephraem Syri* de Sacerdotio *Liber unus*. Editionem curavit, præfationem, vitam *S. Joannis Chrysost.* notas & indices addidit *Antonius Khager*. 8. 1775.

Seemiller, *Sebastiani*, *Can. Reg.* Institutiones ad Interpretationem S. Scripturæ, seu Hermeneutica sacra. Accessit Commentatio de studio Linguæ Hebraicæ cum Theologia conjungendo. &c. 8. 1779.

Simo-

Simonis a Virgine, *Ord. Carm.* Sermones facri in Dominicas & Fefta totius Anni. Opus poft iteratas Gallicas Editiones in latinum Idioma converfum, & per omnia Parochorum & Concionatorum ufui accommodatum, nec non Indicibus inftructum. 4. *Partes.* 8. 1774.

Veith, *Laurentii*, S. T. D. Differtatio de Primatu & Infallibilitate *Romani Pontificis.* 8. 1781.

— — — Syftema *Edmundi Richerii*, de ecclefiaftica & politica Poteftate, fingulari Differtatione confutatum. 8. 1783.

Weiffenbach, *Jofephi*, D. T. de Eloquentia Patrum *Libri XIII.* in *IX. Volumina* tributi. 8. 1775.



